S. AURELII AUGUSTINI CONFESSIONUM LIBRI 13. CUM NOTIS R.P...

Aurelius santo Augustinus (santo), ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE
42
2 E
7
EBORENSE

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad simplicem usum S. Fr: Nicolai Tirini a Valen=
tano Min: Obs: 1814.

Digitized by Google

VENETIIS MDCCLIII.
Apud Jo: Baptistam Recurti.
Superiorum Permissu ac Privilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

& libris Angeli Selgomini

INter ſaluberrima ſcripta, Amice Lector, quibus S. Auguſtinus Eccleſiam illuſtravit, merito Confeſſionum Libri numerandi ſunt.

Aperuit enim in iis omnes imprimis miſerandæ corruptionis vias, quibus a pueritia pleraque pars hominum ad exitium graditur: priuſque ſcelera addiſcit, quam eorum gravitatem, ac damna poſſit expendere.

Deinde hæreſis quoque præcipitia expertus, exemplo ſuo oſtendit, quibuſnam hæreticorum fallaciis, ſeduci potiſſimum incauti ſoleant, & quanam ratione eas deprehendere poſſint.

Ita vero malorum ſuorum Confeſſionem inſtituit, ut vitiorum errorumque radicem, cauſas, occaſiones ipſi cum aliis plurimis communes oſtendat, & præſentiſſima remedia apponat; ea veritatis evidentia, & rationum firmitate, ut aſſentiri cogaris.

Adhæc paſſim arcana divinæ providentiæ conſilia inſpergit, quibus in tolerandis ſanandiſque paulatim erroribus vitiiſque ejus, uſa eſt: & a vanitate ad veritatem, ab amore ſeculi ad amorem Dei eundem traduxit, converſione rara & admiranda.

Denique ſuum in veritate, ac virtute profectum utiliſſime explicat, &

Digitized by Google

quomodo in virum alterum mutatus ſit. Quem in ſeptem prioribus libris, hæreſis, libidinis, ſuperbiæ, mancipium fuiſſe legis: eundem in libris poſterioribus maxime decimo, vix agnoſcis; cum legis Auguſtinum caſtum, ſobrium, humilem, vanitatis contemptorem, & tam innocentem, ut vix aliquas culparum umbras in ſe amplius reperiret. Placuit nimirum divinæ Sapientiæ per multorum errorum, omniumque fere vitiorum experientiam, tantum Eccleſiæ veritatis ac virtutis Doctorem præparare. Ideoque Auguſtinum labi turpiter, & prope perire permiſit; ut plurimos alios, expertus medicus exemplo, voce, calamo ſanaret, ac corrigeret.

Certe ita in ſuis Confeſſionibus *de malis & bonis ſuis Deum laudat juſtum & bonum, ut in eum excitet humanum intellectum & affectum*; ideoque merito *multis* olim *fratribus multum placuerunt*, ipſo teſte; & placent ac proſunt hodieque etiam omnibus, qui eas legunt & intelligunt. *lib. 2. retract. c. 6.*

Adoleſcentes ex l. 1. 2. 3. 4. adoleſcentiæ juventutiſque pericula, vitia, vanitatem: ac tum ipſi, tum parentes, aliique eorum majores, tantis malis opportuna remedia intelligere poſſunt.

Qui in fide fluctuant, vel in Lutheri, Calvini, aut alia ſecta hærent, a libro tertio uſque ad octavum, reperient fraudes multas Manichæis cum omni-

omnibus Sectariis communes : iisque aut similibus se circumventos deprehendent, modo iisdem, quibus S. Augustinus, ad veritatem indagandam mediis utantur. Quem si tanti faciunt, quanti debent : advertent plane, Signum Crucis, Missæ Sacrificium, Sanctorum cultum, Reliquiarum venerationem, Votum castitatis, Orationem pro Defunctis, aliaque similia, non esse Superstitionis Pontificiæ impia deliria, sed Catholicæ Religionis actus, & exercitia, veteris Ecclesiæ autoritate ac consuetudine subnixa.

Qui vero intra Catholicæ Ecclesiæ gremium peccatorum numero ac gravitate premuntur, viam pœnitentiæ fidenti animo ineant; nec de misericordia Dei desperent, quam S. Augustinus post novem annorum hæresin, & plurima flagitia impetravit.

Ii deinde, qui angustias viæ salutis jam ingressi, proficere laborant, sed gravem carnis & spiritus luctam experiuntur, Confessiones S. Augustini legant, & ne dicant, *non possum*; *potuit ille, qui ferrea aliquando voluntate ligatus tenebatur*; *poterunt & illi, si evigilent in amore misericordiæ & dulcedinis divinæ*.

Denique viri perfecti duce S. Augustino in hisce libellis, ad Contemplationis apicem, transeundo cum illo omnes creaturas, emergere poterunt. Quibus purissimæ quoque conscientiæ exemplar, libro decimo proponit.

Quamvis vero ex his manifeſta ſit opuſculi hujus præſtantia & utilitas, ideoque in multorum manibus ac ore merito verſetur : pauci tamen eum fructum, quem poſſent, inde referunt. Tum quia ſublimem Auguſtini ſtylum non tam verbis, quam ſenſu reconditum ægre penetrant ; tum quia ingenio ejus nondum aſſueti, rationum ac ſententiarum pondus non percipiunt ; tum quia hæreſis Manichæorum notitiam nullam habent, cujus errores S. D. paſſim in his libris deplorat & refellit ; tum demum, quia capitibus præfixa ſummaria, lucem non tam afferunt, quam auferunt ; nam capitis ſummam vix ſemel integre, plerumque mutile, non raro contrarium, aut abſurdum quidpiam continent.

Crediderim a quodam non admodum perito, marginalium loco, fuiſſe appoſita, & ſenſim pro ſummariis, cum alia deeſſent, recepta. Auguſtino certe tribui non poſſunt, a cujus genio longe abhorrent : & merito tum a Lovanienſibus, tum ab Eraſmo, veluti ſpuria, in marginem rejiciuntur. Imo verifimile eſt, nullam capitum diſtinctionem in ullis S. D. libris, ipſum autorem habere ; nuſquam enim capitum meminit, & prolixior, continuoque filo per integros libros plerumque decurrens ratiocinatio, eam interruptionem non ante ſemper patitur.

Quare his cauſſis permotus, nova in primis capitum Summaria confeci, iiſque

Digitized by Google

iiſque totius Capitis vim ac ſenſum, quam potui plene ac plane complexus ſum, ut Lector cum aliqua luce ad S. D. verba accedat.

Deinde ſingulis libris ſuum itidem argumentum præfixi, memoriæ, & claritatis cauſſa; ut tota Confeſſionum ſeries ac ordo, facilius appareat, & in promptu ſit.

Tertio, Libris decem, quibus mala bonaque ſua recenſet, Notas appoſui, ea quæ explicatione egent, ex Hiſtoria, Philoſophia, Theologia, ſimilibus item S. D. & aliorum ſubinde locis illuſtravi, addidi præcipuos Manichæorum errores ex aliis S. D. opuſculis; ſubinde quaſi per paraphraſin, difficiliores aut luculentiores ſententias explanavi.

Quarto, Plerumque poſt notas intellectui aptas, alias affectui ſubjeci, & capitis Uſum appellavi; nam quid proſit lectio, niſi in vitæ uſum eam conferas? His notis poſterioribus, Lectoris fructum præcipue ſpectavi, & quid ad ſalutem ſuam commodi inde referre poſſit, velut intento digito monſtravi. Non ignoro multis meliora in mentem venire poſſe, ſed neque hæc, ut ſpero, fructu ſuo carebunt.

Quia vero S. D. totis X. libris exemplo ſuo Lectorem ſapere facit: oſtendens in quas ſcelerum voragines, quam incaute corruerit; qua deinde ratione inde emerſerit; quibus gradibus totus ad Deum converſus fuerit, ut errorum vitiorumque nec veſtigium quidem, in

animo illius supereſſet ; ideo *Perfectæ ad Deum Converſionis exemplum* in Confeſſionibus ſuis S. D. orbi monſtraſſe , in titulo præſcripſi.

De Notis meis id præterea Amice Lector , moneo , me utilitatis & brevitatis rationem habuiſſe , ideoque ſubinde plura aut alia deſiderabis , ſed memineris me Commentarium non ſcribere , qui in nimiam molem excreſceret.

Tres Libros poſtremos omiſi , primum quia nihil de vita & converſione S. D. continent , ſed explicationem capitis primi Geneſeos : quam per modum appendicis adjecit ; teſtandi credo amoris cauſſa , quo in ſacras literas flagrabat ; & ut earum lectionem iis qui Eccleſiam gubernant , animarumque ſaluti ex officio vacant , commendaret ; tanquam perfectionis virtutiſque inſtrumentum.

Secundo , quia multas tum Philoſophicas , tum Theologicas difficultates de tempore , æternitate , materia , verbo divino , cognitione , & Voluntate Dei , ac utriuſque immutabilitate l. 11. & 12. aliaque proponunt intricatiora , quam ut hic explicari debeant ; præſertim , cum hos libros alias , ſi Deus vires dederit , opportuno loco productu-rus ſim .

Poſtremo , quia vix quiſquam eos legit , & non niſi eruditiores intelligunt. Nolui ergo mole non neceſſaria librum augere , cum libris X. tota Oeconomia Converſionis S. Auguſtini contineatur ,

cujus

cujus non tam doctrinam quam exemplum nunc proponimus.

Habes causſam, Amice Lector, ſuſcepti laboris. Præcipue me impulit Confeſſionum S. Auguſtini, utilitas & difficultas. Addo ſingularis quoque in S. D. affectus, cujus tanta *exſtant erga omnem Catholicam Eccleſiam beneficia, ut nulli pene Sanctorum majora merita debeamus*, ut dixit Martinus V. Pontifex. Eundem teſte S. Hieronymo Catholici *toto orbe tanquam conditorem antiquæ rurſum fidei* venerabantur & ſuſpiciebant; a quo *diſſertum eſt, quidquid dici potuit; & ſublimi ingenio de Scripturarum ſanctarum hauriri fontibus*. Hunc Patres Concilii V. Generalis profitentur ſequi ſe *per omnia, & ſuſcipere omnia, quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum expoſuit*. Ejuſdem doctrinam *ſecundum præceſſorum ſuorum ſtatuta, Romanam ſequi, & ſervare Eccleſiam* aſſeruit Joannes Pontifex.

Serm. de translat. S. Monicæ.

Ep. 25. inter. ep. S. Aug.

l. de duabus naturis in Chriſto.

Accedit ſingularis ac plane divinus ſpiritus in ejus ſcriptis elucens, quo ad boni aſſenſum lectorem intelligentem cogit, & ad affectum valide impellit. Ut meliorem fidei virtutiſque Magiſtrum, poſt Scripturas ſacras, nec ipſe reperire poſſim nec alteri ſuadere; præſertim ſi animus eſt in Fidei & Theologiæ abdita aliquando penetrare, & ſolidæ virtutis prima principia recte intelligere, ac penitus imbibere. Quare conſulto facit, quiſquis mature tantum Doctorem ſibi familiarem reddit,

ejuſque notitiam ab ipſis Confeſſionum libris orditur . Nam in iis ingenium , mores , prima fidei , converſionis , virtutis ſuæ rudimenta ac lineamenta depingit , quæ in aliis ſuis libris retinet , ac vivis coloribus illuſtrat .

Quod vero in cenſura præfixa edit . Baſilieenſi , Eraſmus humillimum Doctorem arrogantiæ ſuggillavit , quaſi quædam ad *gloriæ ſpeciem accedentia* , aut certe *minutiora* moleſte ingerat , temerario ingenio , plus quam decet , indulſit . Experiuntur , qui bona mente Confeſſiones Auguſtini legunt , ſe ad honoris , gloriæque contemptum non ſolum intellectu , verum & affectu duci . Et amabo te , quam honoris auram captare potuit S. D. graviſſima flagitia impuraſque libidines , toti orbi propalando , qui neſciret Auguſtinum tam graviter peccaſſe , niſi ipſe dolorem pœnitentis animi ſui literis conſignaſſet . Certe tot ac tanta humilitatis argumenta in aliis quoque libris lego , ut facilius perſuadear Eraſmum ſuperbum fuiſſe , quam Auguſtinum , qui Confeſſiones ſuas jam Epiſcopus ſcripſit , ſęcularis ſcientiæ faſtu dudum ſepulto .

Id forte Eraſmum uſſit , quod Grammaticorum in verbis curam , in Dei præceptis ſervandis neglectum arguit , quod fabularum immoderatum ſtudium , & Terentii ſordes deteſtatur , quod de petulanti furacitate ſe accuſat . Hæc nimirum in oculis Dei , & ſervi ejus Auguſtini grandia , Eraſmo minutiora viſa ſunt .

Sed

Sed audi porro durum os : *Confeſſionum*, inquit, *libri*, *quos & otioſus*, *& otioſis ſcripſiſſe videtur*, *habent quiddam peculiaris moleſtiæ*. Moleſtum nemini pio eſſe poteſt, *intellectum & affectum ſuum in Dei laudem excitari*, quod libri Confeſſionum in Auguſtino egerunt, & in aliis etiamnum agunt. Nec otioſus eſſe potuit Auguſtinus, qui hos libros Epiſcopus ſcripſit, & totius orbis conſiliarius.

Certe talia *Lucianicum in Eraſmo ſpiritum redolent*, quem merito illi tribuit *Canifius l.* 5. *de Maria Virg. c.* 10. quamvis idem paulo poſt cenſeat, *hærenti & hallucinanti in quibuſdam Eraſmo*, *qui neque per omnia ſibi conſtare ſolebat*, *tanto facilius veniam dandam eſſe*: *quod ipſe poſtea reſipiſcens*, *vehementer doluerit*, *ſe quondam in libris ſuis quædam incaute ſcripſiſſe*. Quod verum eſſe deprehendi perlectis ejus ad Leonem X. Adrianum VI. & Clementem VII. epiſtolis, aliiſque ejus ſcriptis.

Tu Candide Lector, conatibus meis fave; libros Confeſſionum crebro *inſpice*, *& fac ſecundum exemplar* perfectæ ad Deum converſionis, *quod in illis tibi monſtratum eſt*.

TYPOGRAPHI VENETI MONITUM.

UT plurimorum, atque doctiorum desiderio facerem satis, decem libros Confessionum D. Aurelii Augustini eruditis notis P. Henrici Vvangnereck e Societate Jesu illustratos, & usibus uniuscujusque Capitis signatos prælo subjicere animo destinavi, verum cum tres reliqui deessent libri, quorum idem Autor nec notas, nec usum exaravit, legentium studio, & commodo fore consultum existimavi, si eosdem ab exemplari, quod P. H. Sommalius ejusdem inclytæ Societatis edidit, excerptos, eisdem adderem, ne in alio volumine hi essent a legentibus requirendi, sed integrum Confessionum opus præ manibus haberetur. Causas, ob quas illi non fuerint nec notis, nec usibus dilucidati a Vvangnereck, habes superius, nec est quod repetem. Causam cur tres libros sine notis, sine usibus adjunxi, hic te habere volui, tuum scilicet commodum, atque utilitatem. Tu consilium meum ne redarguas imprudentiæ. Utere libenter, ac vale plurimum.

TRAN-

Digitized by Google

TRANSUMPTUM

Ex Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu PP. Ribadeneira, Alegambe, & Sotuello continens elogia P. Henrici Vvangnereck, atque notitiam operum omnium, quæ idem doctissimus Pater edidit.

HEnricus Vvangnereck natione Germanus, patria Monacensis in Boica ingressus Societatem Anno Salutis 1617. ætatis 16. votorum quatuor professionem emisit. Vir ingenio amplo, & omnium scientiarum capace, docuit literas Mansuetiores quinquennio. Theologiam Scholasticam Octennio. Polemicam de controversiis fidei septennio. Moralem aliquandiu; & Jus Canonicum quadriennio. Cancellarii munus in Academia Dilingana amplius septennio obivit, & ad populum de suggestu aliquot annis Ecclesiastes dixit. In missione Lindavienſi præfuit nostris quinquennio; ob doctrinam & prudentiam carus admodum aliorum quoque Ordinum Religiosorum præsulibus, necnon variis Principibus fuit, qui ab eo consilia passim exquirebant. Tandem septuagenariùs dum in triclinio mensæ accumberet apoplexia tactus loquendi & sentiendi usum deperdidit, & susceptis Sacramentis paulo post animam exalavit Dilingæ die 11. Novembris 1664. Scripsit

Notas in Confessiones S Augustini. Dilingæ 1630. & Coloniæ in 12.

De Creatione Animę Rationalis contra Prędicantes Augustinos traducis assertores. Item *Tractatum de Traduce.*

Vindicias Politicas adversus Pseudo-Politicos, & Gasparem Scioppium in Pædia Politices *ipsis suppetias ferentem.* Dilingæ 1636. in 8.

Edi-

Edidit præterea tacito ſuo nomine *Zodiacum Marianum*. Item

Thomæ de Kempis librum de Imitatione Chriſti in locos Communes redactum. Scripſit Germanice

Vindicias Motivorum Fidei Catholicæ, quibus Chriſtophorus Beſoldus ad eam perductus eſt. Auguſtæ 1643. Latine etiam edidit

Theſes de SS. Angelorum Prædeſtinatione ex meritis, prædeſtinationi gratuitæ SS. Hominum oppoſita ex mente S. Auguſtini. Dilingæ 1644.

Antitheſes Catholicas de Fide, & Bonis Operibus Artic. IV. VI. XX. Confeſſionis Auguſtanæ oppoſitas. Dilingæ 1645. explicans in his nonnulla in illis perperam intellecta.

Conſcriptus pariter ab eodem eſt.

Commentarius exegeticus SS. Canon. ſeu expoſitio brevis, & clara omnium Pontificiarum Decretalium Gregorii IX. Bonifacii VIII. in Sexto. Clementis V. extravagantium Joannis XXII. & communium, atque etiam Concordatorum Germaniæ, & Primariarum precum ſuo loco inſertarum. Opus Poſthumum ab ipſo Auctore Typis paratum. Dilingæ 1672. in fol.

IN-

Digitized by Google

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM.

LIBER I.

Confitetur vitia infantiæ ac pueritiæ ſuæ, & pro utriuſque ætatis beneficiis Deo gratias agit.

Cap. I. *Homo a Deo excitatur, ut laudet Deum Finem ſuum, quem quærendo invocat, & invocando laudat.* 1

Cap. II. *Invocamus Deum, ut veniat in nos, etſi ſecundum eſſe ſuum ſit in omnibus, & omnia in ipſo.* 3

Cap. III. *Deus continendo omnia implet omnia, totus ubique præſens in omnibus creaturis.* 5

Cap. IV. *Plurimorum attributorum divinorum enumeratione immenſam Dei bonitatem ob oculos ponit.* 6

Cap. V. *Salutis deſiderio Deum invocat, ut per gratiam veniat in domum animæ ſuæ, eamque mundet.* 8

Cap. VI. *Agnoſcit Deum immutabilem & æternum conditorem ſuum, eumque laudat de infantia & beneficio lactis, motuſque infantiles explicat.* 9

Cap. VII. *Infantiam quoque obnoxiam inordinatis affectibus, eamque vita vix annumerandam eſſe.* 15

Cap. VIII. *Quomodo ingreſſus pueritiam deſiderio patefaciendi ſenſa cordis, loqui didicerit ex obſervatione loquentium.* 18

Cap. IX. *Quanto affectu Deum, quem noſſe cœperat, rogaverit, ne in Scholis vapularet: & quomodo majores riſerint plagas ipſius.* 20

Cap. X. *Se peccaſſe negligendo amore ludendi utiles literas, contra voluntatem majorum, etſi inordinatam.* 23

Cap XI. *Graviter ægrotans, baptiſmum petit, ſed convaleſcens eundem differt liberioris vitæ cauſſa.* 25

Cap. XII.

INDEX

Cap. XII. *Ad literas se coactum bono suo, etsi non sine justa pœna sua agnoscit.* 28
Cap. XIII. *Accusat inordinatum poeticorum figmentorum amorem, utiliorumque artium neglectum.* 30
Cap. XIV. *Græcos Poetas se aversatum, ob linguæ peregrinæ difficultatem.* 34
Cap. XV. *Orat, ut quidquid utile puer didicit, Deo serviat.* 35
Cap. XVI. *Detestandam esse consuetudinem discendi Latinitatem ex lascivis Poetis, ad libidinem incitantibus Deorum magisterio.* 36
Cap. XVII *In exercitio Scholastico, Poetas per paraphasin reddendi, studium vanæ laudis incusat.* 40
Cap. XVIII. *Deplorat cœcitatem humanam servientem præcepta Grammaticorum, & violantem leges divinas.* 41
Cap. XIX. *Se quoque magis timuisse barbarismum, quam peccatum, & innumerabilibus mendaciis, fraudibus, furtis puerilem innocentiam corrupisse.* 44
Cap. XX. *Prædicat dona naturæ ac beneficia sibi puero concessa, & pro iis gratias agit.* 46

LIBER II.

Deplorat annum XVI. ætatis suæ, quo domi a Scholis feriatus, in libidinis barathrum & omnem vitæ licentiam se immersit.

Cap. I. *A More Dei recogitare incipit impuras vias adolescentiæ suæ & libidinosos amores.* 48
Cap. II. *Se amoris & concupiscentiæ æstu abreptum anno XVI. ætatis, totas manus dedisse libidini: Deo permittente, nemine coercente.* 49
Cap. III. *Se domi a Scholis feriatum, paterna vanitate & indulgentia, pravaque Societate, matre frustra dehortante, penitus corruptum fuisse.* 53
Cap. IV. *Furtum pomorum nullo bono suo sola peccandi libidine, una cum sociis se patravisse.* 58

Cap. V.

Digitized by Google

INDEX

Cap.v. *Peccata communiter non committi, niſi ex appetitu inordinato adipiſcendi bona infima, vel metu ea amittendi.* 60
Cap.vi. *Peccata fallere umbratica boni alicujus ſpecie, quod purum & liquidum eſt in ſolo Deo: in furto autem ſe dilexiſſe falſam libertatem.* 62
Cap.vii. *Laudat Deum de venia peccatorum, quę fecit, & de iis, quę non fecit, alioſque ad idem hortatur.* 66
Cap.viii. *In furto amaſſe ſe quoque eam voluptatem, quam faciebat conſortium ſimul peccantium.* 68
Cap.ix. *Se pravę ſocietatis titillatione impulſum, feciſſe furtum, quod non feciſſet ſolus.* 69
Cap.x. *Deteſtans pravi affectus fœditatem, cupit in Deo quieſcere.* 71

LIBER III.

Confitetur ſe Carthagine in impuris amoribus volutatum; ibique ex Hortenſio Ciceronis Sapientiæ amorem hauſiſſe, anno XIX. ætatis: poſtea in Manichæorum hæreſin incidiſſe. Denique Matris de ſua converſione ſomnium, & Epiſcopi cujuſdam reſponſum recenſet.

Cap.i. *Carthagine ſe impuros amores ſectatum, & amara libidinum voluptate potitum.* 72
Cap.ii. *Se impuros amores ſpectaculis theatricis foviſſe, & infauſtis amantium eventibus condoluiſſe, non vera miſericordia.* 74
Cap iii. *Se in templo quoque negotium libidinis procuraſſe, in ſchola autem Rhetoris ſuperbiiſſe, calumnias tamen everſorum odiſſe.* 78
Cap.iv. *Ex Hortenſio Ciceronis hauſit amorem Sapientię, anno XIX, ętatis, Chriſti vero nomen ibi non reperit.* 80
Cap.v. *Scripturę ſimplicitatem prę Tulliana eloquentia ſprevit.* 83
Cap.vi. *Manichęorum fallaciis ſeductus, Deum eſſe corpus quoddam ſplendidum & infinitum credidit.* 84

Cap. VII. *In errores Manichæorum se incidisse, quia nesciebat, unde malum, & Deum esse incorporeum, & justis in veteris testamento aliqua licuisse, quæ jam non licent.* 89

Cap. VIII. *Quæ sunt contra naturam, semper ac ubique illicita esse: quæ vero contra mores & pacta hominum, fieri licita jubente Deo.* 93

Cap. IX. *Multa [facta homines improbant, quæ Deus probat, & vicissim multa damnat, quæ homines laudant: etsi vero aliquid Deus insuetatum jubeat, faciendum est.* 98

Cap. X. *Hæc nesciens, credebat ficum decerptam plorare, & particulas Dei in illa ligatus solvi, si a Manichæis comederetur,* 100

Cap XI. *Recenset matris pro se preces ac lachrymas, & somnium de sua conversione, in novem fere annos dilata.* 104

Cap. XII. *Episcopum quendam a matre rogatum secum colloqui noluisse, & vehementius denique instanti respondisse:* fieri non potest, ut filius istarum lachrymarum pereat. 106

LIBER IV.

Perstringit novem Annos vitæ suæ, quibus ab anno XIX. usque ad XXVIII. Rhetoricam docuit concubinæ amoribus implicitus, & Astrologiæ genethliacæ deditus. Deplorat deinde immoderatum dolorem, ex amici morte conceptum, ac optimi ingenii pravum usum.

Cap. I. *Novem annorum spatio seducebat & seducebatur per superbiam & hæresim.* 103

Cap II. *Retoricam se illis annis docuisse & illegitimo thoro usum: noluisse vero, ut aruspex pro victoria sua in theatro sacrificaret.* 109

Cap. III. *Ab astrologorum & genethliacorum divinationibus, se nec a Vindiciano, nec a Nebridio avocari potuisse* 113

Cap. IV. *Dum Tagastæ Retoricam docet, amici quem immoderate diligebat, morte, in luctum*

Eum incredibilem conjectus est. 117
Cap. V. *Quærit cur in precibus & amissione rei carę fletus sit dulcis?* 121
Cap. VI. *Explicat miseriam inordinati affectus, quo excruciabatur ob mortem illius amici.* 122
Cap. VII. *Solatium nullum reperiens, doloris impatientia mutat locum; & redit Carthaginem.* 125
Cap. VIII. *Tempus dolori mederi, solatia pristinis similia afferendo, se vero illecebras humanæ amicitiæ sectatum.* 127
Cap. IX. *Humana amicitia quærit ex amici corpore indicia benevolentiæ, Beatus, qui amat Deum, & amicum in Deo.* 130
Cap. X. *Modus creaturarum est, ut oriantur & occidant, & per esse tendant ad non esse: errat, qui in illis quærit aliquid stabile.* 132
Cap. XI. *Solus Deus permanet, eare non sentit, nisi partem aliquam creaturarum, quibus omnibus melior est creator immutabilis.* 134
Cap. XII. *Anima in Deo amanda, & ad eum rapienda, in quo solo quies: ad quem nos redire, & ascendere descensu suo docuit Christus.* 137
Cap. XIII. *Ista nesciens amabat pulcra inferiora, quorum consideratione cognovit pulcrum & aptum, ac de utroque libros scripsit.* 140
Cap. XIV. *Se fama & laudibus, ut fieri solet, motum, Hierio Oratori libros de pulcro & apto inscripsisse: ejusque exemplo, non item quorumvis aliorum, laudari cupiisse.* 142
Cap. XV. *Rerum incorporearum ignorantia, duas substantias fingebat, monadem & dyadem, hanc summe malam, illam summe bonam: Libros vero de pulcro & apto, anno ætatis 26. vel 27. scripsit.* 146
Cap. XVI. *Se Categorias Aristotelis, & omnes libros artium liberalium sine Magistro intellexisse, nihil tamen id sibi profuisse, donis Dei utenti male.* 150

INDEX.

LIBER V.

Proloquitur annum undetriceſimum ætatis ſuæ, quo Carthagine Rhetoricam docens, cognita imperitia Fauſti celeberrimi Manichæorum Epiſcopi, ab iis alienari cœpit. Tum Romæ gravi morbo defunctus, & in Rhetoricæ profeſſione aliquantum moratus, ad eandem Mediolani ſuſcipiendam abiit. Ubi S. Ambroſii humanitate, ac ſermonibus, meliorem de Fide Catholica opinionem ſenſim concepit.

Cap. I. *Confitetur Deo miſerationes ejus, non ut doceat, ſed ut laudet eum, quem laudat omnis creatura.* 156

Cap. II. *Fruſtra iniqui fugiunt Deum, qui ubique eſt: convertantur potius, & confiteantur ei.* 158

Cap. III. *Fauſti adventum exponit, & quomodo Philoſophi, etſi probabiliora Manichæorum fabulis tradiderint, in cogitationibus ſuis evanuerint.* 160

Cap. IV. *Qui Deum ſcit, hoc ſolo beatus eſt, nec beatior, aut melior, quia alia prater ipſum ſcit.* 164

Cap. V. *Manichæus in ſuis libris de ſideribus & cœlo falſa docens, Spiritum S in ſe perſonaliter habitantem, doctrinæ ſuæ autorem incredibili dementia faciebat,* 165

Cap. VI. *Fauſtum natura & exercitatione facundum, liberalium artium, niſi Grammaticæ, expertem fuiſſe: ſe verotum, veritatis avidum, rem non verba curaſſe.* 168

Cap. VII. *Cognita Fauſti imperitia, ſe conatum proficiendi in ſecta Manichæorum, adjeciſſe, idque ſibi initium converſionis fuiſſe.* 171

Cap VIII. *Licentiam Scholaſticorum Cartaginenſium fugiens non tam ſuo, quam divino conſilio Romam contendit, matre fruſtra renitente.* 174

Cap. IX. *Romæ in febrim incidit, ad inferos iturus, ſi moreretur: ſalutem precibus matris,*

tris, etſi neſcientis, adſcribit, ejuſque pietatem mire prædicat. 179

Cap. X. *Romæ Manichæorum conſuetudine ſe uſum, & a fide Catholica, ignorantia maxime ſubſtantiæ, incorporea retardatum.* 183

Cap. XI. *Imbecillas ſibi viſas reſponſiones Manichæorum, ad argumenta Catholicorum ex Scripturis.* 187

Cap. XII. *Romæ diſcipulos fidei deſertores eſſe & mercedis defraudatores.* 188

Cap. XIII. *Mediolanum ad docendam Rhetoricam miſſus a S. Ambroſio paterne ſuſceptus eſt, cujus ſola facundia initio delectabatur, rerum contemptor.* 190

Cap. XIV. *Ab Ambroſio perſuaſus credidit, Scripturas veteres, & Fidem Catholicam rectè defendi poſſe adverſus Manichæos: quibus etiam, Academicorum more fluctuans, Catechumenus eſſe ſtatuit.* 192

LIBER VI.

Narrat, quæ trigeſimo ætatis anno Mediolani egerit, etiamnum fluctuans. Senſim vero Ambroſium Catholicæ fidei veritatem, ſibi probabilem feciſſe fatetur. Multa interim de Alipio, ejuſque moribus interſerit: ac ſuum, matriſque conſilium de conjugio recenſet.

Cap. I. *MAter filium terra marique ſequens, eum Mediolani nec Manichæum, nec Catholicum ingenticum lætitia reperit.* 196

Cap. II. *Matrem cum pro more Africano epulas ad Agapen in Eccleſiam efferret, & a S. Ambroſio prohiberetur, mox acquieviſſe.* 199

Cap. III. *Ambroſium libere ſciſcitandi copiam ſibi non feciſſe: ex eo ſe cognoviſſe, Deo Catholicos humanam figuram non tribuere.* 202

Cap. IV. *Et S. Ambroſius oſtenderet, Catholicos non docere, quæ putabat: ſe tamen ne falſa crederet, ea quæ credenda ſunt, ſibi demonſtrari voluiſſe.* 206

CAP.

INDEX.

Cap. V. *Recte juberi apud Catholicos, ut credantur, quæ demonstrari nequeunt: Scripturas vero a Dei providentia subministratas, ex earum autoritate concludit.* 208

Cap. VI. *Laudes Imperatori recitaturus, viso mendico saturo jocante, ambitionis arumnas lætitiæ steriles deploravit.* 212

Cap. VII. *Quomodo non cogitans, Alipium mordaci irrisione a Circensium insania revocarit, & Manichæorum superstitione involverit.* 216

Cap. VIII. *Eundem Alipium Roma, cum familiari violentia ad Amphitheatrum pertractus esset, repente insano luaorum gladiatoriorum amore fuisse correptum.* 220

Cap. IX. *Ut idem Alipius Carthagine pro fure comprehensus sit, & tanuem furti suspicione liberatus.* 222

Cap. X. *Alipium justitiæ amantissimum fuisse, & una cum Nebridio Mediolanum venisse, ut secum pariter veritati indaganda vacarent.* 225

Cap. XI. *Recenset suum hucusque in studio Sapientiæ progressum, a quo vana spe, & concupiscentia carnis, maxime retardabatur.* 229

Cap. XII. *Cælibem vitam sibi visam intolerabilem, Alipium vero autoritate sua motum, in desiderium conjugis venisse.* 233

Cap. XIII. *Matrem sibi uxorem sollicite procurasse, nullum tamen de matrimonio futuro a Deo visum ei obtigisse.* 235

Cap. XIV. *Statuisse se cum quibusdam amicis in communi vivere, verum id consilium, conjugalis vitæ causa, dissipatum.* 237

Cap. XV. *Loco concubinæ discedentis, ex qua filium susceperat, aliam urgente libidine se procurasse.* 239

Cap. XVI. *Solo metu mortis & judicii, se aliquatenus coercitum in voluptatibus carnalibus: alioqui Epicuro palmam daturum & voluptati, qua extra Deum vera non est.* 241

Digitized by Google

INDEX.

LIBER VII.

Explicat animi ſui æſtum laborantis in mali inveſtigatione. Quomodo item nullam ſubſtantiam malam eſſe deprehenderit; & in Platonicorum libris agnitionem quidem incorporeæ veritatis & verbi divini; non autem ejus exinanitionem & humilitatem repererit.

Cap. I. *Deum incorruptibilem, inviolabilem, & incommutabilem eſſe agnovit, non tamen incorporeum: quia quod corpus non eſſet, nihil eſſe putabat.* 244

Cap. II. *Proponit Nebridii dilemma, quo ſubſtantiam mali bono Deo contrariam, eviden-ter refellebat.* 247

Cap. III. *Deprehendit liberum arbitrium eſſe cauſam peccati, unde autem voluntas male vellet & bene nollet, neſciebat.* 249

Cap. IV. *Deum, cum ſit ſummum bonum, neceſſario eſſe incorruptibilem, & hinc inveſtigari deberi cauſam mali, nec poſſe Deum cogi.* 252

Cap. V. *Omnem creaturam inſtar ſpongiæ, in immenſo mari, Deo plenam eſſe, & omnia bona a ſummo bono facta agnoſcebat, anxie quarens, unde malum irrepſerit.* 254

Cap. VI. *Genethliacorum divinationes ſe rejeciſſe, quod videret ſub eadem conſtellatione Dominos, & ſervos, imo & geminos diverſiſſima conditionis naſci.* 257

Cap. VII. *Deum incommutabilem noſtri curam gerere, & in Chriſto ac Scripturis, viam ſalutis eſſe credebat: neſciens interim, unde malum, & quia Spiritus eſſet, merito Superbia & durę cervicis ſuę.* 262

Cap. VIII. *Stimulis internis ſe a Deo agitatum, donec de ipſo certus eſſet.* 265

Cap. IX. *Si in quibuſdam Platonicorum libris Chriſti divinitatem, non vero humilitatem reperiſſe, ac inde velut Ægypti ſpolia collegiſſe.* 266

Cap. X.

INDEX.

Cap. X. *Æternam veritatem omnium artificem, mole magnam non esse, & Deum ipsum esse, divina inspiratione tandem didicit.* 271

Cap. XI. *Creaturas ne omnino esse, quia Deus non sunt, nec omnino non esse, quia a Deo sunt.* 273

Cap. XII. *Omnem substantiam corruptibilem bonam esse, quia nisi bona esset, corrumpi non posset.* 274

Cap. XIII. *Etsi quædam quibusdam non conveniunt, Deo tamen & universo nihil malum esse, Deum vero in omnibus laudandum, in cœlo & terra.* 278

Cap. XIV. *Quod sibi aliqua creaturæ displicerent, ideo se aliquando ivisse in opinionem duarum substantiarum.* 279

Cap. XV. *Omnia Deus veritate sua, tanquam manu sua continet, ideoque omnia vera sunt, & convenientia.* 280

Cap. XVI. *Non omnia omnibus, quædam, ut iniqui, conveniunt inferioribus creaturæ partibus, non est autem iniquitas substantia, sed summæ substantiæ derelictio.* 282

Cap. XVII. *Se gradatim a corporibus ad animam sentientem, inde ad sensum internum, ab hoc ad potentiam ratiocinantem & intelligentiam, ac demum ad cognitionem divinitatis, aliquatenus attigisse.* 285

Cap. XVIII. *Viam ad fruendum Deo, Christum se nobis præbuisse, per humilitatis magisterium.* 288

Cap. XIX. *In Christo se primum excellentis Sapientiæ autoritatem, item corpus & animam, non vero divinitatem agnovisse, quam Christi animam esse Alipius cum Apollinaristis credidit.* 289

Cap. XX. *Ex Platonicorum libris admonitum se esse ad quærendam incorpoream veritatem, non autem ad humilitatem: id sibi profuisse, quod ante Scripturam eos legerit.* 292

Cap. XX. *In Scripturis sanctis reperisse se humilitatem, & salutis viam ignotam Platonicis, qui ostendunt patriam, non viam eo ducentem.* 294

Digitized by Google

INDEX

LIBER VIII.

Denique erroribus omnibus depulsis, consilio Simpliciani, exemplis Victorini, Antonii, duorum magnatum, aliorumque Dei Servorum, inflammatus: post gravem concupiscentiæ luctam, difficilemque deliberationem, voce divina admonitus, lectis S. Pauli verbis ad Rom. 13. vers. 13. & 14. totus ad Deum convertitur, imitante Alipio, matre gratulante.

Cap. I. *De Deo & Fide Catholica certus, sed seculo adhuc ex femina tenaciter colligatus, Simplicianum de vita statu sibi consulendum putavit.* 298

Cap. II. *Simplicianum sibi gratulatum, delectis Platonicorum libris, & illustre exemplum Victorini illorum interpretis, ad persuadendam Christi humilitatem proposuisse.* 302

Cap. III. *Majus gaudium esse inventis, aut redditis, aut periculo ereptis rebus caris, quam si nunquam amissa, aut semper extra periculum fuissent.* 307

Cap. IV. *Conversionem hominum magna auctoritatis qualis erat Victorinus, plus gaudii afferre tum quia multis noti sunt, tum quia exemplo suo prosunt.* 310

Cap. V. *Exarsisse se in imitationem Victorini, sed violentiam concupiscentiæ & pravæ consuetudinis, nondum potuisse superare.* 312

Cap. VI. *Ut Potitianus sibi & Alipio, vitam S. Antonii, ejusque lectione duos ex dulæ Cæsaris conversos, item monasteriorũ greges recensuerit.* 317

Cap. VII. *Hac Potitiani narratione se confusum, quod duodecim annis, contemptum felicitatis terrenæ distulisset, & veritate agnita etiamnum cunctaretur.* 323

Cap. VIII. *In hortum una cum Alipio se discessisse indignantem, quod nondum Deo vellet servire, cum ipsum hoc fortiter velle, sit posse & facere.* 325

Cap. IX. *Ideo statim fieri, quod imperat volun-*

sas corpori, quia ex toto vult; non autem fieri, quod ipsa imperat, quia non ex toto vult. 328

Cap. X. *Contrarias voluntates non duas naturas in homine arguere, sed unam eandemque animam, diversis voluntatibus æstuantem.* 330

Cap. XI. *Imminente puncto Conversionis, se ampliorem sensisse horrorem, retinentibus hinc nugis nugarum, invitantibus inde exemplis plurimorum Dei famulorum.* 334

Cap XII. *Divinæ vocis monitu se incidisse in illud Pauli Rom. 13. v. 11. & 14. Non in comessationibus &c. & totum ad Deum conversum esse, sequente mox Alipio, & matre gratulante.* 338

LIBER IX.

In villam Verecundi abit cum matre, aliisque amicis Professionem Rhetoricæ abdicat; libros varios scribit. Biennio fere elapso Mediolanum redit; ibi cum Alipio, & Adeodato filio, baptizatur. Inde cum Matre, & aliis in Aphricam remeare parat. Matris deinde vitam, & ad ostia Tiberina mortem: suum item luctum gratus Filius, pie & eleganter exequitur.

Cap. I. *Laudat Deum, qui mutavit voluntatem ejus, ut tolleret jugum Christi, & suave ei esset, carere suavitatibus nugarum.* 343

Cap. II. *Abdicationem professionis Rhetoricæ, valetudini quoque necessariam, se in ferias vindemiales vitandæ offensionis causa, distulisse.* 345

Cap. III. *Concessit illis villam Verecundus, cujus, sicut & Nebridii paulo post secutam conversionem, ac utriusque mortem memorat.* 349

Cap. IV. *Cum suis omnibus in villam abit, libros aliquot scribit, Psalmos Davidis legit, ex iis quartum adversus Manichæos explicat, dolore dentium divinitus liberatur.* 353

Cap. V. *Professionem Rhetoricæ Mediolanensibus renuntiat, Ambrosius lectionem Prophetæ Esaiæ illi suadet.* 360

Cap. VI.

Cap. VI. *Mediolanum reversus; una cum filio Adeodato, cujus ingenium mire prædicat, & Alipio baptizatur, ac ingenti solatio perfunditur.* 361

Cap. VII. *Ut populus Mediolanensis Psalmos & Hymnos concineret, institutum est Justina persequente Ambrosium: a quo peractam non sine miraculis translationem SS. Martyrum Gervasii & Protasii, recenset.* 363

Cap. VIII. *Se cum Evodio & aliis pariter in Africam remeasse, Matre ad Ostia Tiberina defuncta, cujus educationem describit, & quomodo a vinolentia liberata sit.* 367

Cap. IX. *Qua mansuetudine ac patientia, Monica ferocem maritum ac socrum mitigarit, quantum item studuerit conciliare dissidentes, & omnibus obsequi.* 372

Cap. X. *Ut cum matre paulo ante ejus mortem de æterna vita, supra omnem creaturam beata, disseruerit, ipsa post filii conversionem longiorem vitam jam non desiderante.* 375

Cap. XI. *Ut S. Monica febribus correpta, solas postulans preces, de sepulcro nihil solicita, die nono ægritudinis corpore soluta sit.* 379

Cap. XII. *Quam acerbum dolorem, etsi invitus in morte ac funere matris senserit.* 382

Cap. XIII. *Consideratione periculorum omnis animæ, quæ in Adam moritur, orat pro matre, idemque ab aliis fieri rogat.* 386

LIBER X.

Ostendit, quibus ad Dei cognitionem gradibus conscenderit; eum inveniri in memoria, cujus mirabilem vim luculenter describit; in Deo solo esse veram beatitudinem, quam omnes appetunt, etsi non omnes legitimis eam quærant mediis. Tum statum præsentem animi sui aperit, & languores triplicis concupiscentiæ.

Cap. I. *Non sola spe gratia divina gaudendum.* 390

Cap. II. *Deo nihil esse occultum, ei se confite-*

ri, ut erubescat de se, & abjiciat se, illum vero eligat. 391
Cap. III. Confessum se coram hominibus, quis fuerit, & preterita mala sua, ut infirmi excitentur ad spem misericordiæ. 392
Cap. IV Confiteri se quoque quis jam sit, ut servi Dei fratres sui, respirent in bonis suis, suspirent in malis suis, Deumque pro se laudent ac orent. 395
Cap. V Deum nosse omnia, quæ sunt in homine, eum vi alia non posse id se scire: de se autem nescire, quibus tentationibus valeat resistere. 398
Cap. VI. Certa conscientia Deum a se amari, dulcem supra omne id quod est sensibile, de eo sibi creaturas corporeas usque ad meliorem iis animam, respondisse singulas: Non sum Deus idemque respondere omnibus recte judicantibus. 399
Cap. VII. Nec vegetativa, nec sensitiva anima vi Deum inveniri, cum utraque brutis sit communis. 405
Cap. VIII Ascendisse se in memoriam suam plenissimam miraculorum, quorum primum est, omnium verum sensibilium imagines, sine rebus ipsis, sine confusione, illa contineri, & cum aliquid cogitandum est, in promptu esse. 406
Cap. IX. Alterum memoriæ miraculum est, retinere præcepta Doctrinarum liberalium, non per imagines, instar rerum sensibilium, sed per seipsas. 410
Cap. X. Doctrinas, cum per nullum sensum possint intrare, ante in animo latuisse; esse autem necessariam alterius veluti admonitionem, ad eas eruendas. 412
Cap. XI. Discere re sensu non perceptibiles, nihil esse aliud, quam ea, quæ in memoria indisposita & abstrusa erant, cogitando quasi colligere, & ordinare. 413
Cap. XII. Numerorum etiam dimensionumque rationes & leges, nec ipsas sensu perceptibiles, memoriæ comprehendi. 414
Cap. XIII. Tertium memoriæ miraculum est, quod non solum actuum suorum meminerit, ve-

Digitized by Google

verum affectionum quoque & perturbationum animi alio longo modo, quam que afficiunt animum. 416

Cap. XIV. *Laros nos tristitia, aliorumque affectuum meminisse, nec tamen eorum perturbationem sentire.* 417

Cap. XV. *Affectus passionesque animi imaginem sui in memoria relinquere.* 419

Cap XVI. *Quarum memoriæ miraculum esse, nos ipsius oblivionis meminisse, quomodo autem id fiat, censes inexplicabile.* 420

Cap. XVII. *Esse tanta sit memoriæ vis, tamen eam quoque transeundam, ut inveniatur Deus, cum in brutis quoque memoria appareat.* 423

Cap. XVIII. *Deum extra memoriam non posse agnosci, adeoque nec inveniri, nihil enim invenimus, nisi quod ex imagine, quam intus tenemus, recognoscimus.* 425

Cap. XIX. *Ipsam memoriam, cum aliquid per oblivionem amittit, non aliter ejus reminisci, quam aliquid simile vel connexum cogitando, quod si omnino aboleatur, nec amissum quæri potest,* 426

Cap. XX. *Cum omnes beatam vitam, quæ solus Deus est, quærant, necesse est eam in memoria ac notitia esse, neque nim amaremus eam, nisi nossemus.* 427

Cap. XXI. *Quia omnes notitiam & experientiam aliquam gaudii habent, & vitam beatam gaudium esse putant, hic omnes illam appetunt, & in memoria recognoscunt.* 430

Cap. XXII. *Non omne gaudium est beata vita, sed gaudere ad Deum, de illo, & propter illum.* 432

Cap. XXIII. *Beatam vitam esse gaudium de veritate, quia Deus veritas est, & quicunque aliud amant, velle, ut hoc quod amant, sit veritas.* 434

Cap. XXIV. *Inveniri Deum in memoria, quia invenitur ibi veritas.* 437

Cap. XXV. *Non inveniri Deum inter imagines rerum corporalium, nec affectuum, & per-*

ſtare ipſo animo, ſunt enim hac omnia mutabilia. 438

Cap. XXVI. *Deum inveniri in ſe ſupra nos, dum veritatem ejus conſulimus, omnibus liquidè reſpondentem.* 439

Cap. XXVII. *Se Deum ſero amaſſe, quia ipſum non intus, ſed foris in creaturis, longe ab ipſo quaſivit.* 441

Cap. XXVIII. *Quod Deo nondum totus inhæreat, indè ſe adhuc jactari tentationibus vitæ humanæ, inter gaudia & mœrores, inter metum adverſitatis & deſiderium proſperitatis.* 442

Cap. XXIX. *In Dei miſericordia ſpem reponens, ab eo petit continentiam.* 445

Cap. XXX. *Confitetur ſe turpibus imaginibus vigilantem quidem non moveri, dormientem tamen illudi, eratque ab hoc malo liberari.* 447

Cap. XXXI. *Alimenta ſicut medicamenta ſumenda, magnum illum eſſe, quiſquis non rapitur aliquantum extra metas neceſſitatis; ſe talem non eſſe.* 450

Cap. XXXII. *Illecebræ odorum ſe non nimis tangi, ſæpe tamen occultos affectus per experientiam manifeſtari.* 455

Cap. XXXIII. *Sacras melodias in Eccleſia potius approbandas quam improbandas, ſe tamen pœnaliter peccare, quoties magis cantu movetur, quam re, quæ canitur.* 456

Cap. XXXIV. *Sacras melodias in Eccleſia potius approbandas quam improbandas, ſe tamen pœnaliter peccare, quoties magis cantu movetur, quam re, quæ canitur.* 456

Cap. XXXIV. *Se crebro implicari ſeductionibus oculorum, in luce Solis, & rebus pulcris ac artificioſis, cum ad pulcritudinem divinam unice ſit aſpirandum.* 459

Cap. XXXV. *Curioſitatem noſtram, quam per concupiſcentiam oculorum intelligi putat, in multis minutiſſimis rebus, quotidie tentari & labi, & hinc orationes ſæpe interrumpi.* 462

Cap. XXXVI. *Dum neceſſarium eſt amari & timeri ab hominibus, facile perſuadet ſuperbia, ut velimus*

mus amari & timeri non propter Deum, sed pro Deo, quo vituperante laus nulla prodest. 467
Cap. XXXVII. *Cum non liceat mala agere, ut laudari non possimus, se hoc solum confiteri posse, quod delectetur laudibus, sed plus veritate, quam laudibus.* 470
Cap. XXXVIII. *In iis, quæ coram aliis fiunt, etiam in ipso contemptu laudis, esse periculum vanæ gloriæ.* 474
Cap. XXXIX. *Timere se id quoque tentationis genus, qua aliqui placent sibi de se, nec placere affectant cæteris, sed invident.* 475
Cap. XL. *Se Deo ducente ac docente perlustrasse omnia, extra & intra se, & horum nihil esse Deum; in eo se, cum potest, delectari, & subinde in affectum inusitatum intromitti.* 476
Cap. XLI. *Confessum se languores suos, Deumque invocasse, quem amiserat, quia volebat eum possidere cum mendacio.* 478
Cap. XLII. *Quosdam quæsivisse reconciliationem cum Deo per Angelos, & illusos a Dæmone, qui est mediator fallax.* 479
Cap. XLIII. *Verax mediator Christus est, in illo se jactasse curam suam, cum meditaretur solitudinem, & considerasse sanguinem ejus, pretium suum.* 481

LIBER XI.

Cap. I. CUr confitemur Deo scienti. 484
Cap. II. Petit liberari a peccato & ab erroribus, & duci ad veram cognitionem. 485
Cap. III. *Creatio cæli & terræ.* 488
Cap. IV. *Creatura clamat creatorem Deum.* 489
Cap. V. *Ex nihilo conditus mundus.* 490
Cap. VI. *Verbo æterno Deus condidit omnia.* 491
Cap. VII. *Filius Dei, verbum patris coæternum.* 492
Cap. VIII. *Verbo Dei docemur in omnibus.* 493
Cap. IX. *Quomodo verbum Dei loquatur cordi.* 494
Cap. X. *Voluntas Dei principium nescit.* 495
Cap. XI. *Æternitas Dei nescit tempora,* 496
Cap. XII. *Quid Deus fecerit ante mundi creationem.* 497

INDEX.

Cap. XIII. *Quod ante tempora a Deo creata, nulla fuerint tempora.* 488
Cap. XIV. *Temporis differentia tres.* 499
Cap. XV. *Mensura temporis in quo.* 500
Cap. XVI. *Quale tempus metiri liceat, & quale non.* 503
Cap. XVII. *Tempus præteritum & futurum ubi sint.* 504
Cap. XVIII. *Quomodo præterita & futura tempora, præsentia sunt.* 504
Cap. XIX. *Quomodo præsciantur futura.* 506
Cap. XX. *Differentia temporum quomodo nominanda.* 507
Cap. XXI. *Quomodo tempus liceat metiri.* 507
Cap. XXII. *Petit ænigmatis solutionem a Deo.* 508
Cap. XXIII. *Quid sit tempus.* 509
Cap. XXIV. *Tempus est, quo metimur motum corporis.* 511
Cap. XXV. *Rursus orat.* 513
Cap. XXVI. *Mensura pedum & syllabarum.* 513
Cap. XXVII. *Quando metimur tempus.* 514
Cap. XXVIII. *Animo metimur tempora.* 518
Cap. XXIX. *Animi extensio.* 519
Cap. XXX. *Quo extendendus animus.* 520
Cap. XXXI. *Quomodo cognoscitur Deus, quomodo creatura.* 520

LIBER XII.

Cap. I. *Difficilis inquisitio veri.* 522
Cap. II. *De duplici cœlo, & terra.* 524
Cap. III. *Tenebræ superfaciem abyssi.* 525
Cap. IV. *Materia prima, Hyle.* 524
Cap. V. *Hyle qualis.* 524
Cap. VI. *Quid senserit aliquando de materia prima, & quid modo.* 525
Cap. VII. *Cœlum terra majus.* 526
Cap. VIII. *Materia prima ex nihilo, ex hac omnia.* 527
Cap. IX. *Cœlum cœli quid.* 528
Cap. X. *Credere scripturis.* 529
Cap. XI. *Quid a Deo didicerit.* 529
Cap. XII. *Creatura duplex.* 532
Cap. XIII. *Creatura spiritualis qualis.* 533

Cap. XIV.

INDEX.

Cap.XIV. *Scripturę profunditas.* 534
Cap.XV. *Quantum interſit inter conditorem, & creata.* 534
Cap.XVI. *Adverſus eos, qui contradicunt veritati divinæ.* 538
Cap.XVII. *Quid cęli, & terra nominibus ſignificatum.* 539
Cap.XVIII. *Quis error innoxius in ſcripturis.* 541
Cap.XIX. *Qua liquido vera.* 542
Cap.XX. *In principio creavit, &c. varie intellectum.* 543
Cap.XXI. *Terra erat inanis, varie intellectum.* 544
Cap.XXII. *Et aqua nomine cęli ac terra ſignificantur.* 546
Cap.XXIII. *A ſenſu ſcripturę aberrare leviùs eſt, quam ſcripturam dicere falſam.* 548
Cap.XXIV. *Verax eſt ſcriptura, etiamſi non intelligitur* 549
Cap XXV. *Obſcuritas Geneſeos.* 550
Cap.XXVI. *Quis ſermo deceat ſcripturam.* 552
Cap.XXVII. *Ex fonte melius haurimus.* 553
Cap.XXVIII. *Vane intelligitur a diverſis Scriptura.* 555
Cap.XXIX. *Quot modis dicitur aliquid prius.* 556
Cap.XXX. *Scrutandę Scripturę cum honore ſcriptoris.* 558
Cap.XXXI. *Veritas, a quocunque dicta, recipienda.* 559
Cap.XXXII. *Veritas revelata.* 560

LIBER XIII.

Cap.I. *Invocat Deum.* 561
Cap.II. *Colimus agrum, & colimus numen: & de ordine creaturarum.* 562
Cap.III. *Ex Dei gratia omnia.* 563
Cap.IV. *Deus non eget rebus conditis.* 564
Cap.V. *Filius principium.* 565
Cap.VI. *Spiritus ſuperfuſus aquis.* 566
Cap.VII. *Effectus ſpiritus.* 565
Cap.VIII. *Spiritus fovens animas infirmas.* 567
Cap.IX. *Cur ſolus ſpiritus feratur ſuper aquas.* 568
Cap.X. *Ex dono Dei omnia.* 569

INDEX.

Cap.XI. *Symbola Trinitatis in homine.* 570
Cap.XII. *Aqua baptismi, per spiritum efficax.* 571
Cap.XIII. *Ex spiritu, remissio peccatorum.* 572
Cap.XIV. *Fide & spe corroboramur.* 573
Cap.XV. *Voce firmamenti scriptura intelligitur.* 574
Cap.XVI. *Deus immutabilis.* 577
Cap.XVII. *Quid arida, Quid mare.* 577
Cap.XVIII. *Orat ut oriatur de terra veritas, & justitia de cœlo respiciat.* 578
Cap.XIX. *Pectus purgandum vitiis, quo capax sit virtutum.* 580
Cap.XX. *Creatio spiritualis virtutum.* 582
Cap.XXI. *Allegorica interpretatio avium, & piscium, & cæterorum animantium.* 584
Cap.XXII. *Renascentia spiritus.* 587
Cap.XXIII. *Christianus de quibus judicet.* 588
Cap.XXIV. *Quare Deus benedixerit homini, & piscibus, & volatilibus, & non aliis creaturis.* 591
Cap.XXV. *Fructus terræ, allegorice sunt officia pietatis.* 594
Cap.XXVI. *Voluptas & utilitas, ex beneficio in proximum collato.* 595
Cap.XXVII. *Quid per pisces & cetos significetur.* 597
Cap.XXVIII. *Valde bona, quare postremo additum* 598
Cap.XXIX. *Dei opera bona perpetua.* 599
Cap.XXX. *In eos quibus opera Dei displicent.* 599
Cap.XXXI. *Piis idem probatur, quod Deo placuit.* 600
Cap.XXXII. *Compendio enarrat opera Dei.* 601
Cap.XXXIII. *Ut omnis creatura laudet creatorem.* 603
Cap.XXXIV. *De ordine & vario fructu Christianæ vitæ.* 603
Cap.XXXV. *Optat pacem.* 605
Cap.XXXVI. *Diem septimum vespera quare non sequatur.* 605
Cap.XXXVII. *Deus in nobis quomodo quiescit.* 605
Cap.XXXVIII. *Aliter Deus, aliter homo videt creata.* 606

NQI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro Intitolato: *S. Aurelii Auguſtini Confeſſionum cum Notis R. P. Henrici Vvangnereck Soc. Jeſu, &c.* non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a Gio: Battiſta Recurti, Stampatore, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 31. Luglio 1722.

(Franceſco Soranzo Proc. Rif.
(Z. Piero Paſqualigo Rif.

Agoſtino Gadaldini Segr.

S. AUGUSTINUS

Libro II. Retractat.

CAP VI.

CONfessionum mearum libri XIII. & de malis, & de bonis meis Deum laudant justum & bonum, atque in eum excitant humanum intellectum & affectum. Interim quod ad me attinet, hoc in me egerunt, cum scriberentur, & agunt cum leguntur. Quid de illis alii sentiant; ipsi viderint. Multis tamen fratribus eos multum placuisse, & placere scio.

A primo usque ad decimum de me scripti sunt. In tribus ceteris de Scripturis sanctis, ab eo, quod scriptum est; In principio fecit Deus cœlum & terram, *usque ad Sabbati requiem.*

Digitized by Google

S. AUR. AUGUSTINI CONFESSIONUM LIBRI TREDECIM.

LIBER I.

Confitetur vitia Infantiæ ac Pueritiæ ſuæ, & pro utriuſque ætatis beneficiis Deo gratias agit.

CAP. I.

Homo a Deo excitatur, ut laudet Deum finem ſuum, quem quærendo invocat, & invocando laudat.

MAGNUS *es Domine, & laudabilis valde, magna virtus* tua, *& ſapientiæ* tuæ *non eſt numerus*. Et laudare te vult homo aliqua portio creaturæ tuæ; & homo circumferens mortalitatem ſuam, circumferens (*a*) teſtimonium peccati ſui, & (*b*) teſtimonium, quia *ſuperbis Deus reſiſtis*; & tamen laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ. Tu excitas, ut laudare te deleƈtet, quia feciſti nos ad te; & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Da mihi Domine ſcire & intelligere, utrum ſit (*c*) prius, invocare te, an laudare te: & ſi ſcire te prius ſit, an invocare te.

Pſ.144. 31. Pſ.146. 5. Jac.4.6.

2. Sed, quis te invocat, neſciens te? aliud enim pro alio poteſt invocare, ne-

Digitized by Google

ſciens te. An potius invocaris, ut ſciaris? *Quomodo* autem *invocabunt, in quem non crediderunt?* aut quomodo credent, ſine prædicante? *& laudabunt Dominum, qui requirunt eum?* Quærentes enim, invenient eum, & invenientes laudabunt eum. Quæram te Domine, invocans te; & invocem te credens in te; prædicatus es enim nobis. (*d*) Invocat te Domine fides mea, quam dediſti mihi; quam inſpiraſti mihi, per humanitatem filii tui, per miniſterium prædicatoris tui.

Rom. 10. 14. *Iſ.* 21. 27.

NOTÆ.

(a) *Teſtimonium peccati ſui*) id eſt concupiſcentiam, ſive *legem membrorum captivantem nos in lege peccati*, quæ teſtatur nos eſſe filios Adæ & natos in peccato originali, cujus effectus eſt rebellio carnis & ſenſuum contra ſpiritum.

Rom. 7. 23.

(b) *Teſtimonium, quia ſuperbis reſiſtis*) intelligit idem peccatum originale, ejuſque effectus miſerabiles, ignorantiam, concupiſcentiam, infirmitatem, malitiam, item mala corporis, mortem, morbos, famem, ſitim, frigus, æſtum, &c. quæ omnia teſtimonium dicunt nos eſſe filios Adæ & Evæ, qui peccaverunt ſuperbe violando præceptum Dei, *& appetendo ejus ſimilitudinem, quantum ad ſcientiam boni & mali, quam ſerpens promiſit, ſed non præſtitit*, qua ſuperbia nos præcipitarunt in has miſerias, ob quas ſuſpiramus in hac lacrymarum valle.

S. Th. 1. 2. *q.* 85. *a.* 3. *S. Th.* 1. 1. *q.* 89. *a.* 3. *ad* 2. *& q.* 163. *a.* 2.

(c) *Prius invocare te, an laudare te*) Invocare & laudare ordinem non habent, ſed mutuo permiſcentur. Scire autem Deum per lumen naturæ, aut fidei, prius eſt quam invocare. Invocans enim aliquid deſiderat, deſiderium autem ſupponit cognitionem. Invocatur ergo Deus cognitus imperfecte, ut cognoſcatur perfectius per lumen fidei, ſcien-

Digitized by Google

ſcientiæ, contemplationis, & ut ameturperfectius.

(d) *Invocat te Domine fides mea*) dicitur fides invocare & impetrare, quia monſtrat Deum, qui rogandus eſt, & ea quæ petenda ſunt, & noſtras neceſſitates, quæ movent ad orandum.

USUS.

1. Ponit ob oculos Finem ultimum, qui eſt Deus. Primum hoc eſt principium vitæ Chriſtianæ: *Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Imitatus eſt S. Auguſtinum S. Ignatius, qui idem Exercitiorum ſuorum Fundamentum poſuit: *Creatus eſt homo ad hunc finem, ut Dominum, Deum ſuum laudet ac reverearur, eique ſerviens tandem ſalvus fiat.* In Fund. lib. Exer.

2. Incitat ad odium peccat., præcipue Superbiæ. Quot mala hujus vitæ ſunt, tot ſunt teſtimonia Deum eſſe hoſtem & vindicem peccati, præcipue Superbiæ; humiliemur itaque & fugiamus peccatum, cujus malitia tot teſtibus convicta eſt, quot ſunt dolores noſtri & ſuſpiria.

3. Admonemur, ut per Orationem petamus a Deo gratiam, finem noſtrum conſequendi, quia ſine Deo ad Deum pervenire non poſſumus. Hinc S. Aug. ſtabilito fine hominis, mox de invocando Deo, ſive orando diſſerit.

CAP. II.

Invocamus Deum, ut veniat in nos, etſi ſecundum eſſe ſuum ſit in omnibus, & omnia in ipſo.

1. ET quomodo invocabo DEUM meum, Deum & Dominum meum? Quoniam utique (*a*) in meipſum eum vocabo, cum invocabo eum. Et quis locus eſt in me, qnò veniat in me

Digitized by Google

Deus meus? quo Deus veniat in me, Deus qui fecit cœlum & terram? Itane Domine Deus meus, eſt quicquam in me, quod capiat te? An vero cœlum & terra, quæ feciſti, & in quibus me feciſti, capiunt te?

2. An quia ſine te non eſſet, quicquid eſt: fit, ut quicquid eſt, capiat te? Quoniam itaque & ego ſum, quid peto, ut venias in me, qui non eſſem, niſi eſſes in me? Non enim ego jam in inferis, *Pſ.* 138. 8. & tamen etiam ibi es; nam, etſi *deſcendero in infernum, ades*. Non ergo eſſem Deus meus, (*b*) non omnino eſſem, niſi eſſes in me. An potius non eſſem, *Rom.* 11. 36. niſi eſſem in te: *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*? Etiam ſic Domine, etiam ſic. Quo te invoco, cum in te ſim? Aut unde venias in me? Quo enim recedam extra cœlum & terram, *Jer.* 23. 24. ut inde in me veniat Deus meus, qui dixit: *Cœlum & terram ego impleo*?

NOTÆ.

(a) *In meipſum eum vocabo*) Invocare utrumque ſignificat, & implorare alicujus opem, & illum intro vocare. In orando Deo utrumque conjungitur, hoc enim ipſo, quia illum imploramus, ſimul vocamus intro, ut veniat in cor noſtrum per ſuam gratiam.

(b) *Non omnino eſſem, niſi eſſes in me*) ex ipſa Dei immenſitate recte ſequitur, Deum eſſe in omnibus creaturis ſuis; adeoque eſſe merum nihil, quidquid non eſt in Deo, velut piſciculus in immenſo mari, & in quocunque non eſt Deus, velut mare penetrans piſciculum.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

Deus continendo omnia implet omnia, totus ubique præsens in omnibus creaturis.

1. (a) CApiunt ergone te cœlum & tetra, quoniam tu imples ea? An imples, & restat, quoniam non te capiunt? Et quo refundis, quicquid impleto cœlo & terra restat ex te? An non opus habes, ut a quoquam continearis, qui contines omnia: quoniam (b) quæ imples continendo imples? Non enim vasa quæ te plena sunt, stabilem te faciunt: quia etsi frangantur, non effunderis. Et cum effunderis super nos, non tu jaces, sed erigis nos: nec tu dissiparis, sed colligis nos.

2. Sed qui imples omnia, te toto imples omnia? An quia non possunt te totum capere omnia, partem tui capiunt, & eandem partem simul omnia capiunt? An singulas singula, & majores majora, minores minora capiunt? Ergo est aliqua pars tua major, aliqua minor? An ubique totus es, & res nulla te totum capit?

NOTÆ.

(a) *Capiunt ergone te Cœlum & terra*) non solum totus mundus, sed quævis creatura usque ad minimum pulviſculum & atomum capit Deum totum, ita ut non plus substantiæ divinæ sit præsens in corpore Elephanti, quam muscæ, quia Deus est Spiritus indivisibilis carens partibus, non mole, sed virtute magnus. Nec cælum, nec ter-

ra, nec ulla creatura capiunt, ſive circumſcribunt Deum, quia ſic eſt totus in ſingulis, ut ſit totus in omnibus, & ſi infiniti mundi eſſent, millecuplo majores, eo quoque immenſitatem ſuam extenderet.

(b) *Qua imples continendo imples*) id eſt conſervando, ſuſtentando, dando vim ac robur, cum contra res contentæ a vaſis ſoleant conſervari ac ſtabiliri, ne diffluant, ut apparet in vino, aqua, aliiſque liquoribus.

USUS CAP. II. ET III.

Pro memoria præſentiæ divinæ excitanda iſta ſervient. Si enim Deus in me, & ego in Deo; ſi nihil eſt in cœlo & in terra, quod non implet Deus, aut injuria eſt, aut negligentia, obliviſci Dei ubique præſentis, eumque non revereri ubique juſtum, & non amare ubique bonum.

CAP. IV.

Plurimorum attributorum divinorum enumeratione immenſam Dei bonitatem ob oculos ponit.

Pſ. 17. 32. 1. QUid es ergo, Deus meus? Quid rogo, niſi Dominus Deus? *Quis enim Deus, præter Dominum? aut quis Deus, præter Deum noſtrum?* Summe, optime, potentiſſime, omnipotentiſſime, miſericordiſſime & juſtiſſime, [a] ſecretiſſime, & præſentiſſime; pulcherrime & fortiſſime; ſtabilis & incomprehenſibilis; immutabilis, mutans omnia, [b] nunquam novus, nunquam vetus; [c] innovans omnia, & in vetuſtatem perducens ſuperbos, & neſciunt; (d) ſemper agens, ſemper quietus; colligens, & non egens; por-

portans, & implens, & protegens; creans, & nutriens, & perficiens, quærens cum nihil desit tibi.

2. Amas, nec æstuas, zelas, & securus es, pœnitet te, & non doles, irasceris, & tranquillus es, opera mutas, nec mutas consilium, (e) recipis quod invenis, & nunquam amittis, nunquam inops, & gaudes lucris, nunquam avarus, & usuras exigis, (f) supererogatur tibi, ut debeas, & quis habet quicquam non tuum? reddis debita, nulli debens, donas debita, nihil perdens. Et quid dicimus, Deus meus, vita mea, dulcedo mea sancta? Aut quid dicit aliquis, cum de te dicit? Et væ tacentibus de te, quoniam loquaces, muti sunt.

NOTÆ.

(a) *Secretissime*) propter occultam & ignotam oculis divinitatem, (*& præsentissime*) propter immensitatem, de qua ante.

(b) *Nunquam novus*) per inceptionem, (*nunquam vetus*) per senectutem & vigoris amissionem.

(c) *Innovans omnia*) per creationem, conservationem, gratiam (*& in vetustatem perducens superbos*) auferendo illud de quo superbiunt, & reddendo contemptibiles propter ipsam superbiam, (*& nesciunt*) non advertunt.

(d) *Semper agens*) res producendo, conservando, perficiendo, (*semper quietus*) absque perturbatione, fatigatione, distractione. Quo modo sequentia quoque intellige; est enim in Deo Zelus, Amor, Ira, absque perturbatione, per simplicem actum voluntatis.

(e) *Recipis quod invenis &c.*) explicat S. D. his & sequentibus verbis amorem, quo Deus nostras quærit animas, & nostra re-

muneratur opera, non egens bonorum noſtrorum, idque per metaphoras a ſtudio divitiarum defumptas.

(f) *Supererogatur tibi, ut debeas*) ſupererogare eſt aliquid ultra debitum dare. Unde Theologi vocant opera ſupererogationis, quæ non ſunt præcepta, nec debita ex obligatione, cum tamen & ipſa fiant auxilio gratiæ, hinc Deus illa remunerans, dona ſua coronat.

CAP. V.

Salutis deſiderio Deum invocat, ut per gratiam veniat in domum animæ ſuæ, eamque mundet.

1. QUis mihi dabit, acquieſcere in te? Quis mihi dabit, ut venias in cor meum, & inebries illud; ut obliviſcar mala mea, & unum bonum meum amplectar te? Quid mihi es? Miſerere, ut loquar. Quid tibi ſum ipſe, ut amari te jubeas a me, & niſi faciam, iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? Parva ne ipſa eſt, ſi non amem te? Hei mihi: Dic mihi per miſerationes tuas, Domine Deus meus, quid ſis mihi. *Dic anima meæ: Salus tua ego ſum.* Sic dic, ut audiam. Ecce aures cordis mei ante te Domine, aperi eas, & *dic animæ meæ: Salus tua ego ſum.* Curram poſt vocem hanc, & apprehendam te. Noli abſcondere a me faciem tuam: moriar, ne moriar, ut eam videam. Pſ. 34. 3.

2. Anguſta eſt domus animæ meæ, quo venias ad eam, dilatetur abs te. Ruinoſa eſt, refice eam. Habet, quæ offendant

dant oculos tuos, fateor, & scio. Sed quis mundabit eam? Aut cui alteri, præter te, clamabo? *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.* Credo, *propter quod & loquor*, Domine tu scis. *Nonne tibi prolocutus sum adversum me delicta mea, Deus meus, & tu dimisisti impietatem cordis mei?* Non judicio contendo tecum, qui veritas es: & ego nolo fallere meipsum, *ne mentiatur iniquitas mea sibi*. Non ergo judicio contendo tecum: quia *si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?*

Ps. 18. 19. *Ps.* 115. 1. *Psal.* 31. 5. *Ps.* 26. 12. *Ps.* 129. 3.

USUS CAP. IV. ET V.

1. Ad amorem Dei ac fervorem in studio pietatis conducit, illa divinorum attributorum conglobatio; ne pœniteat nos esse creatos ad gloriam tam boni Domini, cui nullus alius potest comparari, & ut pudeat negligentiæ, qua in obsequiis immensæ bonitatis sumus tam mali ac tepidi.

2. Humilitas poterit colligere oppositas suas miserias & imperfectiones, quæ pugnant cum his attributis.

3. Cap. VI. continet utilissimam precationem tempore tepiditatis; certe nisi Deus habitet in domo cordis nostri, nos non habitabimus in domo Æternitatis beatæ.

CAP. VI.

Agnoscit Deum immutabilem & æternum conditorem suum, eumque laudat de infantia & beneficio lactis, motusque infantiles explicat.

1. SEd tamen sine me loqui apud misericordiam tuam, me terram &

cinerem. Sine me tamen loqui, quoniam ecce miſericordia tua eſt: non homo irriſor meus, cui loquor. (*a*) Et tu fortaſſe irrides me, ſed converſus miſereberis mei. Quid enim eſt, quod volo dicere, Domine Deus meus, niſi quia neſcio, unde venerim huc, in iſtam dicam mortalem vitam, an mortem vitalem, neſcio? Et ſuſceperunt me conſolationes miſerationum tuarum, ſicut audivi a parentibus carnis meæ, ex qua & in qua formaſti me in tempore; non enim ego memini. Exceperunt ergo me conſolationes lactis humani. Nec mater mea, vel nutrices meæ, ſibi ubera implebant, ſed tu Domine mihi dabas per eas alimentum infantiæ, ſecundum inſtitutionem tuam, & divitias (*b*) uſque ad fundum rerum diſpoſitas. Tu etiam mihi dabas nolle amplius, quam dabas, & nutrientibus me, velle mihi dare, quod eis dabas. Dare enim mihi per ordinatum affectum volebant, quo ex te abundabant. (*c*) Nam bonum erat eis, bonum meum ex eis, quod non ex eis, ſed per eas erat. Ex te quippe, bona omnia Deus, & ex Deo meo, ſalus mihi univerſa. Quod animadverti poſtmodum, clamante te mihi per hæc ipſa, quæ tribuis intus & foris. Nam tunc ſugere noram, & acquieſcere delectationibus, flere autem offenſiones carnis meæ, nihil amplius. Poſt hæc & ridere cœpi, (*d*) dormiens primo, deinde vigilans. Hoc enim de me mihi indicatum eſt, & credidi, quoniam ſic videmus & alios infantes; nam iſta mea non memini.

2. Et

Digitized by Google

2. Et ecce paulatim ſentiebam, ubi eſſem, & voluntates meas volebam oſtendere eis, per quos implerentur; & non poteram, quia illæ intus erant, foris autem illi, nec ullo ſuo ſenſu, valebant introire in animam meam. Itaque jactabam membra & voces, ſigna ſimilia voluntatibus meis, pauca quæ poteram, qualia poteram, non enim erant veriſimilia. Et cum mihi non obtemperabatur, vel non intellecto, vel ne obeſſet, indignabar non ſubditis majoribus, & liberis non ſervientibus, & me de illis flendo vindicabam. Tales eſſe infantes didici, quos diſcere potui, & me talem fuiſſe magis mihi ipſi indicaverunt, non ſcientes, quam ſcientes nutritores mei. Et ecce, infantia mea olim mortua eſt, & ego vivo. Tu autem Domine, qui & ſemper vivis, & nihil moritur in te: quoniam ante primordia ſeculorum, & ante omne, quod vel ante dici poteſt, tu es, & Deus es, Dominuſque omnium, quæ creaſti. (*e*) Et apud te rerum omnium inſtabilium ſtant cauſæ: & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines: & omnium irrationabilium & temporalium ſempiternæ vivunt rationes. Dic mihi ſupplici tuo Deus, & miſericors miſero tuo, dic mihi, utrum alicui jam ætati meæ mortuæ ſucceſſerit infantia mea, an illa eſt, quam egi intra viſcera matris meæ? Nam & de illa mihi nonnihil indicatum eſt, & prægnantes ipſe vidi feminas.

3. Quid etiam, ante hanc dulcedo mea, Deus meus? Fui ne alicubi, aut

aliquis? Nam quis mihi dicat iſta, non habeo, nec pater nec mater potuerunt, nec aliorum experimentum, nec memoria mea. An irrides me iſta quærentem te, qui de hoc, quod novi, laudari te a me jubes, & confiteri me tibi? Confiteor tibi Domine cæli & terræ, laudem dicens tibi de primordijs & infantia mea, quæ non memini, & dediſti ea homini, ex aliis de ſe conjicere, & auctoritatibus etiam muliercularum, multa de ſe credere. Eram enim, & vivebam etiam tunc, & ſigna, quibus ſenſa mea nota aliis facerem, jam in fine infantiæ quærebam. Unde hoc tale animal, niſi abs te Domine? An quiſquam ſe faciendi erit artifex? (*f*) Aut ulla vena trahitur aliunde, qua eſſe & vivere currat in nos: præterquam quod tu facis nos Domine, cui eſſe & vivere, non aliud atque aliud eſt: quia ſumme eſſe, atque ſumme vivere, idipſum es? Sumnius enim es, & non mutaris; (*g*) neque peragitur in te hodiernus dies, & tamen in te peragitur, quia in te ſunt & iſta omnia. Non enim haberent vias tranſeundi, niſi contineres ea. Et quoniam *anni tui non deficient*, anni tui hodiernus dies. Et quam multi jam dies noſtri & patrum noſtrorum, per hodiernum tuum tranſierunt; & ex illo acceperunt modos, & utcunque extiterunt: & tranſibunt adhuc alij, & accipient, & utcunque exiſtent. *Tu autem idem ipſe es*: & omnia craſtina atque ultra, omniaque heſterna, & retro, hodie facies, hodie feciſti. Quid ad me? Si quis non intelli-

Pſ. 101. 28.

git,

git, gaudeat & ipſe, dicens: Quid eſt hoc? Gaudeat etiam ſic, & amet non inveniendo invenire potius, quam inveniendo non invenire te.

NOTÆ.

(a) *Et tu fortaſſe irrides me*) irriſio Dei eſt vis divinæ ſapientiæ, qua Deus noſtram vilitatem, vanitatem, ignorantiam cognoſcit, & tanti æſtimat, quanti eſt. Dicitur riſus, quia rerum ludicrarum & inanium, v. g. pumilionum, felium, murium pugnantium aſpectus riſum in nobis excitat, & talia ſunt omnia humana in oculis divinis. *V. S. D. in Pſ. 8.*

(b) *Uſque ad fundum rerum*) ideſt ad poſtremam & infimam creaturam, quæ ſit veluti fundum univerſi; in omnibus enim, etiam minimis, ſapientiam, & divitias potentiæ ſuæ magnus Deus oſtendit.

(c) *Nam bonum erat eis bonum meum ex eis &c.*) dum lacte ſuo filios nutriunt matres, ſe ipſas nimia ejus copia liberant, (*Quod non ex eis, ſed per eas erat*) ſupra quoque dixit, Deum impleviſſe ubera, quia etſi naturali facultate fœminæ lac gignant, id tamen naturalier, non libere faciunt, nec cognoſcunt, quod faciunt. Quo pacto mater Machabeorum dixit. *Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis, neque enim ego ſpiritum & animam donavi vobis & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi &c.* 2 *Macha.* c. 7. 22.

(d) *Dormiens primo, deinde vigilans*) Ariſtoteles conſentit, qui dicit infantes primis 40 diebus majorem partem dormire, neque ridere, neque lacrymari, dum vigilant: quamvis in ſomno utrumque faciant. Cum vero Sapiens dicit: *primam vocem emiſi plorans*, non de lacrymis, ſed de vagitu accipiendus eſt teſte Lorino. *l. 7. de hiſt. anim. c. 10.* *Sap. 8. V. 3.*

(e) *Apud te rerum omnium inſtabilium ſtant cauſæ, &c.*) Rerum mortalium & corruptibilium in ſe cauſa eſt varia, ortus incertus, conditio caduca. In divina vero

Sa-

Sapientia hæc omnia, tanquam in exemplari infallibili, perfecte ſunt diſpoſita abſque ullo errore: & in divinæ Voluntatis decreto immutabiliter definitum eſt, quomodo, quando, ubi ſingula fieri debeant. Quare etſi res corruptibiles in ſe durare diu non poſſint, in exemplari tamen & decreto divino immortaliter vivunt, quia Sapientia & voluntas Dei, idem eſt, quod Deus. Ad hunc fere modum flumen ſtat immobile in picta imagine, & amicus mortuus vivit in amici memoria.

(*f*) *Aut ulla vena trahitur aliunde*) ut omnia corporis membra venas & ſanguinem trahunt a corde, quod eſſe principium venarum & ſanguinis cenſuit Ariſtoteles, ita S. D. hac metaphora admonet, in nos omnem eſſentiam ac vitam derivari a Deo, qui eſt veluti cor totius univerſi, omnia creaturis impertiens, nihil ab illis accipiens.

animal. l. 3. c. 4. & de reſpira. cap. 8.

(*g*) *Neque peragitur in te hodiernus dies*) Æternus Deus producit tempora, nec viciſſitudine temporum mutatur ut homo, qui alius eſt heri, alius hodie, identidem aliquid amittens, vel acquirens, vel mutans. Eſt ergo æternitas Dei inſtar firmiſſimæ rupis, quæ flumen ingens profundit, nec tamen cum illo labitur. aut circumvolvitur. Ita æternitas præſcribit modum, fluxum, ac terminum omni tempori, nec tamen venit, vel abit cum illo, ſemper immutabilis. Non ergo paragitur in Deo hodiernus dies, quia nihil in ipſo cum dle mutatur aut tranſit, & tamen peragitur in illo, quia in mente divina ſunt omnia etiam tranſitoria, tanquam in ſuo exemplari expreſſa, dimenſa, & definita,

U S U S.

1. Cognitio ſui & Dei hinc juvatur. Homo aliquando non fuit, Deus ab æterno fuit. Homo omnia a Deo accepit. Deus nihil ab illo. Homo mutabilis tranſit cum tempore.

Deus

Deus immutabilis & æternus eſt. Se ergo deſpiciat, Deum æſtimet.

2. Gratitudo incitatur, ut pro beneficiis creationis, & infantiæ, quæ neſcientes, nec intelligentes accepimus, jam ſcientes & intelligentes gratias tanto benefactori referamus.

CAP. VII.

Infantiam quoque obnoxiam inordinatis affectibus, eamque vitæ vix annumerandam eſſe.

1. EXAUDI Deus: Væ peccatis hominum. Et homo dicit hæc, & miſereris ejus: quoniam tu feciſti eum, & peccatum non feciſti in eo. Quis mihi commemorat (*a*) peccatum infantiæ meæ? Quoniam nemo mundus a peccato coram te, nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram. Quis mihi commemorat? An quilibet tantillus nunc parvulus, in quo video, quod non memini de me? Quid ergo tunc peccabam? An quia uberibus inhiabam plorans? Nam ſi nunc faciam, non quidem uberibus, ſed eſcæ congruenti annis meis ita inhians, deridebor atque reprehendar juſtiſſime. Tunc ergo reprehendenda faciebam: ſed quia reprehendentem intelligere non poteram, nec mos reprehendi me, nec ratio ſinebat. Nam extirpamus & ejicimus iſta creſcentes. Nec vidi quemquam ſcientem, cum aliquid purgat, bona projicere. An pro tempore etiam illa bona erant, flendo petere, etiam quod noxie daretur: indignari acriter non

ſub-

ſubjectis hominibus liberis, & majoribus, hiſque a quibus genitus eſt: multiſque præterea prudentioribus, non ad nutum voluntatis obtemperantibus, feriendo nocere niti, quantum poteſt, quia non obeditur imperiis, quibus pernicioſe obediretur? Ita imbecillitas membrorum infantilium innocens eſt, non animus infantium. Vidi ego, & expertus ſum zelantem parvulum, nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aſpectu collactaneum ſuum.

2. Quis hoc ignorat? Expiare ſe dicunt iſta matres atque nutrices, neſcio quibus remediis. Niſi vero & iſta innocentia eſt, in fonte lactis ubertim manante atque abundante, opis egentiſſimum, & illo adhuc uno alimento vitam ducentem, conſortem non pati. Sed blande tolerantur hæc, non quia nulla vel parva, ſed quia ætatis acceſſu peritura ſunt. Quod licet probes, tamen ferri æquo animo eadem ipſa non poſſunt, quando in aliquo annoſiore deprehenduntur. Tu itaque Domine Deus meus, qui dediſti vitam infanti, & corpus (quod ita ut videmus, inſtruxiſti ſenſibus, compegiſti membris, figura decoraſti, proque ejus univerſitate atque incolumitate, omnes conatus animantis inſinuaſti) jubes me laudare te in iſtis
Pſ. 91. 1. *& confiteri tibi, & pſallere nomini tuo Altiſſime*. Quia Deus es omnipotens & bonus, etiam ſi ſola iſta feciſſes: quæ nemo alius poteſt facere, niſi tu une, a quo eſt omnis modus, formoſiſſime, qui formas omnia, & lege tua ordinas omnia.

3. Hanc

3. Hanc ergo ætatem Domine, qua me vixiſſe non memini, de qua aliis credidi, & quam me egiſſe, ex aliis infantibus conjeci [quanquam iſta multum fida conjectura ſit] piget me annumerare huic vitæ meæ, qua vivo in hoc ſeculo. Quantum enim attinet ad oblivionis meæ tenebras, par illi eſt, qua vixi in matris utero. Quod ſi & *in iniquitate conceptus ſum, & in peccatis me mater mea in utero* aluit, ubi oro te Deus meus, ubi Domine ego ſervus tuus, ubi aut quando innocens fui? Sed ecce omitto illud tempus. Et quid mihi jam cum eo eſt, cujus nulla veſtigia recolo? Pſ. 50. 7.

N O T Æ.

(a) *Peccatum infantiæ meæ &c.*) Recenſet S. D. inordinatos infantium motus, iræ præcipue & indignationis, eoſque peccati nomine condemnat Sed proprie peccata non eſſe, certum eſt ob defectum rationis & liberi arbitrii, quod nullum infantes habent, ut alibi docet S. D. Quare non magis peccant, quam dormientes, cum inordinatum aliquid perpetrant. Neque S. D. aliter ejuſmodi infantium actus peccata appellare cenſendus eſt, quam 1. quia ſunt effectus peccati originalis, nam in ſtatu innocentiæ nec in infantibus, nec in adultis dormientibus ejuſmodi motus indecentes futuros veriſimile putat Suar. hoc modo concupiſcentia ſæpe appellatur peccatum, effectus nomine cauſæ. 2. Quia hi motus ſunt ſemina peccatorum, ſi accedente uſu rationis non cohibeantur. Unde ſubdit S.D. *nos extirpare & ejicere iſta creſcentes*, reſecando, quod ſuperfluum & vitioſum eſt, retinendo quod rationi congruum, nempe paſſiones animi moderatas, ad virtutis & vitæ uſum aptas. Et ſane verum eſt: *neminem ſcientem, cum aliquid purgat, bona proji-cere.* *Serm. 8. de Verb. Apo.* *l. 5. de opere 6. dierum c. 8. n. 24.*

cere. Unde errarunt Stoici, qui paſſiones non moderandas tantum, ſed radicitus evellendas putabant.

USUS.

1. Gratias agere Deo hinc decet, quod infantilibus miſeriis nos ſupervivere voluerit, & agnoſcere ac laudare Dominum, qui tanta beneficia dedit nec ſcientibus.

2. Quandoquidem oblivio & ignorantia infantiles annos abſorpſit, adhæc media fere vitæ pars etiamnum ſomno abſumitur, vel hinc accendi nos par eſt, ad fervorem in divino obſequio, ut compenſemus geminato ſtudio hanc dimidiæ vitæ jacturam, cujus ſingula momenta Deo innumeris nominibus debemus.

CAP. VIII.

Quomodo ingreſſus pueritiam deſiderio patefaciendi ſenſa cordis, loqui didicerit ex obſervatione loquentium.

1. NOnne (*a*) ab infantia huc pergens, veni in pueritiam, vel potius ipſa in me venit, & ſucceſſit infantiæ? Nec diſceſſit illa, quo enim abiit? & tamen jam non erat. Non enim eram infans, qui non farer, ſed jam puer loquens eram. Et memini hoc, & unde loqui didicerim, poſt adverti. Non enim docebant me majores homines, præbentes mihi verba certo aliquo ordine doctrinæ, ſicut paulo poſt literas. Sed ego ipſe mente, quam dediſti mihi Deus meus, cum gemitibus & vocibus variis, & variis membrorum motibus, edere vellem ſenſa cordis mei, ut

ut voluntati parerentur : nec valerem , quæ volebam omnia : nec quibus volebam omnibus : prenſabam memoria , cum ipſi appellabant rem aliquam , & cum ſecundum eam vocem corpus ad aliquid movebant , videbam , & tenebam hoc ab eis vocari rem illam , quod ſonabant , cum eam vellent oſtendere .

2. Hoc autem eos velle , ex motu corporis aperiebatur , (*b*) tanquam verbis naturalibus omnium gentium , quæ fiunt vultu & nutu oculorum , ceterorumque membrorum actu , & ſonitu voeis indicante affectionem animi in petendis , habendis , rejiciendis , faciendiſve rebus . Ita verba in variis ſententiis locis ſuis poſita , & crebro audita , quarum rerum ſigna eſſent , paulatim colligebam , meaſque jam voluntates [*c*] edomito in eis ſignis ore , per hæc enunciabam . Sic cum his , inter quos eram , voluntatum enunciandarum ſigna communicavi , & vitæ humanæ procelloſam ſocietatem altius ingreſſus ſum , pendens ex parentum autoritate , nutuque majorum hominum .

NOTÆ.

(*a*) *Ab Infantia*) Sex gradus ætatis ſunt teſte Iſidoro. 1. eſt Infantia dicta a non fando , finitur anno ſeptimo. 2. Pueritia , quaſi ætas pura , abſolvitur anno decimo quarto. 3. Adoleſcentia ad gignendum adulta , porrigitur uſque ad annum vigeſimum octavum. 4. Juventus omnium ætatum firmiſſima & juvando ſe ac illos idonea , clauditur anno quinquageſimo. 5. Gravitas , ſive ætas ſenioris , media inter juventutem & ſenectutem , quam Græci πρεσβύτων vocant , anno ſeptuageſimo terminatur. *l. 11. orig. cap. 2.*

tur. 6. Senectus terminum mortem habet, incerto annorum numero.

(b) *Tanquam verbis naturalibus*) ita adnutus capitis aſſenſum, abnutus diſſenſum, frons contractior triſtitiam & iram, expor-recta lætitiam & benevolentiam, gemitus dolorem, riſus hilaritatem ſignificat. Ex his ſignis quid velint majores, colligunt infantes.

(c) *Edomito in eis ſignis ore*) id eſt ſuperatam balbutio lallantis & offenſantis linguæ, quæ initio ægre verba format, & inſtar indomiti equi conatui loquentis reſiſtit.

U S U S.

1. Admiratio divinæ Sapientiæ merito naſcitur, ex tam mirabili nativæ linguæ magiſterio, dum infans per inſtinctum ab autore naturæ inſitum, loqui addiſcit, nullo alio Magiſtro, niſi Deo, ut clare explicat S. D.

2. Rectus linguæ uſus diligenter curandus, ut nihil contra ejus honorem & voluntatem loquamur, qui *linguas noſtras in* Infantia *facit diſertas*. Perſolvamus hoc. Minerval optimo Magiſtro, qui ſine labore, parvo tempore nos loqui docuit, nec male utamur tanto ejus beneficio & artificio.

Sap. 10. *V.* 21.

C A P. IX.

Quanto affectu Deum, quem noſſe cœperat, rogaverit, ne in Scholis vapularet: & quomodo majores riſerint plagas ipſius.

1. DEUS Deus meus, quas ibi miſerias expertus ſum, & ludificationes, quandoquidem recte vivere mihi puero id proponebatur, obtempera-

rare monentibus: ut in hoc ſeculo florerem, & excellerem linguoſis artibus, ad honorem hominum, & falſas divitias famulantibus. Inde ad ſcholam datus ſum, ut diſcerem literas, in quibus, quid utilitatis eſſet, ignorabam miſer: & tamen, ſi ſegnis in diſcendo eſſem, vapulabam. Laudabatur enim hoc a majoribus. Et multi ante nos vitam iſtam agentes, præſtruxerant ærumnoſas vias, per quas tranſire cogebamur, multiplicato labore & dolore filiis Adam:

2. Invenimus autem Domine homines rogantes te, & didicimus ab eis, ſentientes re, ut poteramus, eſſe magnum aliquem; qui poſſes etiam, non apparens ſenſibus noſtris, exaudire nos, & ſubvenire nobis. Nam puer cæpi rogare te, auxilium & refugium meum, & in tuam invocationem, rumpebam nodos linguæ meæ: & rogabam te parvus non parvo affectu ne in ſchola vapularem. Et cum me *non exaudiebas*, quod *non erat ad inſipientiam mihi*, ridebantur a majoribus hominibus, atque ab ipſis parentibus, qui mihi accidere mali nihil volebant, plagæ meæ, magnum tunc & grave malum meum. Eſt ne quiſquam Domine tam magnus animus, prægrandi affectu tibi cohærens? eſt ne inquam quiſquam (facit enim hoc quædam etiam ſtoliditas) eſt ergo, qui tibi pie cohærendo, ita ſit affectus granditer: ut equuleos, & ungulas atque hujuſcemodi varia tormenta, pro quibus effugiendis, tibi per univerſas terras, cum timore magno ſupplicatur, ita parvi æſtimet: *Pſ.21.3.*

Digitized by Google

met : irridens eos, qui hæc acerbiſſime formidant, quemadmodum parentes noſtri ridebant tormenta, quibus pueri a magiſtris affligebamur ? Non enim aut minus ea metuebamus, aut minus te de his evadendis deprecabamur, & peccabamus tamen minus ſcribendo, aut legendo, aut cogitando de literis, quam exigebatur a nobis.

3. Non enim deerat Domine memoria vel ingenium, quæ nos habere voluiſti pro illa ætate ſatis, ſed delectabat nos ludere, & vindicabatur in nos ab eis, qui talia utique agebant. Sed majorum nugæ, negocia vocantur : puerorum autem talia cum ſint, puniuntur a majoribus : & nemo miſeratur pueros vel illos, vel utroſque. Niſi vero approbet quiſquam bonus rerum arbiter vapulaſſe me, quia ludebam pila puer : & eo ludo impediebar, quo minus celeriter diſcerem literas, quibus major deformius luderem. Haud aliud faciebat idem ipſe, a quo vapulabam, qui ſi in aliqua quæſtiuncula a condoctore ſuo victus eſſet, magis bile atque invidia torquebatur, quam ego, cum in certamine pilæ a colluſore meo ſuperabar.

NOTÆ.

(a) *Ærumnoſa vias*) diſcendi artes ; labor enim Studiorum puerilium & moleſtia tanta eſt, ut vix quiſquam eam ſubiret, ſi puerilis ſtultitia mala ſua æſtimare poſſet, & laſcivientis ætatis vigor ei non ſuperaret.

(b) *Quadam etiam ſoliditas*) ſtulti ſæpe in ſuis alieniſque malis rident, dum ſapientes illacrymantur, quia nimirum mali vim non

Digitized by Google

non penetrant. Si quis tamen prægandi affectu Deum amet, is ridere poteſt cernens Martyrum fupplicia, & juſtorum tribulationes, gaudendo de ipſorum Victoria, & Dei gloria.

(c) *Majorum nuga negotia*) Omnia mortalia negotia, quantumvis magna eſſe putentur, niſi fiant bono fine, & juxta legem Dei, nugæ ſunt, & mera crepundia.

U S U S.

1. Diſcant parentes & qui juventurem curant, mature pueris Dei notitiam inſtillare, ejus magnitudinem, juſtitiam, benignitatem facili modo declarando, percipi enim hæc a teneris animis ſuo exemplo hic S. D. oſtendit.

2. Eluceſcit hinc vere *ſenſum & cogitationem humani cordis in malum prona eſſe ab adoleſcentia ſua*, abhorrent enim pueri ab iis quæ vitæ recte agendæ ſunt neceſſaria, eaque oderunt, quæ adulti dolebunt ſe non amaſſe, ut bonas literas, contra in luſum, otium, aliaque virtutis impedimenta, toto pondere, ut lapis deorſum, feruntur, *Gen. 8. v. 21.*

C A P. X.

Se peccaſſe negligendo amore ludendi utiles literas, contra voluntatem majorum, etſi inordinatam.

ET tamen peccabam Domine Deus, ordinator & creator omnium rerum naturalium, (a) peccatorum autem tantum non ordinator. Domine Deus meus, peccabam faciendo contra præcepta parentum, & magiſtrorum illorum. Poteram enim poſtea bene uti literis quas volebant, ut diſcerem, quocunque animo illi mei. Non enim meliora eligens

gens eram inobediens, ſed amore ludendi, amans in certaminibus ſuperbas victorias, & ſcalpi aures meas falſis fabellis; quo prurirent ardentius, eadem curioſitate magis magiſque per oculos periculoſa (*b*) micante in ſpectacula, ludoſque majorum; quos tamen qui edunt, ea dignitate præditi excellunt, ut hoc pene omnes optent parvulis ſuis; quos tamen cædi libenter patiuntur, ſi ſpectaculis talibus impediantur a ſtudio, quo eos ad talia edenda cupiunt pervenire. Vide iſta Domine miſericorditer, & libera nos jam invocantes te: libera etiam eos, qui nondum te invocant, ut invocent te, & liberes eos.

NOTÆ.

(a) *Peccatorumautem tantum non ordinator.*) intelligit ludos Circenſes & gladiatorios, Romæ & in provinciis tum frequentes, ad quorum veſanum amorem præparabatur animus puerorum, ipſa ludorum puerilium immoderatione. Dicitur autem curioſitas micare per oculos in ſpectacula, dum acri ſcintillant que obtutu, deſiderium ſpectandi prodit.

(b) *Micante in ſpectacula, ludoſque majorum*) non ordinat Deus peccata ea intendendo vel jubendo, ordinat tamen permittendo ut a nobis male fiat, de quo ipſe novit bene facere.

USUS.

1. Studeant parentes rectæ intentioni, in filiis ad ſtudia applicandis, nec eos deſtinent ad honores, divitias & ſeculi florem, quod parentes ſuos ſpectaſſe hoc & priori cap. ſignificat Aug. Sed potius filiorum animos divinæ voluntati per ſtudia præparent, ut evadant in viros probos, & utiles eo in ſtatu,

ſtatu, ad quem eos Deus vocaverit: non in quem parentum libido detruſerit.

2. Tum parentes, tum Magiſtri ac Præceptores, ſi juventutem ſalubriter educare volunt, ita eos in minoribus nugis, & nondum magnis peccatis coerceant, ne ipſi majores nugas ament, & in gravibus peccatis hæreant, cædentes pueros ob nimium luſum pilæ, ipſimet ob luſum libidinis, avaritiæ, ſuperbiæ, gulæ, inferni incendiis digni. Eo ipſo ſæpe miſerabiliores, quod filios ac diſcipulos per ſtudia optent ad eandem vitæ licentiam pervenire, ut hoc & priori cap. queritur S. D.

CAP. XI.

Graviter ægrotans, baptiſmum petit, ſed convaleſcens eundem differt liberioris vitæ cauſa.

AUdieram enim ego adhuc puer, de vita æterna nobis promiſſa, per humilitatem filii tui Domini Dei noſtri, deſcendentis ad ſuperbiam noſtram. Et ſignabar jam ſigno Crucis ejus, & condiebar ejus ſale, jam inde ab utero matris meæ, quæ multum ſperavit in te. Vidiſti Domine, cum adhuc puer eſſem, & quodam die preſſus ſtomachi dolore, repente æſtuarem pene moriturus, vidiſti Deus meus, quoniam cuſtos meus jam eras, quo motu animi, & qua fide, baptiſmum Chriſti tui, Dei & Domini mei, flagitavi a pietate matris meæ, & matris omnium noſtrum Eccleſiæ tuæ. Et conturbata mater carnis meæ (quoniam & ſempiternam ſalutem meam carius parturiebat, corde caſto in fide

tua) jam curaret festinabunda, ut sacramentis salutaribus initiarer & abluerer, te Domine Jesu confitens in remissionem peccatorum, nisi statim recreatus essem. Dilata est itaque mundatio mea, quasi necesse esset ut adhuc sordidarer, si viverem; quia videlicet post lavacrum illud, major & periculosior in sordibus delictorum reatus foret.

2. Ita jam credebam, & illa, & omnis domus, nisi pater solus, qui tamen non evicit in me jus maternæ pietatis, quo minus in Christum crederem: sicut ille nondum crediderat. Nam illa satagebat, ut tu mihi pater esses Deus meus, potius quam ille: & in hoc adjuvabas eam, ut superaret virum, cui melior serviebat, quia & in hoc tibi, utique id jubenti, serviebat. Rogo te Deus meus, vellem scire, si tu etiam velles, quo consilio dilatus sum, ne tunc baptizarer. Utrum bono meo mihi, quasi laxata sint lora peccandi, an non laxata sint? Unde ergo etiam nunc de aliis atque aliis sonat undique in auribus nostris: Sine illum, faciat quod vult, nondum enim baptizatus est, & tamen in salutem corporis non dicimus: sine, vulneretur amplius, nondum enim sanatus est? Quanto ergo melius, & cito sanarer, & id ageretur mecum, meorum meaque diligentia, ut recepta salus animæ meæ, tuta esset tutela tua, qui dedisses eam! Melius vero. Sed quot & quanti fluctus impendere tentationum post pueritiam videbantur, noverat eos jam illa mater: (*a*) & tibi

tam

tam eos unde poſtea formarer, quam ipſam jam effigiem, committere volebat.

NOTÆ.

(a) *Et tibi tam eos &c.*) Locus obſcurus, & forte mendoſus. Ego hunc ſenſum eruo. Mater *tibi* Domine *tam eos* fluctus tentationum, quos impendere mihi noverat, *unde* (ſive per quos) poſtea *formarer*, (ſive erudirer) ad veram fidem & virtutem, commendabat, *quam ipſam jam effigiem* animæ meæ, qualem fore prævidebat in fide Catholica.

USUS.

1. Catholici ex hoc cap. colligunt antiquitatem ſigni S. Crucis, cujus uſum a pia matre ſua Auguſtinus jam tum puerulus erat edoctus. Item uſum ſalis benedicti, qui dabatur Catechumenis, teſte Iſidoro, de hoc enim loqui S. D. mihi certum eſt, quia conjungit ſalem cum ſigno Crucis: quod non eſt dubium proprie ſumi; accedit Auguſtinum fuiſſe vere Catechumenum, ut paret. *L. 2. de offic. Eccleſ. c. 20.*

2. Habent matres in S. Monica illuſtre exemplum Chriſtiane filios inſtituendi, ſi patres officium negligant.

3. Diſcamus a S. Monica ſervire quibuſvis ſuperioribus, etſi minus bonis, quia & in hoc utique Deo id jubenti inſervimus.

4. Ponit S. D. ob oculos eorum inſaniam, qui in juventute, antequam conjugio, vel Sacerdotio initiati ſunt, ſe in omnem ſcelerum licentiam effundunt, ejuſque patronos habent, dicentes: *ſine illum, faciat quod vult, nondum enim vir, nondum maritus, aut Sacerdos, aut Religioſus eſt: ſine deſpumet fervorem ætatis.* Et tamen vulnerato non dicimus: *ſine vulneretur amplius*, ut ſapienter ait S. D. Accedit plerumque ejuſmodi juvenes juſto Dei judicio, ad ſtatum honeſtum non pervenire, ſed prius mori, aut infames fieri. Denique cum homo, licet

virtutis ſtudioſus, in Sacerdotio maxime, imo & Religione, habeat quod agat in tot tentationibus, periculis & occaſionibus, nonne inſanum eſt vitioſos habitus augere, auxilia gratiæ divinæ minuere, materiam tentationum quaſi ſtudio quærere: ut in ſtatu deſtinato miſere aut impie vivere prope debeas, aut perſeverare non poſſis?

CAP. XII.

Ad literas ſe coactum bono ſuo, etſi non ſine juſta pœna ſua agnoſcit.

1. IN ipſa tamen pueritia (de qua mihi minus, quam de adoleſcentia metuebatur) non amabam literas, & me in eas urgeri oderam, & urgebar tamen, & bene mihi fiebat, nec faciebam ego bene: non enim diſcerem, niſi cogerer. (*a*) Nemo enim invitus bene facit, etiam ſi bonum eſt, quod facit. Nec qui me urgebant, bene faciebant: ſed bene mihi fiebat abs te Deus meus. Illi enim non intuebantur, quo referrem, qui me diſcere cogebant, præterquam ad ſatiandas inſatiabiles cupiditates copioſæ inopiæ, & ignominioſæ gloriæ.

Matth. 10. 20. 2. Tu vero, cui *numerati ſunt capilli capitis* noſtri, errore omnium, qui mihi inſtabant, ut diſcerem, utebaris ad utilitatem meam: meo autem, qui diſcere nolebam, utebaris ad pœnam meam: qua plecti non eram indignus tantillus puer, & tantus peccator. Ita de non benefacientibus, tu bene faciebas mihi, & de peccante meipſo, juſte

ſte retribuebas mihi. Juſſiſti enim, & ſic eſt: ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus.

NOTÆ.

(a) *Nemo enim invitus bene facit, etſi bonum eſt, quod facit*) Verum hoc eſt de eo, qui ſimpliciter eſt invitus, ita ut deliberate habeat voluntatem non faciendi bonum, niſi cogeretur. Cui enim vel indeliberato motu voluntatis, vel tantum ſecundum partem ſenſitivam diſplicet bonum, ad quod cogitur, is male non facit. Ita Suſanna etſi metu mortis fluctuaret carne, mente tamen firmiter, & ſancte concluſit: *Melius eſſe ſibi abſque opere incidere in manus hominum, quam peccare in conſpectu Domini*. Immo raro quis tam perfectus eſt, ut in actibus virtutum difficilioribus non ſit invitus ſecundum quid, nec propter luctam carnis & ſpiritus, motum operi ſuo contrarium ſentiat. *Vaſq. 1. 2. d. 17. c. 3. n. 6. Daniel. 12. 23.*

USUS.

1. Quiſque agat Deo gratias, quod etſi invitus a parentibus & magiſtris compulſus ſit ad diſcendas bonas literas, quarum fructum adulti experimur, adoleſcentes non intelligimus, & ſæpe tanto minus, quanto magis non ex errore malæ intentionis, ſed ſtudio divinæ gloriæ ad bonum noſtrum compellimur.

2. Studium mortificationis merito in nobis accendi debet, hoc certiſſimo S. D. principio - *Juſſiſti Domine, & ita eſt ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus*. Qui affectibus pravis obſequitur, tum ipſa illorum vehementia ac inordinatione, tum conſequente conſcientiæ remorſu torquetur: qua pœna juſtus Deus peccantes merito in hac vita punit, quia ordinatæ caritatis, & virtutis ac bonæ conſcientiæ gaudium ſpernunt.

CAP. XIII.

Accuſat inordinatum poeticorum figmentorum amorem, utiliorumque artium neglectum.

1. QUid autem erat cauſæ, cur græcas literas oderam, quibus puerulus imbuebar, ne nunc quidem mihi ſatis exploratum eſt. Adamaveram enim latinas, non quas primi magiſtri, ſed quas docent, qui Grammatici vocantur. Nam illas primas, ubi legere & ſcribere & numerare diſcitur, non minus oneroſas pœnaleſque habebam, quam omnes græcas. Unde tamen & hoc, niſi de peccato & vanitate vitæ? *quia caro*
Pſal. 77. 39. *eram*, (a) *& ſpiritus ambulans & non revertens*. Nam utique meliores, quia certiores erant primæ illæ literæ (quibus fiebat in me, & factum eſt, & habeo illud: ut & legam, ſi quid ſcriptum invenio: & ſcribam ipſe, ſi quid volo) quam illæ, quibus tenere cogebar Æneæ neſcio cujus errores, oblitus errorum meorum; & plorare Didonem mortuam, quia ſe occidit ob amorem; cum interea meipſum in his a te morientem, Deus vita mea ſiccis oculis ferrem miſerrimus. Quid enim miſerius miſero, non miſerante ſeipſum: & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam: non flente autem mortem ſuam, quæ fiebat non amando te?

2. Deus lumen cordis mei, & (b) panis oris intus animæ meæ, & (c) virtus mari-

maritans mentem meam & ſinum cogitationis meæ, non te amabam, & (*d*) fornicabar abs te; & fornicanti ſonabat undique, *euge, euge*. *Amicitia enim hujus mundi*, fornicatio eſt abs te. Et *euge, euge* dicitur, ut pudeat, ſi non ita homo ſit. Et hæc non flebam, ſed flebam Didonem *extinctam, ferroque extrema ſecutam*, ſequens ipſe extrema condita tua, relicto te; & terra iens in terram; & ſi prohiberer ea legere, dolerem, quia non legerem, quod doletem. Talis dementia, honeſtiores & uberiores literæ putabantur, quam illæ quibus legere & ſcribere didici.

Pſal. 34. 21. *Jac.* 4. 4. *Virgil. Æn.* 6.

3. Sed nunc in animam meam Deus meus clamet, & veritas tua dicat mihi: non eſt ita, non eſt ita, melior eſt prorſus doctrina illa prior. Nam ecce paratior ſum obliviſci errores Æneæ, atque omnia ejuſmodi, quam ſcribere & legere. At enim (*e*) vela pendent liminibus grammaticarum ſcholarum; ſed non illa magis honorem ſecreti, quam tegumentum erroris ſignificant. Nam clament adverſum me, quos jam non timeo, dum confiteor tibi, quæ vult anima mea, Deus meus: & acquieſco in reprehenſione malarum viarum mearum, ut diligam bonas vias tuas. Non clament adverſum me venditores grammaticæ, vel emptores; quia ſi proponam eis interrogans, utrum verum ſit, quod Æneam aliquando Carthaginem veniſſe Poeta dicit? indoctiores ſe neſcire reſpondebunt, doctiores autem etiam negabunt verum eſſe.

4. At ſi quæram, quibus literis ſcribatur Æneæ nomen, omnes mihi, qui hæc didicerunt, verum reſpondebunt: ſecundum id pactum & placitum, quo inter ſe homines iſta ſigna firmarunt. Item, ſi quæram, quid horum majore vitæ hujus incommodo quiſque obliviſcatur, legere & ſcribere, an poetica illa figmenta? quis non videat, quid reſponſurus ſit, qui non eſt penitus oblitus ſui? Peccabam ergo puer, cum illa inania iſtis utilioribus amore præponebam; vel potius iſta oderam, illa amabam. Jam vero unum & unum duo, duo & duo quatuor, odioſa cantio mihi erat; & dulciſſimum ſpectaculum vanitatis, equus ligneus plenus armatis; & Trojæ incendium, *atque ipſius umbræ Creuſæ.*

Virg. 2. Æneid.

NOTÆ.

(a) *Spiritus ambulans, & non revertens*) Id eſt vitam habens mortalem, quæ continuo progreditur a pueritia ad juventutem, & non revertitur ad pueritiam, progreditur a juventute ad ſenectutem, & non revertitur ad juventutem; ſed brevi compendio tendit ad mortem, a qua non revertitur ad vitam.

(b) *Panis oris intus animæ meæ*) cibus animæ Deus eſt cognitus & amatus, os animæ conſideratio & meditatio, per quam divinas illuſtrationes recipimus.

(c) *Virtus maritans mentem meam*) fæcundat Deus animam humanam, ei ſe per gratiam inſtar ſponſi copulando, unde ſequuntur virtutum partus.

(d) *Fornicabar abs te*) Id eſt deſertò amore tuo qui es ſponſus unicus animæ meæ, adhæſi per inordinatum affectum creaturis, velut

velut meretricibus. S. Jac. cap. 4. v. 4. ait, *amicitiam hujus mundi inimicam esse Dei*. S. Augustinus vero appellat *fornicationem*, nam ideo amicitia mundi est inimica Dei, quia est illicita conversio ad amorem creaturarum, deserto amore creatoris, adeoque spiritualis fornicatio. Unde S. Jacobus amicos mundi vocat *adulteros*.

(e) *Vela pendent liminibus*) ornatus credo gratia, & secreti, ut ipse S. D significat, ad excludendos prætereuntium & curiosorum oculos, forte etiam quietis, ad arcendos magis clamores & strepitus.

U S U S.

1. Iterum ob oculos ponitur nostræ naturæ corruptio, quæ desertis utilioribus, ad minus utilia rapitur. Ita S. D. ad fabulas promptior erat, quam literas magis necessarias, & Arithmeticam, quam designat per illa verba: *unum & unum, duo & duo odiosa cautio mihi erat*.

2. Fabulis non esse multum operæ impendendum insinuat S. D. sufficit tantum scire, quantum opus est ad autores meliores intelligendos. Multum in iis tricari, & nugis gentilium poetarum libros, versus, conciones, colloquia, scholas implere, est tempus male perdere, & meliora negligere.

3. Tum hoc tum aliis locis egregie ostendit S. D. quomodo ex profanis literis spiritualem fructum colligere possimus. Quam salubriter ab erroribus Æneæ transit ad errores suos, a morte Didonis ad mortem animæ suæ, & inordinatum creaturarum amorem! quam egregie *l.* 5. *de civitate Dei c.* 18. ex historiis illustrium Romanorum Christianos adhortatur ad fugam jactantiæ! D scant hinc Magistri similia sibi & discipulis suis ex profanis studiis decerpere, eosque ad eadem sua sponte cogitanda assuefacere, sic ipsi utilius docebunt, & discipuli rectius discent.

CAP. XIV.

Græcos Poetas se aversatum ob linguæ peregrinæ difficultatem.

1. CUr ergo græcam etiam Grammaticam oderam talia cantantem ? Nam & Homerus peritus texere tales fabellas, & dulciſſime vanus eſt : mihi tamen amarus erat puero. Credo etiam græcis pueris Virgilius ita ſit, cum eum ſic diſcere coguntur, ut ego illum ; videlicet difficulter. Difficultas omnino ediſcendæ peregrinæ linguæ, quaſi felle aſpergebat omnes ſuavitates græcas fabuloſarum narrationum. Nulla enim verba illa noveram : & ſævis terroribus ac pœnis, ut noſſem, inſtabatur mihi vehementer. Nam & latina aliquando (infans utique) nulla noveram; & tamen advertendo didici, ſine ullo metu atque cruciatu, inter etiam blandimenta nutricum, & joca arridentium, & lætitias alludentium.

2. Didici vero illa ſine pœnali onere urgentium, cum me urgeret cor meum ad parienda concepta ſua : quæ non poſſem, niſi aliqua verba didiciſſem, non a docentibus, ſed a loquentibus : in quorum, & ego auribus parturiebam, quicquid ſentiebam. Hinc ſatis elucet, majorem habere vim ad diſcenda iſta liberam curioſitatem, quam meticuloſam neceſſitatem. Sed illius fluxum hæc reſtringit legibus tuis Deus ; legibus tuis a magiſtrorum ferulis uſque

ad

Digitized by Google

ad tentationes martyrum ; valentibus legibus tuis miſcere ſalubres amaritudines, revocantes nos ad te a jucunditate peſtifera, qua receſſimus a te.

U S U S.

Neceſſitatem legum pulchre colligit ex fluxu humanæ inſtabilitatis, quæ nec conſtanter, nec fortiter fertur in honeſtum & utile. Ideo divina providentia leges inſtituit, quibus non ſolum pueri metu ferulæ, ſed adulti quoque aliarum pœnarum timore, omnes autem terrore gehennæ in officio contineamur.

C A P. XV.

Orat, ut quidquid utile puer didicit; Deo ſerviat.

1. EXaudi Domine deprecationem meam, ne deficiat anima mea ſub diſciplina tua; neque deficiam in confitendo tibi miſerationes tuas, quibus eruiſti me ab omnibus viis meis peſſimis: ut dulceſcas mihi ſuper omnes ſeductiones, quas ſequebar, & amem te validiſſime, & amplexer manum tuam totis præcordiis meis, ut eruas me ab omni tentatione uſque in finem.

2. Ecce enim tu Domine rex meus, tibi ſerviat, quicquid utile puer didici, tibi ſerviat, quod loquor, & ſcribo, & lego, & numero. Quoniam, cum vana diſcerem, tu diſciplinam dabas mihi: & in eis vanis, peccata delectationum mearum dimiſiſti mihi. Didici enim in eis multa verba utilia,

ſed & quæ in rebus non vanis, diſci poſſunt, & ea via tuta eſt, in qua pueri ambularent.

U S U S.

Utilis precatio ad poſtulandam perſeverantiam, & divinæ gloriæ offerendum profectum in ſtudiis, quem pueri fecimus.

C A P. XVI.

Deteſtandam eſſe conſuetudinem diſcendi Latinitatem ex laſcivis Poetis, ad libidinem incitantibus Deorum magiſterio.

1. SEd væ tibi flumen moris humani. Quis reſiſtet tibi? Quamdiu non ſiccaberis? Quouſque volves Evæ filios in mare magnum & formidoloſum, quod vix tranſeunt, (*a*) qui lignum conſcenderint? Nonne ego in te legi, & tonantem Jovem, & adulterantem? & utique non poſſet hæc duo, ſed actum eſt, ut haberet auctoritatem ad imitandum verum adulterium, lenocinante falſo tonitruo. Quis autem (*b*) penulatorum magiſtrorum audit aure ſobria, (*c*) ex eodem pulvere hominem clamantem & dicentem: *fingebat hæc Homerus: & humana ad deos transferebat*, (*d*) *divina mallem ad nos*. Sed verius dicitur, quod fingebat hæc quidem ille, ſed hominibus flagitioſis divina tribuendo, ne flagitia putarentur: & ut quiſquis ea feciſſet, non homines perditos, ſed cœleſtes deos videretur imitatus.

Cic. l. 1. Tuſcul. 99.

2. Et

2. Et tamen o flumen tartareum! jactantur in te filii hominum cum mercedibus, ut hæc discant: & magna res agitur cum hoc agitur publice in foro, in conspectu legum (*e*) supra mercedem salaria decernentium. Et (*f*) saxa tua percutis & sonas, dicens: hinc verba discuntur, hinc acquiritur eloquentia, rebus persuadendis sententiisque explicandis maxime necessaria. Ita vero non cognosceremus verba hæc: *imbrem aureum*, & *gremium*, & *fucum*, & *templa cæli*, & alia verba, quæ in eo loco scripta sunt, nisi Terentius induceret nequam adolescentem, proponentem sibi Jovem ad exemplum stupri: dum *spectat tabulam quandam pictam* in pariete, *ubi inerat pictura hæc*: *Jovem quo pacto Danaæ misisse ajunt in gremium quondam imbrem aureum*, *fucum factum mulieri*? Et vide, quemadmodum se concitat ad libidinem, quasi cælesti magisterio! *At*, *quem Deum*? inquit: *Qui templa cæli summa*, *sonitu concutit*. *Ego homuncio id non facerem*? *Ego vero ita illud feci*, *ac libens*.

In Eunucho. Act. 3. S. 5.

3. Non omnino per hanc turpitudinem verba ista commodius discuntur, sed per hæc verba turpitudo ista confidentius perpetratur. Non accuso verba quasi vasa electa atque precioſa: sed vinum erroris, quod in eis nobis propinatur ab ebriis doctoribus, & nisi biberemus, cædebamur: nec appellare ad aliquem judicem sobrium licebat. Et tamen ego, Deus meus, in cujus conspectu

ctu jam ſecura eſt recordatio mea, libenter hæc didici, & eis delectabar miſer, & ob hoc bonæ ſpei puer appellabat.

NOTÆ.

(a) *Qui lignum conſcenderint*) Navem intelligit, ſic Sap. 15. v. 4. Arca Noe, &c. 14. v. 1. & 3. quælibet navis dicitur lignum. Eſt autem metaphora quaſi dicas flumen conſuetudinis perverſæ vix ſuperare eos, qui velut conſcenſa nave effugere nituntur.

(b) *Penulatorum Magiſtrorum*) Id eſt, palliatorum; eſt enim penula veſtis, quæ tunicæ injicitur adverſus frigoris & tempeſtatis vim. Ea ætate S. Auguſtini utebantur Profeſſores Grammaticæ.

(c) *Ex eodem pulvere*) Eadem arena vanitatis, ſuperbiæ, idololatriæ, in qua cum aliis volutabatur miſer Cicero.

(d) *Divina mallem ad nos,*) *Quæ autem divina?* ait idem Cicero, *vigere, ſapere, invenire, meminiſſe*. Addo ego: ſanctum, juſtum, miſericordem, perfectum eſſe, hæc plane divina ſunt, quæ Chriſtus ad nos tranſtulit, *Eſtote ergo miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt. Eſtote ergo perfecti, ſicut & pater veſter cęleſtis perfectus eſt.*

Luc. 6. 36. Matth. 5. 48.

(e) *Supra mercedem ſalaria*) Senſus eſt, præter mercedem, ſive Minerval, quod ſinguli Magiſtris privatim ſolvebant, decreta iiſdem publice per leges annua ſtipendia: quæ forte ideo ſalaria dicuntur, quod ea percipientes inde ſe alant.

(f) *Saxa ſua percutis, &c.*) Pergit uti metaphora rapidi fluminis, ſive torrentis, cui ſimilis eſt conſuetudo prava. Sicut autem flumen cum ſono fertur per ſaxa, ita ingenti præconio extolluntur laſcivi poetæ ob linguæ latinæ Magiſterium.

USUS.

igitized by Google

U S U S.

1. Nulla magis ſuſpecta eſſe debet excuſatio ſalutis Studioſo, quam ea quæ a conſuetudine ducitur. Difficile eſt niti contra hunc torrentem, & unum ſolum facere aut non facere, quod plerique omnes faciunt aut non faciunt. Agnovit id S. D. conſuetudine prælegendi pueris impuros Poetas, qua & ipſe in mare mortuum putidæ libidinis devolutus eſt.

2. Valere merito debet autoritas tanti Doctoris, ad impuros poetas a Juventute removendos. I. Quia non tam eleganter loqui, quam turpiter facere docent. II. Experientia probat, multos qui Ovidium de amore, Apulejum, Petronium, alioſque fætentes Veneris hircos prope devorarunt, vix tria verba latine ſallare. III. Latinitas & amœnior eruditio ex puris autoribus hauriri poteſt affatim, priuſquam ad lacunas & fimeta decurrere neceſſe ſit. Etſi enim in laſcivis poetis verba latina, velut vaſa electa atque pretioſa in ſtercore, multæque ingenii & eruditionis gemmæ lateant: nunquam tamen permiſerim incauto juveni, ut cum periculo pudoris iſta tangat. Evolvat prius Ciceronem, Cæſarem, Livium, Curtium, Saluſtium, Florum, Æmilium Probum, Virgilium, Senecam, Statium, Claudianum, Ovidium, Martialem. Horatium ab obſcœnitate purgatos, & hos ſimileſque in ſuccum ſuum redigat. Tum ubi maturior ætas, probatior virtus, uberioris doctrinæ neceſſitas periculi metum ſemoverint, Ægyptios illos lenones aggrediatur: & ex illis quoque ſpolia colligat in complementum majoris eruditionis, ad Majorem Dei gloriam.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVII.

In exercitio Scholaſtico Poetas per paraphraſin reddendi ſtudium vanæ laudis incuſat.

1. SIne me Deus meus dicere aliquid', & de ingenio meo munere tuo: in quibus a me deliramentis atterebatur. Proponebatur enim mihi negocium animæ meæ ſatis inquietum, præmio laudis, & dedecoris vel plagarum metu, ut dicerem verba Junonis iraſcentis & dolentis: quod non poſſet *Italia Teucrorum avertere regem*, quæ nunquam Junonem dixiſſe audieram. Sed figmentorum poeticorum veſtigia errantes ſequi cogebamur: & tale aliquid dicere ſolutis verbis, quale poeta dixiſſet verſibus. Et ille dicebat laudabilius, in quo pro dignitate adumbratæ perſonæ, iræ ac doloris, ſimilior affectus eminebat: verbis ſententias congruentes veſtientibus.

Virg. l. 1. Æneid.

2. Ut quid mihi illud, o vera vita mea, Deus meus? quid mihi recitanti acclamabatur, præ multis coætaneis, & conlectoribus meis? Nonne ecce illa omnia fumus & ventus? Itane aliud non erat, ubi exerceretur ingenium & lingua mea? Laudes tuæ Domine, laudes tuæ per Scripturas tuas, ſuſpenderent palmitem cordis mei: & non raperetur per inania nugarum, turpis præda volatilibus. Non enim uno modo ſacrificatur tranſgreſſoribus Angelis.

USUS.

Digitized by Google

U S U S.

1. Quantumvis Honos alat artes, & optima ſit indoles adoleſcentum, qui laude ducuntur & gloria, deflet tamen S. D. nimium in ſcholaſticis exercitiis laudis ſtudium. Uti quidem debet Magiſter laudis ac gloriæ ſtimulis ad pueriles animos incitandos: ubi vero ſenſerit illos vel per nebulam intelligere, humana omnia fumum, & ventum eſſe: aſſuefaciat illos paulatim & hortetur, ut deſiderium laudis humanæ, vertant in ſtudium gloriæ divinæ.

2. Non doluit S. D. ſe exercitiis ſcholaſticis acuiſſe ingenium; id deplorat ſe non in divinis laudibus argumentis e Scriptura petitis exercitatum fuiſſe. Utilia, jucunda, varia, ingenioſa peti poſſunt ex Scripturis ſanctis, actis Sanctorum, Patribus, & univerſa re Chriſtiana, ut gentilium deliramentis profaniſque argumentis vix ſit neceſſe adoleſcentes exerceri. Certe ſolis fabulis, ethnicorumque factis & moribus, ſtylum ac ingenium eorum occupare, conſultum non eſt. Diſcant potius ex profanis quidem Scriptoribus, non tamen vana, ſed Chriſtiana loqui.

C A P. XVIII.

Deplorat cæcitatem humanam ſervantem præcepta Grammaticorum, & violantem leges divinas.

1. QUid autem mirum, quod in vanitates ita ferebar, & a te Deus meus ibam foras, quando mihi imitandi proponebantur homines, qui aliqua facta ſua non mala ſi cum barbariſmo aut ſolœciſmo enunciarent, reprehenſi confundebantur: ſi autem libidines ſuas integris & rite conſequentibus verbis, co-

copioſe ornateque narrarent, laudati gloriabantur? Vides hæc Domine, &
Pſ. 102. 8. taces, *longanimis*, *& multum miſericors*, *& verax*. Nunquid ſemper tacebis? Et nunc eruis de hoc immaniſſimo profundo quærentem te animam, & ſitientem delectationes tuas, & cujus cor
Pſ. 26. 8. dicit tibi: *Quæſivi vultum tuum*, *vultum tuum Domine requiram*. Nam longe a vultu tuo jeram, in affectu tenebroſo.

Luc. 15. 2. Non enim pedibus & ſpatiis locorum itur abs te, aut reditur ad te. Aut vero filius ille tuus minor, equos aut currus vel naves quæſivit: aut avolavit penna viſibili: aut moto poplite iter egit, ut in longinqua regione vivens, prodige diſſiparet, quod dederas proficiſcenti: dulcis pater, quia dederas: & egeno redeunti dulcior. In affectu ergo libidinoſo, id enim eſt tenebroſo, atque id eſt longe a vultu tuo. Vide Domine Deus, & patienter, ut vides vide, quomodo diligenter obſervent filii hominum pacta literarum & ſyllabarum, accepta a prioribus locutoribus: & a te accepta æterna pacta perpetuæ ſalutis negligant! ut qui illa ſonorum vetera placita teneat aut doceat, ſi contra diſciplinam grammaticam, ſine aſpiratione primæ ſyllabæ *ominem* dixerit: magis diſpliceat hominibus, quam ſi contra tua præcepta hominem oderit, cum ſit homo. Quaſi vero quemlibet inimicum hominem perniciouſius ſentiat, quam ipſum odium, quo in eum irritatur; aut vaſtet quiſquam perſe-

ſequendo alium gravius, quam cor ſuum vaſtat inimicando.

3. Et certe non eſt interior litterarum ſcientia, quam ſcripta conſcientia, *id ſe alteri non facere, quod nolit pati*. Quam tu ſecretus es, habitans in excelſis in ſilentio, Deus ſolus magnus! lege infatigabili ſpargens pœnales cæcitates, ſuper illicitas cupiditates! Cum homo eloquentiæ famam quærit (adſtans ante hominem judicem, circumſtante hominum multitudine, inimicum ſuum odio immaniſſimo inſectans) vigilantiſſime cavet, ne per linguæ errorem dicat, *inter hominibus*, & ne per mentis furorem, hominem auferat ex hominibus, non cavet. *Tob. 4. 16. Matt. 5. 12.*

U S U S.

1. Adverte S. Auguſtinum duplex hic perverſionis ſuæ initium afferre. I. Lectionem Poetarum turpium, qua delectatus & ſenſim à Venere ineſcatus eſt, de quo *c.* 16. II. Exempla hominum vanorum, qui pluris faciebant ſcientiam, quam conſcientiam, & magis formidabant ſoloeciſmum linguæ, quam vitæ. Sic enim paulatim relicto Deo patre optimo, cum filio prodigo abiit in regionem tenebroſam peccati: non pedibus, ſed vitioſis affectibus. Attendant ſibi adoleſcentes ab utroque malo, præſertim vero ab exemplis pravis, & vanis.

2. Iterum docet in ſtudiis humanis cæleſtia ſapere, cum ex Studio cavendi errorem in ſermone, incitat ad fugam peccati.

3. Alte imprimendum animo eſt illud principium: *quod Deus lege infatigabili ſpargit pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates*, dum ob peccata aufert illuſtrationes ſuas, hominesque ad eum modum excæcat, quo ſol no-

ctu

ctu omnia obſcurat, ſubducendo lumen ſuum dormientibus, qui eo digni non ſunt. Ita Deus ob præcedentia peccata & teporem ſubducit bonas cogitationes, nec mentem illuſtrat, uti prius. Hinc excæcatio in intellectu, & obduratio in voluntate, de qua pœna vitæ hujus maxima, V. Leſſium. Ex quo illud nota Deum excæcare ſolum negative, ſubducendo lumen, Diabolum vero poſitive, judicium pervertendo, & aliciendo.

L. 1. de perfect. div. a c. 12. uſq; ad 16.

CAP. XIX.

Se quoque magis timuiſſe barbariſmum, quam peccatum, & innumerabilibus mendaciis, fraudibus, furtis puerilem innocentiam corrupiſſe.

1. HOrum ergo puer morum in limine jacebam miſer: & hujus arenæ palæſtra erat illa, ubi magis timebam barbariſmum facere, quam cavebam ſi facerem, non facientibus hæc invidere. Dico enim, & confiteor tibi Deus meus, in quibus laudabar ab eis, quibus placere, tunc mihi erat honeſte vivere. Non enim videbam voraginem turpitudinis, in quam projectus eram ab oculis tuis. Nam in illis, jam quid me fœdius fuit, ubi etiam talibus diſplicebam, fallendo innumerabilibus mendaciis & pædagogum, & magiſtros, & parentes: amore ludendi, ſtudio ſpectandi nugatoria, & imitandi ludicra inquietudine?

2. Furta enim faciebam de cellario parentum, & de menſa; vel gula impe-

ri-

ritante, vel ut haberem, quod darem pueris, ludum ſuum mihi, quo pariter utique delectabantur, tamen vendentibus. In quo etiam ludo fraudulentas victorias, ipſe vana excellentiæ cupiditate victus, ſæpe aucupabar. Quid autem tam nolebam pati, atque atrociter, ſi deprehenderem, arguebam, quam id quod aliis faciebam? Et ſi deprehenſus arguerer, ſævire magis quam cedere libebat.

3. Iſtane eſt innocentia puerilis? Non eſt Domine, non eſt, oro te Deus meus. Nam hæc ipſa ſunt, quæ a pædagogis & magiſtris, a nucibus, & pilulis, & paſſeribus, ad præfectos, & reges, aurum, prædia, mancipia: hæc ipſa omnino, quæ ſuccedentibus majoribus ætatibus tranſeunt, ſicut ferulis majora ſupplicia ſuccedunt. Humilitatis ergo ſignum in ſtatura pueritiæ, rex noſter probaſti, cum aiſti: *Talium eſt regnum cœlorum*. Matth. 19. 14.

U S U S.

Agnoſcant hic ſuum errorem illi, qui puerorum mendacia, fraudes, furta, aliaque delicta levia putant; veriſſime enim dixit S. D. hæc vitia a pueris, eorumque nugis, ad præfectos, & reges, aurum, prædia, mancipia, addo regna & provincias tranſire. Hinc magna crimina, & ingentia mala invadunt Reſpublicas, quia parva puerorum delicta non emendantur, ſed una cum illis excreſcere ſinuntur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XX.

Prædicat dona naturæ ac beneficia ſibi puero conceſſa, & pro iis gratias agit.

1. SEd tamen Domine, tibi excellentiſſimo atque optimo conditori & rectori univerſitatis, Deo noſtro gratias, etiam ſi me puerum tantum eſſe voluiſſes. Eram enim & jam tunc, & vivebam; videbam, atque ſentiebam, meamque incolumitatem, veſtigium ſecretiſſimæ unitatis, ex qua eram, curæ habebam; cuſtodiebam interiore ſenſu integritatem ſenſuum meorum; inque ipſis parvis, parvarumque rerum cogitationibus, veritate delectabar, falli nolebam; memoria vigebam, locutione inſtruebar, amicitia mulcebar; fugiebam dolorem, abjectionem, ignorantiam. Quid in tali animante non mirabile atque laudabile?

2. At iſta omnia Dei mei dona ſunt, non mihi ego dedi hæc, & bona ſunt, & hæc omnia ego. Bonus ergo eſt, qui fecit me, & ipſe eſt bonum meum, & illi exulto bonis omnibus, quibus etiam puer eram. Hoc enim peccabam, quod non in ipſo, ſed in creaturis ejus, me atque cæteras voluptates, ſublimitates, veritates quærebam: atque ita iruebam in dolores, confuſiones, errores. Gratias tibi dulcedo mea, & honor meus, & fiducia mea, Deus meus. Gratias tibi de donis tuis, ſed tu mihi

ea

ea ſerva. Ita enim ſervabis me, & augebuntur, & perficientur, quæ dediſti mihi, & ero ipſe tecum, quia & ut ſim, tu dediſti mihi.

U S U S.

Utiliter hoc caput pro recordatione beneficiorum pueritiæ, & gratiarum actione ſubinde expendetur.

* * * * * *
* * * * *
* * *

Digitized by Google

LIBER II.

Deplorat annum XVI. ætatis ſuæ, quo domi a ſcholis feriatus, in libidinis barathrum & omnem vitæ licentiam ſe immerſit.

CAPUT I.

Amore Dei recogitare incipit impuras vias adoleſcentiæ ſuæ, & libidinoſos amores.

1. RECordari volo tranſactas fœditates meas, & carnales corruptiones animæ meæ, non quod eas amem, ſed ut amem te, Deus meus. Amore amoris tui facio iſtud, recolens vias meas, nequiſſimas, in amaritudine recogitationis meæ: ut tu dulceſcas mihi, dulcedo non fallax, dulcedo felix & ſecura, & (a) colligens me a diſperſione, in qua fruſtatim diſciſſus ſum, dum ab uno te averſus, in multa evanui.

2. Exarſi enim aliquando ſatiari in inferis, in adoleſcentia: & ſilveſcere auſus ſum, & variis & umbroſis amoribus, & contabuit ſpecies mea, & computrui coram oculis tuis, placens mihi, & placere cupiens oculis hominum.

NOTÆ.

(a) *Colligens me a diſperſione*) Diſpergit ſe peccator animum effundendo in creaturas, & cor ſuum velut fruſtatim diſcindit, dum huic

huic & illi inordinato amore copulari deſiderat; nec tamen in omnibus creaturis tantum boni invenit, quantum in uno Deo.

(b) *Satiari in inferis*) Id eſt rebus infimis, carne & ſanguine, longe infra hominis dignitatem poſitis, relicto bono ſupremo, quod eſt Deus.

CAP. II.

Se amoris & concupiſcentiæ æſtu abreptum anno XVI. *ætatis, totas manus dediſſe libidini: Deo permittente, nemine coercente.*

1. ET quid erat, quod me delectabat, niſi amare & amari? Sed non tenebatur modus ab animo uſque ad animum, quatenus eſt (*a*) luminoſus limes amicitiæ. Sed exhalabantur nebulæ de limoſa concupiſcentia carnis, & ſcatebra pubertatis, & obnubilabant atque obfuſcabant cor meum, ut non diſcerneretur ſerenitas dilectionis a caligine libidinis. Utrumque in confuſo æſtuabat, & rapiebat imbecillem ætatem per abrupta cupiditatum, atque merſabat gurgite flagitiorum. Invaluerat ſuper me ira tua, & neſciebam. (*b*) Obſurdueram ſtridore catenæ mortalitatis meæ, pœna ſuperbiæ animæ meæ, & ibam longius a te, & ſinebas; & jactabar, & effundebar, & diffluebam, & ebulliebam per fornicationes meas, & tacebas. O tardum gradum meum! Tacebas tunc, & ego ibam porro longe a te, in plurima, & plura ſterilia ſemina dolo-

C rum,

rum, ſuperbia dejectione & inquieta laſſitudine.

2. Quis mihi moderaretur ærumnam meam, & noviſſimarum rerum fugaces pulcritudines in uſum verteret, earumque ſuavitatibus metas præfigeret: ut uſque ad conjugale littus exæſtuarent fluctus ætatis meæ, ſi tranquillitas in eis non poterat eſſe, fine procreandorum liberorum contenta, ſicut præſcribit lex tua Domine: qui formas etiam propaginem mortalitatis noſtræ, (*c*) potens imponere lenem manum, ad temperamentum ſpinarum, a paradiſo tuo ſecluſarum? Non enim longe eſt a nobis omnipotentia tua, etiam cum longe ſumus a te. Aut certe (*d*) ſonitum nubium tuarum vigilantius adverterem: *Tribulationem autem carnis habebunt hujuſmodi*. *Ego autem vobis parco*, &, *Bonum eſt homini, mulierem non tangere*, &, *Qui ſine uxore eſt, cogitat ea, quæ ſunt Dei, quomodo placeat Deo. Qui autem matrimonio junctus eſt, cogitat ea, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori*. Has ergo voces exaudirem vigilantior, & (*e*) abſciſſus propter regnum cœlorum, felicior expectarem amplexus tuos.

1. *Cor.* 7. 28. *Ibid.* 1. *Ibi.* 32. *Ibi.* 33.

3. Sed efferbui miſer, ſequens impetum fluxus mei relicto te; & exceſſi omnia legitima tua, nec evaſi flagella tua. Quis enim hoc mortalium? Nam tu ſemper aderas miſericorditer ſæviens, & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas jocunditates meas, ut

ita

ita quærerem ſine offenſione jocundari; & ubi hoc poſſem, non invenirem quicquam, præter te Domine, præter te, *qui fingis dolorem in præcepto*, & percutis, ut ſanes, & occidis nos, ne moriamur abs te. Ubi eram, & quam longe exulabam a deliciis domus tuæ, anno illo ſexto decimo ætatis carnis meæ, cum accepit in me luxuria ſceptrum, & totas manus ei dedi, veſaniæ libidinis, licentioſæ per dedecus humanum, illicitæ autem per leges tuas? Non fuit cura meorum, ruentem excipere me matrimonio; ſed cura fuit tantum, ut diſcerem ſermonem facere quam optimum, & perſuadere dictione.

Pſ. 93. 20. *Deut.* 32. 39.

N O T Æ.

(a) *Luminoſos limes amicitiæ*) ille nimirum, qui diſcernit amorem honeſtum ab impuro, & in quo elucet vera amicitia, quæ diligit amicum *ab animo uſque ad animum*, id eſt, propter bona animi, maxime virtutem. Unde Ariſtoteles ſolum inter illos, qui virtute ſimiles ſunt, perfectam amicitiam agnoſcit. Nam quæ corpus amici, & voluptatem ex eo quærit, luminoſum limitem tranſilit & in tenebras impuri amoris incidit, qui rationem obfuſcat, & animum inquinat.

8. *Ethic. cap.* 4.

(b) *Obſurdueram ſtridore catenæ*) Ita malo legere, quam ut alii, *obſorduerem*, ut ſenſus ſit; animum tumultuantis concupiſcentiæ velut catenæ, qua mortalia membra ligantur in lege peccati, ſtridore, obſurduiſſe ad divinas inſpirationes. Neque enim video, quid ſit obſordeſcere per ſtridorem, qui obtundere ſolet aures, non maculare.

(c) *Potens imponere lenem manum*) Significat Dei ſuavem providentiam, quæ

conjugalis vitæ tribulationes, sive spinas in paradyso non futuras, licita voluptate temperavit.

(d) *Sonitum nubium suarum*) intelligit Apostolos, qui velut nubes imbrem, ita illi verbum Dei scriptis complectuntur, & in humanos animos depluunt, intonantes etiam judicia Dei, ejusque iram peccatoribus minantes.

(e) *Abscissus propter regnum cælorum*) Id est, factus Eunuchus spiritualis, per propositum castitatis servandæ, convenienter Evangelio Matth. 19. v. 11.

U S U S.

1. Cautelam monstrat, qua se adolescentes custodiant, & ab aliis custodiantur, ne excedant limitem luminosum amoris & amicitiæ; id fiet I. Si virtutem solum diligant in iis quos amant. II. Si omnem interiorem amicitiam cum diverso sexu fugiant, nihil etenim Studioso cum femina. Vir & femina congruunt conjugio, non puer & femina. III. Si ab omni delectatione sensuum, quæ ex alterius corpore, maxime per tactum, etsi non impudicum, percipitur, abstineant. IV. Si nihil clam amori permittant, quod arbitris aliis facere aut dicere non auderent. Secretum enim amantium suspicionem injicit tenebrarum Veneris. V. Si, ubi ad amandum se incitari sentiunt ardore, & commotione corporis, certo credant id oriri ex concupiscentia carnis, ideoque mox se cohibeant. VI. Si affectus immoderati æstum Patri spirituali, seu Confessario aperiant, ejusque judicium ac consilium sequantur. His cautelis poterunt discernere serenitatem dilectionis, a caligine libidinis: & manere intra limitem luminosum amicitiæ.

2. Magnopere attendendum est anno XVI. ætatis, quo post inchoatam pubertatem magis incalescit corpus. Aristoteles ab iis, qui

qui hac ætate se continent, servari temperantiam solere, per ætates posteriores autumat. Ubi id adverte flammam concupiscentiæ, pro varietate temperamenti, & educationis, aliquando serius, aliquando citius exardescere; & quamvis communiter circa hos annos sævire incipiat, ad vigesimum tamen annum & ultra, corruptionis juvenilis pericula extendi. *Lib. 7. de hist. animal. cap. 1.*

CAP. III.

Se domi a Scholis feriatum, paterna vanitate & indulgentia, pravaque Societate, matre frustra dehortante, penitus corruptum fuisse.

1. ET anno quidem illo intermissa erant studia mea, dum mihi reducto a Madauris (in qua vicina urbe, jam cœperam literaturæ, atque oratoriæ percipiendæ gratia, peregrinari) longinquioris apud Carthaginem peregrinationis sumptus præparabantur, animositate magis quam opibus patris, municipis Thagastensis admodum tenuis. Cui narro hæc? Neque enim tibi Deus meus, sed apud te narro hæc generi meo, generi humano: quantulacunque ex particula incidere potest in istas meas literas. Et ut quid hoc? ut videlicet ego, & quisquis hæc legit, cogitemus de quam profundo clamandum sit ad te. Et quid propius auribus tuis, si cor confitens & vita ex fide est? Quis enim hominum non extollebat laudibus tunc patrem meum, quod ultra vires rei familiaris suæ impenderet filio, quicquid

etiam longe peregrinanti ſtudiorum cauſa opus eſſet ? Multorum enim civium longe opulentiorum nullum tale negocium pro liberis erat; cum interea non ſatageret idem pater , qualis creſcerem tibi , aut quam caſtus eſſem : dummodo eſſem diſertus , vel deſertus potius a cultura tua Deus , qui es unus , verus , & bonus Dominus agri tui , cordis mei .

2. Sed ubi ſexto illo decimo anno , interpoſito ocio ex neceſſitate domeſtica , feriatus ab omni ſchola , cum parentibus eſſe cœpi , exceſſerunt caput meum vepres libidinum : & nulla erat eradicans manus . Quinimo , ubi me ille pater in balneis vidit pubeſcentem , & inquieta indutum adoleſcentia , quaſi jam ex hoc in nepotes geſtiret , gaudens matri indicavit , (*a*) gaudens vinolentia (in qua te iſte mundus oblitus eſt creatorem ſuum , & creaturam tuam pro te amavit) de vino inviſibili perverſæ atque inclinatæ in ima voluntatis ſuæ . Sed matris in pectore , jam inchoaveras templum tuum , & exordium ſanctæ habitationis tuæ ; nam ille adhuc catechumenus , & hoc recens erat . Itaque illa exilivit pia trepidatione ac tremore : & quamvis mihi nondum fideli , timuit tamen vias diſtortas , in quibus ambulant , qui ponunt ad te tergum & non faciem .

3. Hei mihi , & audeo dicere tacuiſſe te Deus meus , cum irem abs te longius ? Itane , tu tacebas tunc mihi ? Et cujus erant , niſi tua , verba illa per matrem meam , fidelem tuam : quæ can-

ta-

taſti in aures meas? Nec inde quicquam deſcendit in cor meum, ut facerem illud. Volebat enim illa, & ſecreto memini, ut monuerit cum ſolicitudine ingenti, ne fornicarer; maximeque ne adulterarem cuiuſquam uxorem. Qui mihi monitus muliebres videbantur, quibus obtemperare erubeſcerem. Illi autem tui erant, & neſciebam: & te tacere putabam, atque illam loqui, per quam mihi tu non tacebas: & in illa contemnebaris a me, a me filio ejus, filio ancillæ tuæ, ſervo tuo. Sed neſciebam; & præceps ibam, tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quam audiebam eos jactantes flagitia ſua: & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes eſſent; & libebat facere non ſolum libidine facti, verum etiam laudis.

4. Quid dignum eſt vituperatione niſi vitium? Ego ne vituperarer, vitioſior fiebant: & ubi non ſupererat, quo admiſſo æquarer perditis, fingebam me feciſſe, quod non feceram: ne viderer abjectior, quo eram innocentior, & ne vilior haberer, quo eram caſtior. Ecce, cum quibus comitibus (*b*) iter agebam platearum Babyloniæ, & volutabar in cœno ejus, tanquam in cinamomis & unguentis precioſis! Et in umbilico ejus, quo tenacius hærerem, calcabat me inimicus inviſibilis; & ſeducebat me, quia ego ſeductilis eram. Non enim & illa (quæ jam *de medio Babylonis* fugerat, ſed ibat in cæteris ejus tardior) mater carnis meæ, ſicut monuit me, *Pſ.* 31.6

pudicitiam ita curavit; quod de me a viro ſuo audierat, jamque peſtilentioſum, & in poſterum periculoſum ſentiebat, coercere termino conjugalis affectus, ſi reſecari ad vivum non poterat. Non curavit hoc, quia metus erat, ne impediretur ſpes mea compede uxoria, non ſpes illa, quam in te futuri ſeculi habebat mater; ſed ſpes literarum, quas ut noſſem, nimis volebat parens uterque. Ille, quia de te prope nihil cogitabat, de me autem inania; illa autem, quia non ſolum nullo detrimento, ſed etiam nonnullo adjumento ad te adipiſcendum, profutura æſtimabat uſitata illa ſtudia doctrinæ. Ita enim conjicio, recolens, ut poſſum mores parentum meorum. Relaxabantur etiam mihi ad ludendum habenæ, ultra temperamentum ſeveritatis, in diſſolutionem affectionum variarum: & in omnibus erat caligo intercludens mihi, Deus meus, ſerenitatem veritatis tuæ; &
Pſ.72.7. (c) *prodibat tanquam ex adipe, iniquitas* mea.

NOTÆ.

(a) *Gaudens vinolentia,*) Significat per metaphoram inordinatum creaturarum amorem, quo peccatores ebrii ſunt. Perverſæ enim atque inclinatæ in ima, voluntatis delectatio, qua contra Dei leges rebus creatis inhæret, eſt vinum inviſibile, cogitationes ſalutares opprimens.

(b) *Iter agebam platearum Babyloniæ*) Id eſt, ibam vias ſeculi ducentes ad interitum. Babylon enim ſignificat confuſionem, quia ibi *confuſum eſt labium univerſa terra*, & ſecundum S. Auguſt. denotat *Societatem omnium impiarum, ab Oriente*

Gen. 11. 9.
In Pſ. 26.

uſque

uſque ad Occidentem, ſive mundum, qui recte hoc nomen ſortitur, ob tantam errorum, peccatorum, miſeriarum confuſionem. S. Auguſt. in umbilico, ſive medio ejus erat: mater vero, etſi jam de medio fugerat, adhuc tamen intra pomœria vanitatis hærebat, inordinate deſiderans filii in literis profectum.

(c) *Et prodibat, tanquam ex adipe iniquitas mea*) Intelligit per *adipem* S. David divitias, ſaturitatem, otium; hæc enim cauſa ſunt, & occaſio multarum iniquitatum, ut de Sodoma teſtatur Ezech. cap. 16. v. 49. & de ſeipſo hic S. Auguſtinus, qui ex ſaturitate & licentia domeſtica, ruit in varias iniquitates.

USUS.

1. Parentem Auguſtini multi imitantur, qui non laborant, quam filii ſint caſti, innocentes, Deo cari, ſed hoc ſolum, ut fiant, non dico diſerti, ſed vani. Nec tam dolent filios corrumpi, quam ſi advertant eos virtuti impenſe ſtudere. Unde cum metuunt, ne curam a terrenis ad cæleſtia tranſferant, vitæ ſcelerumque licentiam illis permittunt, imo & obtrudunt: maluntque etſi Chriſtiani, filios habere mundi & carnis ſervos quam Chriſti.

2. Diſcant Adoleſcentes in parentum, ſuperiorumque ſuorum monitis Deum agnoſcere; monitus enim ad virtutem & emendationem divini ſunt, non humani. Qui illos contemnunt, ut S. Auguſtinus admonitiones matris ſuæ, cum illo in vitiorum gurgitem prolabuntur. Utinam vero cum illo reſurgant!

3. Ecce gradus, quibus in libidinis & impietatis barathrum deſcendit Auguſtinus. I. Inordinatus amor ludendi lib. 1. cap. 10. II. Mendacia & fraudes, etſi pueriles, ib. cap. 19. III. Lectio poetarum obſcænorum, ib. cap. 16. IV. Exempla hominum vanorum, ib. cap. 18. V. Carnalis amici-

tia, lib. 2. cap. 2. VI. In patria otium ab omni Schola, hic cap. 3. VII. Parentis vanitas ſolum deſiderantis ipſius eloquentiam, negligentis conſcientiam, ib. VIII. Contemptus monitorum maternorum, ib. IX. Societas prava, ib. X. Licentia ludendi & omnium affectionum, ib. Caveat adoleſcens tum ſemper, tum maxime, dum domi eſt in Vacationibus, a ſolitis ſtudiorum & virtutum exercitiis feriatuſ, ne per hos gradus, velut ſcalas Gemonias ſane gemitu dignas, in exitium devolvatur.

4. Agat Deo gratias, qui hos gradus exitii ſui mature prævidit, vel cui Deus dedit parentes non minus æternæ, quam mortalis vitæ autores, aut alium ſalutis curatorem & cuſtodem.

CAP. IV.

Furtum pomorum nullo bono ſuo, ſola peccandi libidine, una cum ſociis ſe patraviſſe.

1. FUrtum certe punit lex tua Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas. Quis enim fur, æquo animo furem patitur? nec copioſus, adactum inopia. Et ego furtum facere volui, & feci, nulla compulſus egeſtate, nec penuria; ſed faſtidio juſtitiæ, & ſagina iniquitatis. Nam id furatus ſum, quod mihi abundabat, & multo melius. (*a*) Nec ea re volebam frui, quam furto appetebam: ſed ipſo furto, & peccato. Arbor erat pirus in vicinia vineæ noſtræ pomis onuſta, nec forma, nec ſapore illecebroſis. Ad hanc excutiendam

at-

atque exportandam, nequiſſimi adoleſcentuli perreximus nocte intempeſta (quouſque ludum de peſtilentiæ more, in areis produxeramus) & abſtulimus inde onera ingentia, non ad noſtras epulas, ſed vel projicienda porcis; etiam ſi aliquid inde comedimus: dum tamen fieret a nobis, quod eo liberet, quo non liceret.

2. Ecce cor meum Deus meus, ecce cor meum, quod miſeratus es in imo abyſſi. Dicat tibi nunc ecce cor meum, quid ibi quærebat, ut eſſem gratis malus, & (*b*) malitiæ meæ cauſa nulla eſſet, niſi malitia. Fæda erat, & amavi eam, amavi perire, amavi defectum meum; non illud, ad quod deficiebam, ſed defectum ipſum meum amavi. Turpis anima, & diſſiliens a (*c*) firmamento tuo in exterminium; non de decore aliquid, ſed dedecus appetens.

NOTÆ.

(a) *Nec ea re frui volebam, quam appetebam, ſed ipſo furto & peccato.*) Non amavit S. Auguſtinus furtum, ut malum eſt. *Boni enim cauſa*, ait S. Dionyſius, *ſunt omnia, & quæ bona ſunt, & quæ mala: quippe cum hæc quoque boni deſiderio agamus. Nemo enim propoſito ſibi malo, facit, quod facit.* Cujus ratio eſt, teſte S. Thom. quia appetitus & amor eſt *inclinatio appetentis in aliquid*, nihil autem inclinatur niſi in aliquid ſibi conveniens, ſive connaturale & proportionatum, adeoque bonum, nam quod deficit a convenientia, connaturalitate & debita proportione, omnium judicio malum eſt. Quia vero appetitus ſenſitivi & voluntatis inclinatio ſequitur bonum ut in apprehenſione exiſtit: hinc

Cap. 4. de div. nom.

1.2.q.8. ar.1. c. & q.27. ar. 1. c.

Digitized by Google

possumus aliquid appetere, quod non est vere bonum, sed solum apparenter, secundum nostram apprehensionem, unde Aristoteles dixit: quod *finis est bonum, vel apparens bonum*. Tale bonum erat in apprehensione Augustini, libertas faciendi impune, quod non licebat, ex ipso peccantium consortio magis dulcescens.

2. *Physic.*

(b) *Malitiæ meæ causa nulla esset, nisi malitia*) Nulla ratio boni delectabilis, vel utilis Augustinum movit ad furtum, sed sola libido urendi illicita libertate. Hanc pravam voluntatem appellat S. D. malitiam, quia est causa malæ electionis, qua scienter eligitur peccatum, non ob commodum aut delectationem, quæ ex re, verbi gratia pomo, percipitur, sed ex ipsa transgressione legis, quatenus apprehenditur, ut actus sive exercitium falsæ libertatis. Hoc sensu dicit S. D. *se amasse perire, & non illud ad quod deficiebat*, nempe poma, *sed defectum ipsum*, sive furrum: non sub ratione mali, sed boni apparentis, & sub *tenebrosa omnipotentia similitudine* ut ait c. seq.

Valent. t.2.de 6. q.8.p.1.

(c) *Dissiliens a firmamento tuo*) Id est lege divina, quæ firmat hominem in Deo, cui *adhærere bonum est*, qui vero *malignantur, exterminabuntur*.

Ps. 72. 28.
Ps.36.9.

CAP. V.

Peccata communiter non committi, nisi ex appetitu inordinato adipiscendi bona infima, vel metu ea amittendi.

1. ETenim species est pulchris corporibus, & auro, & argento, & omnibus; & in contactu carnis, congruentia valet plurimum, cæterisque sensibus est sua cuique accommodata modifica-

ficatio corporum . Habet etiam honor temporalis, & imperitandi atque ſuperandi potentia ſuum decus: unde etiam vindictæ aviditas oritur . Et tamen in cuncta hæc adipiſcenda , non eſt egrediendum abs te Domine, neque deviandum a lege tua. Et vita , qua hic vivimus , habet illecebram ſuam , propter quendam modum decoris ſui , & convenientiam cum his omnibus infimis pulchris. Amicitia quoque hominum caro nodo dulcis eſt , propter unitatem de multis animis .

2. Propter univerſa hæc atque hujuſmodi , peccatum admittitur : dum immoderata in iſta inclinatione , cum extrema bona ſint, meliora & ſumma deſeruntur , tu Domine Deus noſter , & veritas tua, & lex tua . Habent enim & hæc ima delectationes , ſed non ſicut Deus meus , qui fecit omnia , quia in ipſo delectatur juſtus, & ipſe eſt deliciæ rectorum corde. Cum itaque de facinore quæritur, qua cauſa factum ſit , credi non ſolet , niſi cum appetitus adipiſcendi alicujus illorum bonorum , quæ infima diximus , eſſe potuiſſe apparuerit , aut metus amittendi. Pulchra ſunt enim & decora : quanquam præ bonis ſuperioribus & opibus beatificis , abjecta & jacentia .

3. Homicidium fecit. Cur fecit? Adamavit ejus conjugem , aut prædium ; aut voluit deprædari , unde viveret , aut timuit ab illo tale aliquid amittere ; aut læſus ulciſci ſe exarſit . Num homicidium ſine cauſa faceret , ipſo homicidio dele-

delectatus? quis crediderit? Nam & de quo dictum est vecordi, & nimis crudeli homine, quod *gratuito potius malus atque crudelis erat*, prædicta est tamen causa, *ne per ocium*, inquit, *torpesceret manus aut animus*. Quare id quoque? cur ita? Ut scilicet illa exercitatione scelerum, capta urbe, honores, imperia, divitias assequeretur: & careret metu legum, & difficultate rerum, propter inopiam rei familiaris, & conscientiam scelerum. Nec ipse igitur Catilina amavit facinora sua, sed utique aliud, cujus causa illa faciebat.

Sallust. de conjur. Catil.

U S U S.

Salutare & intimo cordi insculpendum suggerit principium, *Habent hæc ima delectationes*, & *pulchra sunt & decora*, hinc tentatio, hinc concupiscentia, hinc ruina. Evades, si cogitabis & credes quod addit S. D. *sed non sicut Deus meus, qui fecit omnia, sed præ bonis superioribus & opibus beatificis, abjecta & jacentia*. Placeant creaturæ, sed infra creatorem, & non abducent a Creatore.

CAP. VI.

Peccata fallere umbratica boni alicujus specie, quod purum & liquidum est in solo Deo: in furto autem se dilexisse falsam libertatem.

1. QUid ergo miser in te amavi, o furtum meum, o facinus illud meum nocturnum, sextidecimi anni ætatis meæ? Non enim pulchrum eras, cum furtum esses, aut vero aliquid es, ut loquar ad te? Pulchra erant poma illa,

illa, quæ furati ſumus: quoniam creatura tua erant, pulcherrime omnium, creator omnium, Deus bone, Deus ſummum bonum, & bonum verum meum. Pulchra erant illa poma, ſed non ipſa concupivit anima mea miſerabilis. Erat enim mihi meliorum copia: illa autem decerpſi, tantum ut furarer. Nam decerpta projeci, (a) epulatus inde ſolam iniquitatem, qua lætabar fruens. Nam & ſi quid illorum pomorum intravit in os meum, condimentum ibi facinus erat. Et nunc Domine Deus meus quæro, quid me in furto delectaverit? Et ecce ſpecies nulla eſt; non dico ſicut in æquitate atque prudentia, ſed neque ſicut in mente hominis atque memoria, & ſenſibus, & vegetante vita. Neque ſicut ſpecioſa ſunt ſidera & decora locis ſuis, & terra & mare plena fœtibus, qui ſuccedunt naſcendo decedentibus. Non ſaltem, ut eſt quædam defectiva ſpecies, & umbratica vitiis fallentibus.

2. Nam & ſuperbia celſitudinem imitatur: cum tu ſis unus ſuper omnia Deus excelſus. Et ambitio quid niſi honores quærit & gloriam: cum tu ſis præ cunctis honorandus, unus & glorioſus in æternum? Et ſævitia poteſtatum timeri vult: quis autem timendus, niſi unus Deus? Deus: cujus poteſtati eripi, aut ſubtrahi quid, quando, aut ubi, aut quò, vel a quo poteſt? Et blanditiæ laſcivientium amari volunt; ſed neque blandius eſt aliquid tua charitate: nec amatur quicquam ſalubrius, quam illa

præ

præ cunctis formosa & luminosa veritas tua. Et curiositas affectare videtur studium scientiæ: cum tu omnia summe noveris. Ignorantia quoque ipsa atque stultitia, simplicitatis & innocentiæ nomine tegitur: quia te simplicius quicquam non reperitur; quid autem te innocentius, quandoquidem opera tua malis inimica sunt? Et ignavia, quasi quietem appetit: quæ vero quies certa præter Dominum? Luxuria satietatem atque abundantiam se cupit vocari: tu tamen es plenitudo, & indeficiens copia incorruptibilis suavitatis. Effusio, liberalitatis obtendit umbram: sed bonorum omnium largitor affluentissimus tu es. Avaritia, multa possidere vult, & tu possides omnia. Invidia de excellentia litigat: quid te excellentius? Ira, vindictam quærit: te justius quis vindicat? Timor, insolita & repentina exhorrescit, rebus quæ amantur adversantia, dum præcavet securitati: tibi enim quid insolitum, quid repentinum? aut quis a te separat, quod diligis? aut ubi, nisi apud te, firma securitas? Tristitia, rebus amissis contabescit, quibus se oblectabat cupiditas, quia ita sibi nollet, sicut tibi auferri nihil potest.

3. Ita fornicatur anima, cum avertitur abs te, & quærit extra te ea, quæ pura & liquida non invenit, nisi cum redit ad te. (*b*) Perverse te imitantur omnes, qui longe se a te faciunt, & extollunt se adversum te. Sed etiam sic te imitando, (*c*) indicant creatorem te esse omnis naturæ: & ideo non esse, quo

a te

a te omnino recedatur. Quid ergo in illo furto ego dilexi, & in quo Dominum meum vel vitioſe atque perverſe imitatus ſum? An libuit facere contra legem, ſaltem [d] fallacia, quia potentatu non poteram: ut mancam libertatem captivus imitarer, faciendo impune quod non liceret, tenebroſa omnipotentiæ ſimilitudine?

NOTÆ.

(a) *Epulatus inde ſolam iniquitatem*) Id eſt, delectatus non pomorum eſu, ſed legis tranſgreſſione. Aliqui legunt: *ſola iniquitate*, aliqui *epulatus* jungunt cum *projeci*, minus commode, ut ſentio.

(b) *Perverſe te imitantur*) Quærendo gloriam, vindictam, poteſtatem judicandi, ſoli Deo debitam, juxta illud; *Gloriam meam alteri non dabo. Mihi vindicta, ego retribuam. Nolite judicare*, cum Deus ſit imitandus in iis ſolum, quæ nobis conveniunt, & eo modo, quo conveniunt. *Iſ.* 42. 8 *Rom.* 12. 19. *Matth.* 7. 1.

(c) *Indicant Creatorem te eſſe*) Quia actus peccati eſt *entitas quædam vitalis valde mirabilis*, participans adeoque repræſentans perfectiones divinas, & ſecundum eſſe phyſicum, pendens a generali concurſu divino; etſi ſecundum eſſe morale, ut ab homine libere & contra legem fit, a Deo non ſit volitus, ſed ſolum permiſſus. *Leſſ. l.* 14. *de perfect. div. c.* 3. *n.* 59.

(d) *Fallacia, quia potentatu non poteram*) Ex fallaci libertate, non vera poteſtate aut potentia peccat malitia; leges enim tranſgredi illicitum eſt: & poſſe peccare infirmæ mutabilitatis eſt, non potentiæ. *Recte quippe Deus omnipotens dicitur, qui tamen mori, & falli, & mentiri non poteſt*, &c. *Quod ſi ei accideret, nequaquam eſſet omnipotens. Unde quædam non poteſt, quia omnipotens eſt*, ait alibi S. D. *Lib.* 5. *de civ. c.* 10. *& lib.* 22. *c.* 25.

USUS.

1. Continet hoc caput materiam utiliſſimæ

mæ meditationis ad inflammandum amorem Dei adverſus omnium vitiorum incentiva. Demonſtrat enim S. D. omnia bona, quorum ſpecie ad peccandum allicimur, in Deo meliora reperiri. Sic ergo concupiſcentias malas elide: *Bonum eſt, quod quæro; ſed hoc ipſum in Deo meo eſt, & infinities melius in ipſo eſt. Ille prohibet, ne hoc bono tam, & tali modo utar. Obtemperabo, & differam deſiderium meum: donec in cœlo, & iſto, & omnibus aliis bonis fruar in ipſo ſummo bono.* Juvabit autem pro ſingulis tentationibus, ſingula remedia ex hoc capite petere, non ſolum quando irruunt, ſed ſæpe ea præmeditari.

2. Deteſtanda ſunt peccata ex malitia, utpote reliquis longe graviora, fiunt enim nulla perturbatione impellente, abſque omniviolentia, liberrime, & ex certa ſcientia, ſola libidine tranſgrediendi legem. Quare & a Deo gravius puniuntur, juxta illud: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Qui vero talia peccata frequentant, plerumque evadunt obſtinati in malo, & incorrigibiles.

Luc. 12. 27.

CAP. VII.

Laudat Deum de venia peccatorum, quæ fecit, & de iis, quæ non fecit, alioſque ad idem hortatur.

1. ECce ille ſervus fugiens dominum ſuum, & conſecutus umbram! O putredo, o monſtrum vitæ, & mortis profunditas! Potuit ne libere, quod non licebat: non ob aliud, niſi quia non licebat? Quid retribuam Domino, quod recolit hæc memoria mea: & anima mea, non metuit inde? Diligam te Do-

Digitized by Google

Domine, & gratias agam, & confitear nomini tuo : quoniam tanta dimiſiſti mihi mala, & nefaria opera mea. Gratiæ tuæ deputo, & miſericordiæ tuæ, quod peccata mea tanquam glaciem ſolviſti. Gratiæ tuæ deputo, & quæcunque non feci mala. Quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi? Et omnia mihi dimiſſa eſſe fateor: & quæ mea ſponte feci mala, & & quæ te duce non feci.

2. Quis eſt hominum, qui ſuam cogitans infirmitatem, audet viribus ſuis tribuere caſtitatem atque innocentiam ſuam: ut minus amet te, quaſi minus ei neceſſaria fuerit miſericordia tua, quæ donas peccata converſis ad te? Qui enim vocatus a te, ſecutus eſt vocem tuam: & vitavit ea, quæ me de meipſo recordantem & fatentem legit: non me derideat ab eo medico ægrum ſanari, a quo ſibi præſtitum eſt, ut non ægrotaret, vel potius ut minus ægrotaret. Et ideo te tantundem, imo amplius diligat: quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum ſe videt tantis peccatorum languoribus non implicari.

U S U S.

1. Docet S. Auguſtinus eos qui per pœnitentiam a gravibus peccatis reſipuerunt, Deo gratias agere, quod iſta dimiſerit, & in plura incidere non permiſerit. Hæc gratiarum actio Deo utique gratiſſima eſt, & quotidie frequentanda.

2. Docet idem eos, qui divina gratia innocentiam conſervarunt, non enim hoc ipſorum meritum, ſed Dei beneficium eſt. Quod plu-

plurimi amittunt, quia nunquam pro illo gratias agunt, nec pro retinendo orant. Inter alia præſidia conſervandæ innocentiæ & caſtitatis, firmiſſima eſſe credat adoleſcens hæc duo. I. Gratiarum actionem pro gratia præterita. II. Orationem pro perſeverantia, quam etſi homo mereri non poſſit, poteſt tamen precibus impetrare, ut docet S. D. qui pro ea impetranda Orationem dominicam aptiſſimam eſſe oſtendit, ex doctrina S. Cypriani. Unde ſalutis ſuæ amans merito quotidie Pater noſter eum ob finem recitabit, cum ſalutatione Angelica, in cujus fine perſeverantiam quoque petimus: nam *hora mortis noſtræ*, continet punctum perſeverantiæ, *quâ in Chriſto perſeveratur uſque in finem*, ut ait S. D.

Lib. de bono perſ. c. 2. & ſeqq.

Ib. c. 1.

CAP. VIII.

In furto amaſſe ſe quoque eam voluptatem, quam faciebat conſortium ſimul peccantium.

1. QUem fructum habui miſer aliquando in iis, quæ nunc recolens erubeſco, maxime in illo furto, in quo ipſum furtum amavi, nihil aliud: cum & ipſum eſſet nihil, & eo ipſo ego miſerior? Et tamen ſolus id non feciſſem, ſic recordor animum tunc meum, ſolus omni modo id non feciſſem. Ergo ibi amavi etiam conſortium eorum, cum quibus id feci. Non ergo nihil aliud quam furtum, amavi: imo vero nihil aliud, (*a*) quia & illud nihil eſt.

2. Quid eſt revera? quis eſt, qui doceat me, niſi qui illuminat cor meum, & di-

Digitized by Google

& diſcernit umbras ejus? quid eſt, quod mihi venit in mentem quærere, & diſcutere, & conſiderare? Quia ſi tunc amarem poma illa, quæ furatus ſum, & eis frui cuperem: poſſem etiam ſolus, ſi ſatis eſſet, committere illam iniquitatem, qua pervenirem ad voluptatem meam: nec (*b*) confricatione conſciorum animorum, accenderem pruritum cupiditatis meæ. Sed quoniam in illis pomis voluptas mihi non erat, ea erat in ipſo facinore, quam faciebat conſortium ſimul peccantium.

NOTÆ.

(*a*) *Quia & illud nihil eſt*) Non enim eſt verum bonum conſortium pravorum, ſed apparens: habens privationem veri boni, etſi non ametur niſi ſub ſpecie veri boni.

(*b*) *Confricatione conſciorum animorum*) Ut caro ſcabie laborans confricatione delectatur; ita ſocii improbi, familiaritatis & mutuæ conſpirationis dulcedine, inſtigantur ad ea, quæ ſoli non facerent.

CAP. IX.

Se prava ſocietatis titillatione impulſum, feciſſe furtum, quod non feciſſet ſolus,

1. QUid erat ille affectus animi? certe enim plane turpis erat nimis: & væ mihi erat, qui habebam illum. Sed tamen quid erat? *Delicta quis intelligit*? Riſus erat quaſi titillato corde, quod fallebamus eos, qui hæc a nobis fieri non putabant, & vehementer nolebant; Cur ergo eo me delectabat, *Pſal.* 18. 13.

quo

quo id non faciebam ſolus ? An quia etiam (*a*) nemo facile ſolus ridet ? nemo quidem facile . Sed tamen etiam ſolos, & ſingulos homines , cum alius nemo præſens eſt , vincit riſus aliquando : ſi aliquid nimis ridiculum , vel ſenſibus occurrerit , vel animo .

2. At ego illud ſolus non facerem , non facerem omnino ſolus . Ecce eſt coram te Deus meus , viva recordatio animæ meæ . Solus non facerem furtum illud , in quo me non libebat id , quod furabar , ſed quia furabar : quod me ſolum facere prorſus non liberet , nec facerem . O nimis inimica amicitia , ſeductio mentis inveſtigabilis ! ex ludo & joco nocendi aviditas , & alieni damni appetitus , nulla lucri mei , nulla ulciſcendi libidine ; ſed cum dicitur : eamus , faciamus , & pudet non eſſe impudentem .

NOTÆ.

(*a*) *Nemo facile ſolus ridet* , &c.) Riſus enim ex admiratiore naſcitur , ut docent Philoſophi ; *admiratio autem eſt deſiderium ſciendi aliquid novum aut inſolitum , cujus cauſam , vel conditionem , vel circumſtantiam ignoramus* . ut ſentit S. Thomas . Nova vero & inſolita frequentius coram aliis , & ab aliis fiunt , aut narrantur , aut cogitantur , quam cum ſoli ſumus . Unde ſæpius ac facilius coram aliis , præſertim familiaribus , ridemus , quam ſoli .

Fracaſt. de Sym. c. 6. Valeſ l 5. contr. c. 9. 1. 2 q. 32. a. 5.

USUS CAP. IX. ET VIII.

Concipiendum hinc eſt odium malorum ſociorum , ſæpiuſque illud in examine conſcientiæ reperendum . *At ego illud* peccatum (detractionis , ebrietatis , luxuriæ , &c.) *ſolus non facerem . non facerem omnino*

ſo-

ſolus. Vel ergo vivam ſolus, vel eos quæram ſocios, cum quibus non plus mali, ſed plus boni agam, quam ſolus.

CAP. X.

Deteſtans pravi affectus fœditatem, cupit in Deo quieſcere.

1. QUis aperit tortuoſiſſimam iſtam & implicatiſſimam nodoſitatem? Fœda eſt, nolo in eam intendere, nolo eam videre. Te volo juſtitia & innocentia, pulchra & decora honeſtis luminibus, & inſatiabili ſatietate. Quies eſt apud te valde, & vita imperturbabilis. Qui intrat in te, *intrat in gaudium domini ſui*, & non timebit, & habebit ſe optime in optimo. Defluxi abs te ego, & erravi Deus meus, nimis devius a ſtabilitate tua in adoleſcentia: & factus ſum mihi regio egeſtatis. *Matth.* 15. 21.

USUS.

Utilis eſt hæc aſpiratio ad animum accendendum, ut poſtquam in peccatis quietem nullam invenit, eam in Deo ſolo quærat.

LIBER III.

Confitetur ſe Carthagine in impuris amoribus volutatum ; ibique ex Hortenſio Ciceronis Sapientiæ amorem hauſiſſe , anno XIX. ætatis ; poſtea in Manichæorum hæreſin incidiſſe . Denique Matris de ſua converſione ſomnium , & Epiſcopi cujuſdam reſponſum recenſet .

CAPUT I.

Carthagine ſe impuros amores ſectatum , & amara libidinum voluptate potitum .

1. VEni Carthaginem , & circum ſtrepebat me undique (*a*) ſartago flagitioſorum amorum . Nondum amabam, & amari amabam : & ſecretiore indigentia , oderam me minus indigentem . Quærebam , quod amarem : amans amari , & oderam ſecuritatem , & viam ſine muſcipulis . Quoniam fames mihi erat intus ab interiori cibo, te ipſo Deus meus , & ea fame non eſuriebam ; ſed eram ſine deſiderio alimentorum incorruptibilium , non quia plenus eis eram , ſed quo inanior , eo faſtidioſior . Et ideo non bene valebat anima mea , & ulceroſa (*b*) projiciebat ſe foras miſerabiliter , ſcalpi avida contactu ſenſibilium . Sed ſi non haberent animam , non utique amarentur . Amare & amari dulce mihi erat magis , ſi etiam amantis corpore fruerer .

2. Ve-

Digitized by Goog

2. Venamigitur amicitiæ coinquinabam ſordibus concupiſcentiæ, candoremque ejus obnubilabam tartarea iibidine: & tamen fœdus atque inhoneſtus, elegans & urbanus eſſe geſtiebam, abundanti vanitate. Rui etiam in amorem, quo cupiebam capi. Deus meus, miſericordia mea, quanto felle mihi ſuavitatem illam, & quam bonus aſperſiſti! Quia & amatus ſum, & perveni occulte ad vinculum fruendi, & colligabar lætus ærumnoſis nexibus: ut cæderer virgis ferreis ardentibus, zeli, & ſuſpicionum, & timorum, & irarum, atque rixarum. Rapiebant me ſpectacula theatrica, plena imaginibus miſeriarum mearum, & fomitibus ignis mei.

N O T Æ.

(a) *Sartago flagitioſorum amorum*) Ut in ſartagine ferver ac ſtridet caro cum frigitur, ita in corde S. Aug. fervebat impurus amor.

(b) *Projiciebat ſe foras*) Q. d. anima gratia Dei & delectationibus internis deſtituta, in creaturas extra ſe poſitas inordinate irruebat: ut earum ſenſibili dulcedine, velut ſcabioſus ungue, ſcalperetur. Ubi adverte S. D. familiarem eſſe hanc phraſin: *foras ire, egredi, foras ſe projicere*, cum loquitur de inordinato creaturarum amore; illæ enim foris ſunt, *regnum vero Dei, eſt juſtitia, gaudium & pax in Spiritu ſancto* quæ *intus* ſunt in animo noſtro. Rom. 14. v. 17.

U S U S.

1. Docet S. Aug. ſuo exemplo juvenem vanitati, & ſenſibus obſequentem, divina vera faſtidientem, non poſſe ſe continere a gravibus flagitiis. Quod illi itaque evenit, ut in libidines & ſcortationes rueret: hoc,

Digitized by Google

proh dolor! quotidie aliis, eaſdem ob cauſas, fieri videmus.

2. Ut olim ita & nunc miſeranda eſt vanitas: eos urbanos & elegantes haberi, qui fœminis colludere & corridere norunt. Reperiuntur qui indignantur filiis, eoſque degeneres putant, ſi talia averſentur, malumque ſpectare proterve procantes aut jocantes, quam virgineo rubore ſuffundi.

3. Agnoſce divinam bonitatem, quæ felle aſpergit fædas voluptates, ut ab iis abſtrahat: & mirare laſcivorum ſtultitiam, qui in ſuis libidinibus *caduntur virgis ferreis*, ut loquitur S. D. & multo plura patiuntur ſub jugo mundi, quam paterentur ſub jugo Chriſti.

CAP. II.

Se impuros amores ſpectaculis theatricis foviſſe, & infauſtis amantium eventibus condoluiſſe, non vera miſericordia.

1. QUid eſt, quod homo ibi vult dolere, cum ſpectat luctuoſa atque tragica, quæ tamen pati ipſe nollet? Et tamen pati vult ex eis dolorem ſpectator, & dolor ipſe eſt voluptas ejus. Quid eſt, niſi miſerabilis inſania? Nam eo magis eis movetur quiſque, quo minus a talibus affectibus ſanus eſt, quanquam, cum ipſe patitur, miſeria; cum aliis compatitur, miſericordia dici ſolet. Sed qualis tandem miſericordia, in rebus fictis & ſcenicis? Non enim ad ſubveniendum provocatur auditor, ſed tantum ad dolendum invitatur: & actori earum imaginum amplius

plius favet, cum amplius dolet. Et ſi calamitates illæ hominum vel antiquæ, vel falſæ, ſic agantur, ut qui ſpectat non doleat, abſcedit inde faſtidiens & reprehendens. Si autem doleat, manet intentus, & gaudens lachrymatur.

2. Lachrymæ ergo amantur, & dolores? Certe omnis homo gaudere vult. An cum miſerum neminem eſſe libeat, libet tamen eſſe miſericordem? Quod quia non ſine dolore eſt, hac una cauſa amantur dolores. Et hoc de illa vena amicitiæ eſt. Sed quo vadit? quo fluit? Ut quid decurrit in torrentem picis bullientis, æſtus immanes terrarum libidinum: in quos ipſa mutatur & vertitur per nutum proprium, de cœleſti ſerenitate detorta atque dejecta? Repudietur ergo miſericordia? Nequaquam. Ergo amentur dolores aliquando.

3. Sed cave immunditiam anima mea, ſub tutore Deo meo, *Deo patrum noſtrorum, & laudabili, & ſuperexaltato in omnia ſecula*, cave immunditiam. Neque enim nunc non miſereor. Sed tunc in theatris congaudebam amantibus, cum ſeſe fruebantur per flagitia, quamvis hæc imaginarie gererentur in ludo ſpectaculi. Cum autem ſeſe amittebant, quaſi miſericors contriſtabar, & utrumque me delectabat tamen. Nunc vero magis miſereor gaudentem in flagitio, quam velut dura perpeſſum detrimento perniciosæ voluptatis, & amiſſione miſeræ fælicitatis. (*a*) Hæc certe verior miſericordia, ſed non in ea delectat dolor. Nam etſi appro- *Dan. 3 52.*

batur officio caritatis, qui dolet miserum: mallet tamen utique non esse, quod doleret, qui germanitus misericors est. Si enim est malevola benevolentia (quod fieri non potest) potest & ille, qui veraciter sinceriterque misereretur, cupere esse miseros, ut misereatur.

4. Nonnullus (*b*) itaque dolor approbandus, nullus amandus est. Hoc enim tu Domine Deus, qui animas amas, longe alteque purius quam nos, & incorruptibilius misereris: quod nullo dolore sauciaris. Et ad hæc quis idoneus? At ego tunc miser (*c*) dolere amabam: & quærebam, ut esset, quod dolerem: quando mihi in ærumna aliena, & falsa, & saltatoria, ea magis placebat actio histrionis, meque alliciebat vehementius, qua mihi lachrymæ excutiebantur. Quid autem mirum, cum infelix pecus aberrans a grege tuo, & impatiens custodiæ tuæ, turpi scabie fœdarer? & inde erant dolorum amores, non quibus altius penetrarer (non enim amabam talia perpeti, qualia spectare) sed quibus auditis & fictis, tanquam in superficie raderer; quos tamen, quasi ungues scalpentium, fervidus tumor, & tabes, & sanies horrida consequebatur. Talis vita mea nunquid vita erat, Deus meus?

NOTÆ.

(a) *Hæc certe verior misericordia*) Misericordia vera est *dolor sive displicentia de vero malo alterius*, ut colligitur ex S. Th. quando nimirum *ita prabetur misericordia*, *ut*

L. 2. q. 30. a. 3.

ut conſervetur juſtitia: ſive cum indigenti tribuitur, ſive cum ignoſcitur pœnitenti, teſte S. Anguſt. Hæc vero miſericordia, qua adoleſcens condolebat in theatro, infauſtis flagitioſe amantium eventibus, non erat vera: improbis enim eripi facultatem peccandi bonum, non malum eſt. Unde male de ipſorum bono doluiſſe ſe agnoſcit. *L. 9. de civ. Dei c. 5.*

(b) *Nonnullus itaque dolor approbandus, nullus amandus eſt*) Oſtendit etiam vera miſericordia, non amari dolorem, tum quia mallet non eſſe alienam miſeriam, de qua dolet, tum quia Deus miſeretur abſque ullo dolore, ſola ſimplici diſplicentia alieni mali. Cum autem S. D. negat eſſe amandum dolorem miſerentis, etſi ſit approbandus: ſolum ſignificat dolorem, ut eſt malum naturæ diſſentaneum, nihil habere intrinſece, unde ametur. Non vero negat eum, ut ſuſcipitur intentione caritatis, poſſe amari. Si enim poteſt approbari, bonus eſt: ſi bonus, poteſt amari: ergo ſi approbandus, eſt etiam amandus, non propter ſe, ſed proximum. Quo pacto SS. Martyres amant mortem, & tormenta propter Deum.

(c) *Dolere amabam*) Dolorem falſum, qui dum actorum peritia, nativaque repræſentatione augebatur, augebat impuros animi ardores. Non aliter itaque Auguſt. amabat & quærebat dolorem in fœdis ſpectaculis, quam ſcabioſus ungues ſcalpentium: ut modico dolore dulciorem ſentiat carnis pruritum.

USUS.

Docet S. D. deteſtari turpia ſpectacula, quæ nihil aliud ſunt, quam fomites libidinis, vel ſuſcitandæ, vel alendæ.

Digitized by Google

CAP. III.

Se in templo quoque negotium libidinis procuraſſe, in ſibola autem Rhetoris ſuperbiiſſe, calumnias tamen everſorum odiſſe.

1. ET circumvolabat ſuper me fidelis a longe miſericordia tua. In quantas iniquitates diſtabui, & ſacrilegam curioſitatem ſecutus ſum, ut deſerente te, deduceret me ad ima infida, & circumventoria obſequia dæmoniorum; (*a*) quibus immolabam facta mea mala, & in omnibns flagellabas me. Auſus ſum etiam in celebritate ſolemnitatum tuarum, intra parietes eccleſiæ tuæ concupiſcere: & agere negotium procurandi fructus mortis. Unde me verberaſti gravibus pœnis. Sed nihil ad culpam meam, o tu prægrandis miſericordia mea! Deus meus, refugium meum a terribilibus nocentibus: quibus vagatus ſum præfidenti collo, a longe recedendo a te, amans vias meas, & non tuas, amans fugitivam libertatem.

2. Habebant & illa ſtudia, quæ honeſta vocabantur, ductum ſuum, inquentem fora litigioſa, ut excellerem in eis: eo laudabilior, quo fraudulentior. Tanta eſt cæcitas hominum, de cæcitate etiam gloriantium. Et major jam eram in ſchola rhetoris, & gaudebam ſuperbe, & (*b*) tumebam typho, quamquam longe ſedatior, Domine tu ſcis:

ſcis: & remotus omnino ab everſionibus, (c) quas faciebant everſores (hoc enim nomen ſævum & diabolicum, velut inſigne urbanitatis eſt) inter quos vivebam pudore impudenti, quia talis non eram. Et cum eis eram, & amicitiis eorum delectabar aliquando, a quorum ſemper factis abborrebam: hoc eſt, ab everſionibus, quibus proterve inſectabantur ignotorum verecondiam, quam perturbarent gratis illudendo, atque inde paſcendo malevolas lætitias ſuas. Nihil eſt illo actu ſimilius actibus dæmoniorum. Quid itaque verius, quam everſores vocarentur? Everſi plane prius ipſi atque perverſi, deridentibus eos, & ſeducentibus fallacibus occulte ſpiritibus, in eo ipſo, quod alios irridere amant & fallere.

NOTÆ.

(a) *Quibus immolabam facta mea*) Sæpius S. D. opera humana per modum ſacrificii explicat, ſive in obſequium Dei, ſive Dæmonis fiant. Sic ſupra dicebat *non uno modo ſacrificavi tranſgreſſoribus Angelis*, ſic S. David. *Sacrificium laudis honorificabit me*. *L. 1. c. 17. Pſ. 49. 23.*

(b) *Tumebam typho*) Familiaris vox hæc eſt S. D. qua tumorem & faſtum ſuperbientis animi denotat; græce enim τύφος fumum, cui ſuperbia ſimillima eſt, item tumorem ſignificat, & τυφόομαι idem eſt, quod inaniter jacto, ſuperbio, tumeo.

(c) *Quas faciebant everſores*) Dubium eſt, quos S. D. everſores intelligat; Caius Juriſconſultus everſores appellat prodigos & diſſolutos, *qui patrimonium profundunt, & toto vitæ tempore ſub curatore ſunt, non minus; quam inſani*. Mihi S. D. everſores diſciplinæ ſcholaſticæ, & ſanniones paſſim *Inſtit. 1.*

quoſvis calumniis inceſſentes, videtur intelligere, hoc enim verba ſatis inſinuant, dum ait eos inſectatos ignotorum verecundiam.

USUS.

1. Adverte, quomodo adoleſcens refractis ſemel timoris divini, & caſtitatis repagulis, omnia in peſtem vertat: adeo ut in templo quoque, ubi negotium ſalutis curare deberet, exitium laſcivo aſpectu ac nutu ſibi procuret.

2. Juvenem libidini deditum, nihil cæleſte & æternum, ſed vana ſolum ac caduca meditari, ut Auguſtinus inanem gloriam.

CAP. IV.

Ex Hortenſio Ciceronis haúſit amorem Sapientiæ, anno XIX. ætatis, Chriſti vero nomen ibi non reperit.

1. INter hos ego, imbecilla tunc ætate, diſcebam libros eloquentiæ, in qua eminere cupiebam fine damnabili, & ventoſo per gaudia vanitatis humanæ. Et uſitato jam diſcendi ordine, perveneram in librum quendam cujuſdam Ciceronis, cujus linguam fere omnes mirantur, pectus non ita. Sed liber ille, ipſius exhortationem continet ad philoſophiam, & vocatur Hortenſius. Ille vero liber mutavit affectum meum, & ad te ipſum Domine mutavit preces meas, & vota ac deſideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana ſpes, & immortalitatem ſapientiæ concupiſcebam æſtu cordis incredibili: & ſurgere jam cœperam, ut ad te redirem. Non enim ad acuendam linguam, quod vide-

videbar emere maternis mercedibus, cum agerem annum ætatis undevigesimum, jam defuncto patre ante biennium: non ergo ad acuendam linguam, referebam illum librum, neque mihi locutionem, sed quod loquebatur, persuaserat.

2. Quomodo ardebam Deus meus, quomodo ardebam evolare a terrenis ad te! & nesciebam, quid ageres mecum, apud te est enim sapientia. Amor autem Sapientiæ, nomen græcum habet φιλοσοφίαν, quo me accendebant illæ literæ. Sunt, qui seducant per philosophiam, magno, & blando, & honesto nomine colorantes, & fucantes errores suos. Et prope omnes, qui ex illis & supra, temporibus tales erant, notantur in eo libro & demonstrantur; & manifestatur ibi salutifera illa admonitio spiritus tui, per servum tuum bonum & pium: *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem seductionem: secundum traditionem hominum, secundum elementa hujus mundi, & non secundum Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Col. 1. 8. 9.

3. Et ego illo tempore, scis tu lumen cordis mei, quoniam nondum mihi hæc Apostolica nota erant: hoc tamen solo delectabar in illa exhortatione, quod non illam aut illam sectam, sed ipsam quæcunque esset, Sapientiam ut diligerem, & quærerem, & assequerer, & tenerem atque amplexarer fortiter, excitabar sermone illo. Et accendebar, & ardebam:

bam: & hoc ſolo in me tanta flagrantia refrigebat, quod nomen Chriſti non erat ibi. Quoniam hoc nomen, ſecundum miſericordiam tuam Domine, hoc nomen ſalvatoris mei filii tui, in ipſo adhuc lacte matris, tenerum cor meum pie biberat & alte retinebat: & quidquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamvis literatum & expolitum & veridicum, non me totum rapiebat.

USUS.

1. Multum prodeſt lectio librorum, qui de Sapientia & virtute diſſerunt, etſi ab Ethnicis ſcripti ſint, quia in his quoque apparet, quam longe non ſolum a Deo, ſed a natura quoque humana diſcedant homines ſcelerati. Certe ex Hortenſio Ciceronis, qui liber non extat, Auguſtinus primum affectum Sapientiæ, & nauſeam vanitatis concepit, in quo adhuc *a longe circumvolabat ſuper ipſum fidelis miſericordia Dei*, quia poſt multos demum annos fecit, quod tum faciendum in ejus libri lectione, velut eminus vidit.

Lib. de vita beata.

2. Etſi immerſus flagitiis Auguſtinus, preces tamen ad Deum ardenter fundebat, argumento efficaci Orationem eſſe bonæ mentis, ſaltem futuræ indicium, juxta illud, *Benedictus Deus, qui non amovit deprecationem ſuam, & miſericordiam ſuam a me.* Metuant illi amotam eſſe a ſe miſericordiam Dei, qui ipſi a ſe amovent omne ſtudium Orationis: & quibus ſupplicium eſt os ad precandum aperire. Tales aut impii ſunt, aut erunt.

Pſ. 65. 20.

V S.D. ibid.

3. Metuant parentes divinum judicium, qui filios in vanitate & vanitati educant, illorumque innocentiam ſua indulgentia corrumpunt, ne ſpe excidant: & vel ſua, vel illorum morte præventi delicijs ſuis frui nequeant. Ecce pater Auguſtini, qui domi

domi fuæ filium anno XVI. ætatis corrumpi permiſit, de eloquentia ipſius non ſalute ſolicitus, vix eo anno elapſo, moritur: nam hoc capite patrem ante biennium defunctum memorat, cum ipſe ageret annum XIX.

4. Non ſapiebant totum Auguſtinum libri gentilium, quamvis expoliti & veridici, quia nomen Chriſti non erat ibi, quod a matre cum lacte ſuxerat. Diſcant matres, quantum profit filios mature aſſuefacere ad uſum ſalutaris Nominis; eſt talis inſtitutio ſubinde aut occaſio, aut adjumentum ſalutis.

CAPUT V.

Scripturæ ſimplicitatem præ Tulliana eloquentia ſprevit.

1. ITaque inſtitui animum intendere in ſcripturas ſanctas, ut viderem quales eſſent. Et ecce, video rem non compertam ſuperbis, neque nudatam pueris, ſed inceſſu humilem, ſucceſſu excelſam, & velatam myſteriis; & non eram ego talis, ut intrare in eam poſſem, aut inclinare cervicem ad ejus greſſus. Non enim, ſicut modo loquor, ita ſenſi, cum attendi ad illam ſcripturam: ſed viſa mihi eſt indigna, quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum ejus: & acies mea non penetrabat interiora ejus. Veruntamen illa erat, quæ creſceret cum parvulis. Sed ego dedignabar eſſe parvulus: & turgidus faſtu, mihi grandis videbar.

USUS.

Oſtendit S. D. viam ad intelligentiam Scripturarum eſſe humilitatem, ſine qua

ſpernitur nec intelligitur a ſuperbis, & pervertitur ab hæreticis. Sed vide, quomodo Scriptura cieverit, cum humili Auguſtino, quæ parva erat ſuperbo: ita ait jam humilis: *Quidquid homo extra* Scripturam *didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur, ſi utile invenitur. Et cum ibi quiſque invenerit omnia, qua alibi invenerit: multo abundantius ibi inveniet ea, qua nuſquam omnino alibi, ſed in illa tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate diſcuntur.*

L. 2. de doct. Ch. c. 9.

CAP. VI.

Manichæorum fallaciis ſeductus, Deum eſſe corpus quoddam ſplendidum, & infinitum credidit.

1. ITaque incidi in homines (*a*) ſuperbe delirantes & carnales nimis, & loquaces; in quorum ore laquei diaboli, & viſcum confectum commixtione ſyllabarum nominis tui, ſed & Domini Jeſu Chriſti, & paracleti conſolatoris Spiritus ſancti. Hæc enim nomina non recedebant de ore eorum, ſed ſono tenus & ſtrepitu linguæ; cæterum cor inane veri. Et dicebant: Veritas & veritas; & multi eam dicebant mihi, & nuſquam erat in eis. Sed (*b*) falſa loquebantur, non de te tantum, qui vere veritas es, (*c*) ſed etiam de iſtis elementis hujus mundi creaturis tuis: de quibus etiam vera dicentes philoſophos, tranſgredi debui præ amore tuo, mi pater ſumme bone, pulchritudo pulchrorum omnium. O veritas, veritas, quam intime etiam tunc, medullæ animi mei ſuſpirabant tibi! cum te illi ſonarent mihi

mihi frequenter, & multipliciter voce ſola, & libris multis & ingentibus. Et illa erant ſercula, in quibus mihi eſurienti te, inferebantur pro te Sol & Luna, pulchra opera tua: ſed tamen opera tua, non tu, nec ipſa prima. Priora enim ſpiritualia opera tua, quam iſta corporea, quamvis lucida & cœleſtia. At ego nec priora illa, ſed te ipſam, te veritas, in qua *non eſt commutatio*, *nec momenti obumbratio*, eſuriebam & ſitiebam. Et apponebantur adhuc mihi in illis ferculis phantaſmata ſplendida: quibus jam melius erat amare iſtum Solem, ſaltem iſtis oculis, verum, quam illa falſa animo decepto per oculos. Et tamen, quia te putabam, manducabam; non avide quidem, quia nec ſapiebas in ore meo, ſicuti es: neque enim tu eras illa figmenta inania; nec nutriebar ex eis, ſed exhauriebar magis. Cibus in ſomnis, ſimillimus eſt cibis vigilantium, quo tamen dormientes non aluntur, dormiunt enim. At illa nec ſimilia erant ullo modo tibi, ſicut nunc mihi locuta es; quia illa erant corporalia phantaſmata, falſa corpora, quibus certiora ſunt vera corpora iſta, quæ videmus viſu carneo, ſive cæleſtia, ſive terreſtria. Cum pecudibus & volatilibus videmus hæc: & [d] certiora ſunt, quam cùm imaginamur ea. Et rurſus certius imaginamus ea, quam ex eis ſuſpicamur alia grandiora, & infinita, quæ omnino nulla ſunt: qualibus ego tunc paſcebar inanibus, & non paſcebar.

Jac. 1. 17.

3. At tu amor meus, in quem deficio,

ficio, ut fortis sim, nec ista corpora es, quæ videmus, quamquam de cœlo; nec ea es, quæ non videmus ibi: quia tu ista condidisti, nec in summis tuis conditionibus habes. Quanto ergo longe es a phantasmatibus illis meis, phantasmatibus corporum, quæ omnino non sunt! quibus certiores sunt phantasiæ corporum eorum, quæ sunt, & eis certiora corpora, quæ tamen non es. Sed nec anima es, quæ vita est corporum: ideo melior vita corporum certiorque, quam corpora. Sed tu vita es animarum, vita vitarum, vivens teipsa, & non mutaris vita animæ meæ. Ubi ergo mihi tunc eras, & quam longe? Et longe peregrinabar abs te, excluſus
Luc. 15. 16. & a *siliquis porcorum*, quos de siliquis pascebam. Quanto enim meliores grammaticorum, & poetarum fabellæ, quam illa decipula! Nam versus, & carmen, & Medea volans, utiliores sunt certe, quam quinque elementa variis fucata, propter quinque antra tenebrarum, quæ omnino nulla sunt, & occidunt credentem. Nam versum & carmen, etiam ad vera elementa transfero. Volantem autem Medeam, etsi cantabam, non asserebam: & si cantari audiebam, non credebam, illa autem credidi.

4. Væ væ, quibus gradibus deductus sum in profunda inferni! quippe laborans & æstuans inopia veri, cum te Deus meus [tibi enim confiteor, qui me miseratus es, & nondum confitentem] cum te non secundum intellectum mentis, quo

quo me præſtare voluiſti belluis, ſed ſecundum ſenſum carnis quærerem (tu autem eras interior intimo meo: & ſuperior ſummo meo) offendi in illam mulierem audacem, inopem prudentiæ, ænigma Salomonis, ſedentem ſuper ſellam in foribus, & dicentem: *Panes occultos* libenter edite, *& aquam dulcem furtivam* bibite. Quæ me ſeduxit, quia invenit foris, habitantem in oculo carnis meæ: & talia ruminantem apud me, qualia per illum voraſſem.

NOTÆ.

(a) *Homines ſuperbe delirantes*) Manichæos intelligit, quorum autor Perſa quiſpiam fuit Urbicus nomine, poſtea Manes dictus, ut ipſum nomen ejus inſaniam proderet (μάνη enim Græce, eſt furioſus) ejus tamen diſcipuli *in litera geminata Mannichæum, quaſi manna fundentem*, appellaverunt teſte S. Auguſt. hær. 46. ad Quodvult Deum. Ejus vero doctrina non ſolum fuit impia, verum & ſtulta, ut mirum ſit Auguſtinum potuiſſe ei fidem habere. Afferemus hic & alibi, cum opus erit, quoſdam errores ex ipſo S. D. qui nefariam hæreſim eliſit, multis nobiliſſimiſque libris. *Tom. 6. oper.*

(b) *Falſa loquebantur, non de te tantum*) primus ac principalis Manichæi error fuit circa Deum. I. Poſuit duo principia ſibi contraria & coæterna: ſive duas ſubſtantias, unam boni, alteram mali. II. Quando utraque natura inter ſe pugnavit, factam eſſe commixtionem boni & mali. III. De hac commixtione a natura boni, hoc eſt a natura Dei, mundum eſſe conditum. IV. Lucem iſtam corpoream in infinitum extenſam, & omnibus rebus lucidis, inter quas animas quoque humanas numerant, permixtam, eſſe Dei naturam.

Un-

Unde ſequitur tum animas bonas, tum alias res lucidas eſſe fruſta divinæ ſubſtantiæ.

(c) *Sed etiam de iſtis elementis*) Fabulabantur enim. I. Elementa eſſe duplicia, quinque bona, & mala totidem. II. Priora a natura boni, poſteriora a natura mali progenita. III. Ex bonis genitas virtutes ſanctas: ex malis principes tenebrarum, IV. Mala hæc eſſe: *Fumum*, *tenebras*, *ignem*, *aquam*, *ventum*, his bona totidem opponi: *Fumo aerem*, *tenebris lucem*, *igni malo ignem bonum*, *aqua mala*, *aquam bonam*, *vento malo*, *ventum bonum*. V. Elementis malis debellandis miſſa eſſe elementa bona, de regno, & ſubſtantia Dei: & in illa pugna fuiſſe permixta. VI. In fumo nata animalia bipedia, ipſoſque homines, in tenebris ſerpentia, in igne quadrupedia, in aquis natatilia, in vento volatilia. Quod intelligebant de ſubſtantia mali, quæ in ſingulis his reperitur, ſubſtantiam enim boni elementis bonis, ipſique Deo aſſignabant.

(d) *Certiora ſunt, quam cum imaginamur ea*) Quia nempe cognitio corporum præſentium, quæ habetur per oculos, eſt intuitiva: adeoque ex ſuo genere certior quam abſtractiva, quæ objecto abſente habetur & magis falſitati eſt obnoxia. Cum vero ſubjungit *vitam corporum eſſe certiorem, quam corpora*, ſignificat effectus vitæ, ſive animæ eſſe tam manifeſtos, ut minus fallamur judicando aliquid eſſe vivens, quam corpus.

U S U S.

1. Eadem eſt Hæreticorum nunc & olim indoles, omnia apud ipſos perſtrepunt nomine *Jeſu Chriſti Salvatoris*, & *Spiritus ſancti conſolatoris*, & *illuſtratoris*, identidem crepant *puram Evangelii veritatem*. Sed cum omnibus hoc Hæreticis ſit commune, monendi ſunt ſimplices & incauti, nullum hinc

hinc veræ religionis argumentum ſumi poſſe: ſicut enim *non omnis, qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*, vel ipſo Chriſto teſte, ſic non omnis qui uſurpat nomen Domini, oſtendit viam ad regnum cælorum. *Matth. 21.*

2. Cauſa cur S. D. fuerit in hæreſin lapſus, ex parte quidem intellectus fuit error, quo putabat quidquid eſt, adeoque & Deum ipſum eſſe corporeum: ex parte vero voluntatis perverſus affectus, quo nihil niſi carnale & corporeum amabat, expertus illud, quod ſupra dixit; *Deum infatigabili lege ſpargere panales cæcitates, ſuper illicitas cupiditates.* Ut vero libido præcipitavit Auguſtinum in hæreſin, ita alios quoque Veneris filios, in idem barathrum præcipitare ſolet ac poteſt; præſertim cum inter hæreticos peregrinantur, a quibus ſi non hæreſin, certe Atheiſmum & Machiavelliſmum, in patriam non raro referunt. *Lib. 1. c. 18.*

CAP. VII.

In errores Manichæorum ſe ineidiſſe, quia neſciebat, unde malum, & Deum eſſe incorporeum, & juſtis in veteri teſtamento aliqua licuiſſe, quæ jam non licent.

1. NEſciebam enim aliud vere quod eſt; & quaſi acutule movebar, ut ſuffragarer ſtultis deceptoribus, (*a*) cum a me quærerent: unde malum? & utrum forma corporea Deus finiretur: & haberet capillos & ungues? & utrum juſti exiſtimandi eſſent, qui haberent multas uxores ſimul; & occiderent homines, & ſacrificarent de animalibus? Quibus rebus ignarus perturbabar: & re-

recedens a veritate, ire in eam mihi videbar; quia non noveram malum non esse nisi privationem boni, usque ad quod omnino non est. Quod unde viderem, cujus videre usque ad corpus erat oculis, & animo usque ad phantasma? Et non noveram *Deum esse spiritum*, non cui membra essent per longum & latum, nec cui moles esset: quia moles in parte minor est, quam in toto suo; & si infinita sit, minor est in aliqua parte certo spacio definita, quam per infinitum; & non est tota ubique sicut spiritus, sicut Deus. Et quid in nobis esset, secundum quod essemus similes Deo: & si recte in scripturis diceremur, *ad imaginem Dei*, prorsus ignorabam.

Joan. 4. 24.

Gen. 1. 17.

2. Et non noveram justitiam veram interiorem, non ex consuetudine judicantem, sed ex lege rectissima Dei omnipotentis: qua formarentur mores regionum & dierum pro regionibus & diebus, cum ipsa ubique ac semper esset, non alibi alia, nec alias aliter. Secundum quam justi essent Abraham, & Isac, & Jacob, & Moyses, & David, & illi omnes laudati ore Dei, sed eos ab imperitis judicari iniquos, (*b*) *judicantibus ex humano die*, & universos mores humani generis, ex parte moris sui merientibus. Tanquam si quis nescius in armamentis, quid cuique membro accommodatum sit, ocrea velit caput contegi, & galea calceari, & murmuret, quod non apte conveniat: aut in uno die indicto a pomeridianis horis ju-

1. Cor. 4. 3.

juſtitio, quiſquam ſtomachetur non ſibi concedi, quid venale proponere, quia mane conceſſum eſt: aut in una domo videat aliquid tractari manibus a quoquam ſervo, quod facere non ſinatur, qui pocula miniſtrat: aut aliquid poſt præſepia fieri, quod ante menſam prohibeatur: & indignetur, cum ſit unum habitaculum & una familia, non ubique atque omnibus idem tribui. Sic ſunt iſti, qui indignantur, cum audierint illo ſeculo licuiſſe juſtis aliquid, quod iſto non licet juſtis: & quia illis aliud præcepit Deus, iſtis aliud pro temporalibus cauſis, cum eidem juſtitiæ utique ſervierint: cum in uno homine, & in una die, & in unis ædibus videant aliud alii membro congruere, & aliud jamdudum licuiſſe, & poſt horam non licere, quiddam in illo angulo permitti aut juberi, quod in iſto juſte vetetur & vindicetur.

3. Nunquid juſtitia varia eſt & mutabilis? Sed tempora, quibus præſidet, non pariter eunt, tempora enim ſunt. Homines autem, quorum vita ſuper terram brevis eſt, quia ſenſu non valent cauſas contexere ſeculorum priorum, aliarumque gentium, quas experti non ſunt, cum his quas experti ſunt: in uno autem corpore, vel die, vel domo, facile poſſunt videre, quid cui membro, quibus momentis, quibus partibus perſoniſve congruat, in illis offenduntur, his ſerviunt. Hæc ego tunc neſciebam, & non advertebam, & feriebant undique iſta oculos meos, & non vi-

videbam. Et cantabam carmina, & non mihi licebat ponere pedem quemlibet ubilibet: ſed in alio atque alio metro, aliter atque aliter, & in uno aliquo verſu, non omnibus locis eundem pedem: & ars ipſa, qua canebam, non habebat aliud alibi, ſed omnia ſimul. Et non intuebar juſtitiam, cui ſervirent boni & ſancti homines, longe excellentius atque ſublimius habere ſimul omnia, quæ præcepit Deus, & nulla ex parte variari: & tamen variis temporibus non omnia ſimul, ſed propria diſtribuentem ac præcipientem. Et reprehendebam cæcus pios patres, non ſolum ſicut Deus juberet atque inſpiraret utentes præſentibus, verum quoque ſicut Deus revelaret, futura prænunciantes.

NOTÆ.

(a) *Cum a me quærerent &c.*) In triplicem Manichæorum errorem impulſus eſt Auguſtinus, triplici illorum fallacia. I. Quærebant ab illo, *unde malum eſſet?* cujus cauſam cum bono Deo aſſignare non poſſet, ſubſtantiam malam admiſit, neſciens *malum eſſe privationem boni*. II. Cavillabantur Catholicos *Deo humani corporis figuram tribuere*, quod dicerent hominem factum ad imaginem Dei. Neſciens vero Auguſtinus, qua in re Deo ſimiles ſimus: Deum eſſe corpus lucidum infinitum perſuaſus eſt. III. Dicebant juſtos eſſe non poſſe, *qui haberent multas uxores, & occiderent homines, & ſacrificarent de animalibus*, quæ cum de patribus veteris teſtamenti tradantur, Deum non eſſe illius autorem inferebant.

Huic triplici veneno triplex opponit antidotum. I. Aſſerit malum eſſe *privationem boni*, quod infra pluribus oſtendet. II. Deum

eſſe

esse spiritum, nec *molem magnum*, quia moles minor est in parte, quam in toto, Deus autem ubique totus est. III. Posse *alio tempore quædam esse licita, alio illicita*, quod variis exemplis aperte demonstrat. I. Ex ipsa justitia, quæ variis temporibus & locis eadem jam permittit, jam interdicit. II. Diversis membris non eadem conveniunt. III. In domo non possunt omnia fieri quovis loco. IV. Eodem die non permittuntur eadem, quavis hora. V. In eodem carmine non est ubivis locus cuilibet pedi, ergo potuerunt Patribus quoque veteris Testamenti quædam esse licita, quæ nunc sunt illicita, & merito interdicta. *V. ep. 5. ad Marcell.*

(b) *Ex humano die*) Id est secundum judicium humanum, ita Paulus l.c. ait: *mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die*; sic etiam latini Scriptores diem pro judicio sumunt, apud quos *diem dicere* idem est, quod in jus, sive judicium vocare.

U S U S.

Hinc apparet, quam plerumque Hæreticorum argumenta sint frivola, utpote quæ quotidianis exemplis possunt refelli: & cum his pugnant, quæ ipsimet faciunt & credunt.

C A P. VIII.

Quæ sunt contra naturam, semper ac ubique illicita esse: quæ vero contra mores & pacta hominum, fieri licita jubente Deo.

1. SEd nunquid aliquando, aut alicubi, injustum est *diligere Deum, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & diligere proximum tanquam seipsum*? Itaque flagitia, quæ sunt contra naturam, ubique ac semper detestan- *Deut. 6. 5. Matth. 22. 37.*

ſtanda atque punienda ſunt, qualia *Sodomitarum* fuerunt. Quæ ſi omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divina lege tenerentur: quæ non ſic fecit homines, ut ſe illo uterentur modo. Violatur quippe ipſa ſocietas, quæ cum Deo nobis eſſe debet, cum eadem natura, cujus ille auctor eſt, libidinis perverſitate polluitur.

Gen. 19. 24.

Diſt. 8. c. *Quæ contra.*

Quæ (*a*) autem contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate vitanda ſunt, ut pactum inter ſe civitatis aut gentis, conſuetudine vel lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens. Cum autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet jubet: & ſi nunquam ibi factum eſt, faciendum eſt, & ſi omiſſum, inſtaurandum, & ſi inſtitutum non erat, inſtituendum eſt. Si enim regi licet in civitate, cui regnat, jubere aliquid, quod neque ante illum quiſquam, nec ipſe unquam juſſerat: & non contra ſocietatem civitatis ejus obtemperatur, imo contra ſocietatem non obtemperatur (generale quippe pactum eſt ſocietatis humanæ, obedire regibus ſuis) quanto magis Deo regnatori univerſæ creaturæ ſuæ, ad ea quæ juſſerit, ſine dubitatione ſerviendum eſt? Sicut enim in poteſtatibus ſocietatis humanæ major poteſtas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.

2. Item (*b*) in facinoribus, ubi libido eſt nocendi, ſive per contumeliam, ſive

ſive per injuriam, & utrumque vel ulciſcendi cauſa, ſicut inimico inimicus; vel adipiſcendi alicujus extra commodi, ſicut latro viatori, vel evitandi mali, ſicut ei, qui timetur: vel invidendo: ſicut feliciori miſerior, aut in aliquo proſperatus ei, quem ſibi æquari timet, aut æqualem dolet: vel ſola voluptate alieni mali, ſicut ſpectatores gladiatorum, aut irriſores, aut illuſores quorumlibet. Hæc ſunt capita iniquitatis, quæ pullulant principandi, & ſpectandi, & ſentiendi libidine: aut una, aut duabus earum, aut ſimul omnibus. Et vivitur male (*c*) adverſus tria & ſeptem, *pſalterium decem chordarum*, decalogum tuum, Deus altiſſime & dulciſſime. *Pſ.* 32.2.

3. Sed (*d*) quæ flagitia in te, qui non corrumperis? Aut quæ adverſus te facinora, cui noceri non poteſt? Sed hoc vindicas, quod in ſe homines perpetrant; quia etiam, cum in te peccant, impie faciunt in animas ſuas, & *mentitur iniquitas ſibi*, ſive corrumpendo aut pervertendo naturam ſuam, quam tu feciſti & ordinaſti: (*e*) vel immoderate utendo conceſſis rebus: vel in non conceſſa flagrando in eum uſum, qui eſt *contra naturam*: aut rei tenentur, animo & verbis ſævientes adverſus te, & adverſus *ſtimulum calcitrantes*: aut cum diſruptis limitibus humanæ ſocietatis, lætantur audaces privatis conciliationibus aut direptionibus, prout quidque delectaverit, aut offenderit. *Pſ.* 26. 12. *Rom.* 2. 26. *Act.* 5. 5.

4. Et ea fiunt, cum tu derelinqueris fons vitæ, qui es unus & verus creator, & re-

& rector universitatis: & privata superbia, diligitur in parte unum falsum. Itaque pietate humili reditur in te, & purgas nos a consuetudine mala, & propitius es peccatis confitentium, & exaudis gemitus compeditorum, & solvis a vinculis quæ nobis fecimus: si jam non erigamus adversus te cornua falsæ libertatis, avaritia plus habendi, & damno totum amittendi: amplius amando proprium nostrum, quam te omnium bonum.

NOTÆ.

(a) *Quæ autem contra*) Totum hunc [illegible] S. D. [illegible] humanæ [illegible] leges [illegible].

(b) [illegible]

(c) [illegible] Deum [illegible]

(d) [illegible]

quandam
præsentur
flagitiorum
docet
(e
cata
ut eis
neris
& bia
citrus
to
nique
az, per

1. Im
pium :
nes
nitatis
sedam od

2. Cu
diam
non
veni
dicendum

3. Et
juſ
tor
corruptum
verum

4. In
peccata
Deus
lapsu
ſetus
tiam
panis
tum
ſeſa
pane
eſt

Google

CAP. IX.

Multa facta homines improbant, quæ Deus probat, & viciſſim multa damnat, quæ homines laudant: etſi vero aliquid Deus inuſitatum jubeat, faciendum eſt.

1. SEd inter flagitia & facinora & tam multas iniquitates, ſunt (*a*) peccata proficientium: quæ a bene judicantibus & vituperantur ex regula perfectionis, & laudantur ſpe frugis, ſicut herba ſegetis. Et ſunt (*b*) quædam ſimilia vel flagitio, vel facinori, & non ſunt peccata: quia nec te offendunt Dominum Deum noſtrum, nec ſociale conſortium; cum conciliantur aliqua in uſum vitæ congrua tempori: & incertum eſt, an libidine habendi; aut puniuntur corrigendi ſtudio poteſtate ordinata, & incertum eſt, an libidine nocendi. Multa itaque facta, quæ hominibus improbanda viderentur, teſtimonio tuo approbata ſunt: & multa laudata ab hominibus, te teſte damnantur: cum ſæpe ſe aliter habet ſpecies facti, & aliter facientis animus, atque articulus occulti temporis.

2. Cum vero tu aliquid repente inuſitatum & improviſum imperas, etiamſi hoc aliquando vetuiſti (quamvis cauſam imperii tui pro tempore occultes: & quamvis contra pactum ſit aliquorum hominum ſocietatis) quis dubitat eſſe faciendum, quando ea juſta eſt ſocietas hominum, quæ ſervit tibi? Sed beati, qui

qui te imperaſſe ſciunt. (c) Fiunt enim omnia a ſervientibus tibi, vel ad exhibendum quod ad præſens opus eſt, vel ad futura prænuncianda.

NOTÆ.

(a) *Peccata proficientium*) Imperfectiones & negligentiæ, quæ inter ipſum virtutis conatum ſubrepunt, & ſicut *herba ſegetis* etſi inutiliter luxurians, promittunt frugem ac meſſem. Errando enim diſcimus non ſolum artes, verum & virtutes: ideoque quotidie dicimus: *dimitte nobis debita noſtra*.

(b) *Quædam ſimilia vel flagitio, vel facinori*) Ut occiſio filii, quam Deus præcepit Abrahæ; ſpoliatio Ægyptiorum, facta ab Iſraelitis, petentibus & aſferentibus *vaſa argentea & aurea, veſtemque plurimam*: occupatio terræ Chanaan, quæ injuſte videtur antiquis poſſeſſoribus erepta; adulterium Oſeæ, cum accepit jubente Deo uxorem fornicariam; polygamia, ſive plurium uxorum conjugium antiquis patribus uſitatum. Hæc gentilium & Manichæorum, imo cujuſvis hominis judicio improbanda viderentur: niſi Deus ea fieri juſſiſſet, aut conceſſiſſet, juſtiſſime & ſapientiſſime. *Ipſe enim eſt, qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus pro peccato primi parentis*, &c. *cujus ſententia ſi homo* (verbi gratia Abraham) *ſit executor autoritate divina, non erit homicida, ſicut nec Deus. Similiter nec fuit contra juſtitiam, quod mandavit Judæis, ut res Ægyptiorum acciperent*, &c. *quidquid enim accipit aliquis ex mandato Dei, qui eſt Dominus univerſorum, non accipit abſque voluntate Domini, quod eſt furari*, ut ait S. Th. Ipſe Chananæos *dupliciter invenit reos, pro eo quod & terras alienas invaſerant* (filii enim Cham invaſerunt terram filiorum Sem, e quorum ſemine fuit Abraham) *& poſtea ſcelera, & crimina inaudita commiſerant, non ergo filii Iſraël terram alienam*, Gen. 22. 2. Exod. 3. 22. & 11. 2. & 12. 35. Oſe. 1. 2. 1. 2. qu. 100. a. 8. ad 2. & 9. 94. a. 5. ad 2. Ser. 105 de tem.

l. 16. de civ. cap. 38. & l. 22. contra Faust. c. 47. v Bel. t. 2. l. 1. de matr. c. 11.

quasi per injustitiam tollunt, sea suam propriam, quam per violentiam patres eorum perdiderant, receperunt, teste S. Augustino. *Similiter etiam Osee accedens ad uxorem fornicariam*, &c. *non est machatus, nec fornicatus, quia accessit ad eam, quę sua erat secundum mandatum divinum, qui est auctor institutionis matrimonii*, inquit S. Thomas l. c. Polygamia denique ob multiplicationem generis humani antiquis patribus fuit concessa, ut tradit S. Augustt.

(c) *Fiunt enim omnia a servientibus tibi*) Feceruni ista homines justi, ut servirent & obedirent Deo, qui noverat ita expedire, aut voluit per figuras significare futura: ut per Sacrificium Isaac, passionem filii sui, per occupationem terræ Chanaan, patriam cælestem aliquando a nobis occupandam.

U S U S.

1. Salutare principium adversus temeraria judicia suggerit S. D. *sæpe se aliter habet species facti, aliter facientis animus, atque articulus occulti temporis*. Sic S. Ignatius cum factum excusare non posset, intentionem excusabat: & profecto temporis in re subita ad consultandum, aut cavendum inopia, culpam frequenter tollit aut minuit.

Ribad. l. 5. vitæ cap. 6.

2. Nihil insolitum in rebus gravibus, & communiter illicitis est agendum, nisi Deo peculiariter incitante. Hinc addit S. D. *Beati qui te imperasse sciunt*; sicut sciebant Abraham, Moyses, Israelitæ, Oseas, &c. ut dictum est.

C A P. X.

Hæc nesciens, credebat ficum decerptam plorare, & particulas Dei in illa ligatas solvi, si a Manichæis comederetur.

1. HÆc ego nesciens, irridebam illos sanctos servos & prophetas tuos.

tuos. Et quid agebam cum irridebam eos, nisi ut irriderer abs te: sensim atque paulatim perductus ad eas nugas, (*a*) ut crederem ficum plorare, cum decerpitur, & matrem ejus arborem lacrymis lacteis? Quam tamen ficum (*b*) si comedisset aliquis sanctus, alieno sane non suo scelere decerptam, misceret visceribus: & anhelaret de illa Angelos, imo vero particulas Dei gemendo in oratione atque ructando; quæ particulæ summi, & veri Dei ligatæ fuissent in illo pomo, nisi electi sancti dente ac ventre solverentur. Et credidi miser, magis esse misericordiam præstandam fructibus terræ quam hominibus, propter quos nascerentur. Si quis enim esuriens peteret, qui Manichæus non esset, quasi capitali supplicio damnanda buccella videretur, si ei daretur.

NOTÆ.

(a) *Ut crederem ficum plorare*) Delirabant enim Manichæi herbas & arbores, *non solum vegetari, verum etiam sentire ac dolere, cum laduntur, nec aliquid inde sine cruciatu earum, quemquam posse vellere, aut carpere. Propter quod agrum etiam spinis purgare nefas habent, Unde agriculturam, qua artium omnium est innocentissima, tanquam plurium homicidiorum ream dementes accusant*, ait S.D. *Hæresi 46. ad Quod vult Deum.*

(b) *Si comedisset aliquis Sanctus*) Advertte ex eodem S. D. Manichæos, in duas genetatim classes fuisse distributos. Quidam dicebantur Electi sive Sancti, alii Auditores. Priores erant, qui tantum in insania profecerant, ut magistri esse possent, aut in errore constantes essent. Reliqui adhuc rudes, vel vacillantes Auditorum, velut discipulorum & Catechumenorum

loco erant; in quo ordine manſit Auguſtinus, nunquam receptus inter Electos.

1. *Miſceret viſceribus, & anhelaret de illa Angelos; imo vero particulas Dei*, &c.) Ex commixtione boni & mali, quæ facta eſt cum utraque Subſtantia inter ſe pugnaret, inferebant purgationem boni a malo eſſe neceſſariam. Eam fieri comminiſcebantur: I. Per virtutem divinam in toto mundo, & omnibus ejus elementis. II. Per Angelos lucis, purgari ſubſtantiam boni, permixtam & colligatam ſubſtantiæ mali in dæmonibus. III. Per electos ſuos manducando liberari partem bonæ divinæque ſubſtantiæ, quæ mixta & colligata in eſcis & potibus detinetur. Unde ait S. D *ſe credidiſſe electum devorata ficu, anhelare*, ſive expirare *particulas divinæ ſubſtantiæ*, quas partim Angelos, partim animas eſſe fingebant. Hunc ſtultiſſimum errorem pluribus fabulis condiebant. I. Hanc purgationem per eſcam & potum non fieri ab aliis, qui electi inter Manichæos non eſſent. II. Auditoribus ſuis ignoſci cædes per agriculturam patratas, quod præberent alimenta electis, tanquam purgatoribus divinæ Subſtantiæ. Itaque electi nec in agris operantes, nec poma carpentes, expectabant donec neceſſaria ab Auditoribus ipſis afferrentur. III. Hanc purgationem non faciendam eſu carnium, quod per mortem putarent fugere de illis divinam ſubſtantiam: aut id quod remanet non eſſe dignum, ut purgetur ventre electorum, qui a vino quoque abſtinebant & muſto, dicentes eſſe, *fel principum tenebrarum*. IV. Quidquid vero uſpiam divinæ ſubſtantiæ purgatur, imponi ab Angelis in duas naves, quas Solem & Lunam eſſe volebant, & in regnum Dei reportari. Hæc deliria ad intelligendam S. D. mentem recenſenda fuerunt, qui ea & multa alia tum l.c. tum toto lib. de moribus Manichæorum, & alibi commemorat.

USUS.

U S U S.

Impletùm eſt in Auguſtino, quod S. Paulus de Philoſophis magna cum exaggeratione dixit: *Evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Quid ſtultius, quam talia credere? & tamen paulatim ad has nugas credendas, perductus eſt ſuperbus & laſcivus Auguſtinus. Ut vel hoc exemplo perſuadeat etiam viros doctos, quantumvis ingenioſos, *poſſe cæci in ſenſum reprobum*, non ſolum ut *faciant*, verum etiam ut *credant*, quæ *non conveniunt*: & quia faciunt impia, credant ſtulta, fiantque ſerio hæretici, judicio Dei juſto, ſed tremendo. Rom. 1. 21. & 22.

C A P. XI.

Recenſet matris pro ſe preces ac lacrymas, & ſomnium de ſua converſione, in novem fere annos dilata.

1. ET miſiſti manum tuam ex alto, & de hac profunda caligine eruiſti animam meam: cum pro me fleret ad te mater mea fidelis tua, amplius quam flent matres corporea funera. Videbat enim illa mortem meam ex fide & ſpiritu, quem ex te habebat, & exaudiſti eam Domine. Exaudiſti eam, nec deſpexiſti lacrymas ejus: cum profluentes rigarent terram ſub oculis ejus, in omni loco orationis ejus, & exaudiſti eam. Nam unde illud ſomnium, quo eam conſolatus es, ut vivere me ſecum crederet, & habere ſecum eandem menſam in domo, quod nolle cœperat, averſans, & deteſtans blaſphemias erroris

recedens a veritate, ire in eam mihi videbar; quia non noveram malum non esse nisi privationem boni, usque ad quod omnino non est. Quod unde viderem, cujus videre usque ad corpus erat oculis, & animo usque ad phantasma? Et non noveram *Deum esse spiritum*, non cui membra essent per longum & latum, nec cui moles esset: quia moles in parte minor est, quam in toto suo; & si infinita sit, minor est in aliqua parte certo spacio definita, quam per infinitum; & non est tota ubique sicut spiritus, sicut Deus. Et quid in nobis esset, secundum quod essemus similes Deo: & si recte in scripturis diceremur, *ad imaginem Dei*, prorsus ignorabam.

Joan. 4. 24.

Gen. 1. 17.

2. Et non noveram justitiam veram interiorem, non ex consuetudine judicantem, sed ex lege rectissima Dei omnipotentis: qua formarentur mores regionum & dierum pro regionibus & diebus, cum ipsa ubique ac semper esset, non alibi alia, nec alias aliter. Secundum quam justi essent Abraham, & Isac, & Jacob, & Moyses, & David, & illi omnes laudati ore Dei, sed eos ab imperitis judicari iniquos, (*b*) *judicantibus ex humano die*, & universos mores humani generis, ex parte moris sui merientibus. Tanquam si quis nescius in armamentis, quid cuique membro accommodatum sit, ocrea velit caput contegi, & galea calceari, & murmuret, quod non apte conveniat: aut in uno die indicto a pomeridianis horis ju-

1. *Cor.* 4. 3.

juſtitio, quiſquam ſtomachetur non ſibi concedi, quid venale proponere, quia mane conceſſum eſt: aut in una domo videat aliquid tractari manibus a quoquam ſervo, quod facere non ſinatur, qui pocula miniſtrat: aut aliquid poſt præſepia fieri, quod ante menſam prohibeatur: & indignetur, cum ſit unum habitaculum & una familia, non ubique atque omnibus idem tribui. Sic ſunt iſti, qui indignantur, cum audierint illo ſeculo licuiſſe juſtis aliquid, quod iſto non licet juſtis: & quia illis aliud præcepit Deus, iſtis aliud pro temporalibus cauſis, cum eidem juſtitiæ utique ſervierint: cum in uno homine, & in uno die, & in unis ædibus videant aliud alii membro congruere, & aliud jamdudum licuiſſe, & poſt horam non licere, quiddam in illo angulo permitti aut juberi, quod in iſto juſte vetetur & vindicetur.

3. Nunquid juſtitia varia eſt & mutabilis? Sed tempora, quibus præſidet, non pariter eunt, tempora enim ſunt. Homines autem, quorum vita ſuper terram brevis eſt, quia ſenſu non valent cauſas contexere ſeculorum priorum, aliarumque gentium, quas experti non ſunt, cum his quas experti ſunt: in uno autem corpore, vel die, vel domo, facile poſſunt videre, quid cui membro, quibus momentis, quibus partibus perſoniſve congruat, in illis offenduntur, his ſerviunt. Hæc ego tunc neſciebam, & non advertebam, & feriebant undique iſta oculos meos, & non vi-

videbam. Et cantabam carmina, & non mihi licebat ponere pedem quemlibet ubilibet: ſed in alio atque alio metro, aliter atque aliter, & in uno aliquo verſu, non omnibus locis eundem pedem: & ars ipſa, qua canebam, non habebat aliud alibi, ſed omnia ſimul. Et non intuebar juſtitiam, cui ſervirent boni & ſancti homines, longe excellentius atque ſublimius habere ſimul omnia, quæ præcepit Deus, & nulla ex parte variari: & tamen variis temporibus non omnia ſimul, ſed propria diſtribuentem ac præcipientem. Et reprehendebam cæcus pios patres, non ſolum ſicut Deus juberet atque inſpiraret utentes præſentibus, verum quoque ſicut Deus revelaret, futura prænunciantes.

NOTÆ.

(a) *Cum a me quærerent &c.*) In triplicem Manichæorum errorem impulſus eſt Auguſtinus, triplici illorum fallacia. I. Quærebant ab illo, *unde malum eſſet?* cujus cauſam cum bono Deo aſſignare non poſſet, ſubſtantiam malam admiſit, neſciens *malum eſſe privationem boni*. II. Cavillabantur Catholicos *Deo humani corporis figuram tribuere*, quod dicerent hominem factum ad imaginem Dei. Neſciens vero Auguſtinus, qua in re Deo ſimiles ſimus: Deum eſſe corpus lucidum infinitum perſuaſus eſt. III. Dicebant juſtos eſſe non poſſe, *qui haberent multas uxores, & occiderent homines, & ſacrificarent de animalibus*, quæ cum de patribus veteris teſtamenti tradantur, Deum non eſſe illius autorem inferebant.

Huic triplici veneno triplex opponit antidotum. I. Aſſerit malum eſſe *privationem boni*, quod infra pluribus oſtendet. II. Deum

eſſe

esse spiritum, nec *molem magnum*, quia moles minor est in parte, quam in toto, Deus autem ubique totus est. III. Posse *alio tempore quædam esse licita, alio illicita*, quod variis exemplis aperte demonstrat. I. Ex ipsa justitia, quæ variis temporibus & locis eadem jam permittit, jam interdicit. II. Diversis membris non eadem conveniunt. III. In domo non possunt omnia fieri quovis loco. IV. Eodem die non permittuntur eadem, quavis hora. V. In eodem carmine non est ubivis locus cuilibet pedi, ergo potuerunt Patribus quoque veteris Testamenti quædam esse licita, quæ nunc sunt illicita, & merito interdicta. *V. ep. 5. ad Marcell.*

(b) *Ex humano die*) Id est secundum judicium humanum, ita Paulus l. c. ait: *mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die*; sic etiam latini Scriptores diem pro judicio sumunt, apud quos *diem dicere* idem est, quod in jus, sive judicium vocare.

U S U S.

Hinc apparet, quam plerumque Hæreticorum argumenta sint frivola, utpote quæ quotidianis exemplis possunt refelli: & cum his pugnant, quæ ipsimet faciunt & credunt.

CAP. VIII.

Quæ sunt contra naturam, semper ac ubique illicita esse: quæ vero contra mores & pacta hominum, fieri licita jubente Deo.

1. SEd nunquid aliquando, aut alicubi, injustum est *diligere Deum, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & diligere proximum tanquam seipsum*? Itaque flagitia, quæ sunt contra naturam, ubique ac semper detestan- *Deut. 6. 5. Matth. 22. 37.*

ſtanda atque punienda ſunt, qualia *Sodomitarum* fuerunt. Quæ ſi omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divina lege tenerentur: quæ non ſic fecit homines, ut ſe illo uterentur modo. Violatur quippe ipſa ſocietas, quæ cum Deo nobis eſſe debet, cum eadem natura, cujus ille auctor eſt, libidinis perverſitate polluitur.

Gen. 19. 24.

Diſt. 8. c. *Quæ contra.*

Quæ (*a*) autem contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate vitanda ſunt, ut pactum inter ſe civitatis aut gentis, conſuetudine vel lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens. Cum autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet jubet: & ſi nunquam ibi factum eſt, faciendum eſt, & ſi omiſſum, inſtaurandum, & ſi inſtitutum non erat, inſtituendum eſt. Si enim regi licet in civitate, cui regnat, jubere aliquid, quod neque ante illum quiſquam, nec ipſe unquam juſſerat: & non contra ſocietatem civitatis ejus obtemperatur, imo contra ſocietatem non obtemperatur (generale quippe pactum eſt ſocietatis humanæ, obedire regibus ſuis) quanto magis Deo regnatori univerſæ creaturæ ſuæ, ad ea quæ juſſerit, ſine dubitatione ſerviendum eſt? Sicut enim in poteſtatibus ſocietatis humanæ major poteſtas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.

2. Item (*b*) in facinoribus, ubi libido eſt nocendi, ſive per contumeliam, ſive

ſive per injuriam, & utrumque vel ulciſcendi cauſa, ſicut inimico inimicus; vel adipiſcendi alicujus extra commodi, ſicut latro viatori, vel evitandi mali, ſicut ei, qui timetur: vel invidendo: ſicut feliciori miſerior, aut in aliquo proſperatus ei, quem ſibi æquari timet, aut æqualem dolet: vel ſola voluptate alieni mali, ſicut ſpectatores gladiatorum, aut irriſores, aut illuſores quorumlibet. Hæc ſunt capita iniquitatis, quæ pullulant principandi, & ſpectandi, & ſentiendi libidine: aut una, aut duabus earum, aut ſimul omnibus. Et vivitur male (c) adverſus tria & ſeptem, *pſalterium decem chordarum*, decalogum tuum, Deus altiſſime & dulciſſime. *Pſ.* 32. 2.

3. Sed (d) quæ flagitia in te, qui non corrumperis? Aut quæ adverſus te facinora, cui noceri non poteſt? Sed hoc vindicas, quod in ſe homines perpetrant; quia etiam, cum in te peccant, impie faciunt in animas ſuas, & *mentitur iniquitas ſibi*, ſive corrumpendo aut pervertendo naturam ſuam, quam tu feciſti & ordinaſti: (e) vel immoderate utendo conceſſis rebus: vel in non conceſſa flagrando in eum uſum, qui eſt *contra naturam*: aut rei tenentur, animo & verbis fævientes adverſus te, & adverſus *ſtimulum calcitrantes*: aut cum diſruptis limitibus humanæ ſocietatis, lætantur audaces privatis conciliationibus aut direptionibus, prout quidque delectaverit, aut offenderit. *Pſ.* 26. 12. *Rom.* 2. 26. *Act.* 5. 5.

4. Et ea fiunt, cum tu derelinqueris fons vitæ, qui es unus & verus creator, & re-

& rector universitatis: & privata superbia, diligitur in parte unum falsum. Itaque pietate humili reditur in te, & purgas nos a consuetudine mala, & propitius es peccatis confitentium, & exaudis gemitus compeditorum, & solvis a vinculis quæ nobis fecimus: si jam non erigamus adversus te cornua falsæ libertatis, avaritia plus habendi, & damno totum amittendi: amplius amando proprium nostrum, quam te omnium bonum.

NOTÆ.

(a) *Quę autem contra*) Totum hunc paragraphum retulit Gratianus in decret. l. c. Probat autem S. D. exemplo potestatis humanæ, Deo in omnibus obtemperandum, etiam contra leges humanas.

(b) *Item in facinoribus*) Addit exemplum aliud a vitiis, quorum quædam sunt præcipua, & velut capita iniquitatis: nempe libido dominandi, sive *superbia*, & spectandi, sive *concupiscentia oculorum*, & sentiendi, sive *concupiscentia carnis*. His enim tribus reliqua omnia vitia famulantur.

(c) *Adversus tria, & septem*) Præcepta nempe Decalogi: tria primæ tabulæ, septem secundæ, quorum illa ad Deum, hæc ad proximum spectant. Frequenter vero decalogus dicitur psalterium decem chordarum vel decachordum. Hinc *psallere in psalterio decem chordarum, est præceptorum diligenti observatione Deum laudare*, ut notat Bellarm. *In Psal. 21. v. 2.*

(d) *Quæ flagitia in te &c.*) S. D. inter flagitia & facinora ita distinguit: *Quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus suum* (per illicitas voluptates) *Flagitium vocatur. Quod autem agit, ut alteri noceat, Facinus dicitur. Et hęc sunt duo genera omnium peccatorum. Sed flagitia priora sunt. Quę cum exinaniverint animum, & ad quan-* *L. 3. de doctrin. Christ. c. 10.*

Digitized by Google

quandam egeſtatem perduxerint, in facinora proſilitur, quibus removeantur impedimenta flagitiorum, aut adjumenta quærantur. Idem docet infra. L. 4. c. 15.

(e) *Vel immoderate utendo*) Significat peccata omnia patrari, vel abuſu licitorum, ut *cibi* & *potus*; vel uſu illicitorum, ut Veneris *contra naturam*; vel odio adverſus Deum & blaſphemia, quod eſt *contra ſtimulum calcitrare*, inſtar bovis, qui dum ſtimulo aratoris recalcitrat, magis ſeipſum lædit, vel denique violatione caritatis & ſocietatis humanæ, per odia, injurias, ſeditiones, bella.

USUS.

1. Imprime animo ſaluberrimum principium: *Turpis omnis pars eſt, ſuo univerſo non congruens*, ac vel inde diſce ejus communitatis, cujus membrum es, bonas leges ſedulo obſervare.

2. Cum vel ipſius naturæ ductu ſubditi obediant poteſtati majori, ut S. D. oſtendit, cur non obtemperamus mandatis divinis, & hoc velut primum principium ſtatuimus: *Deo obediendum eſt?*

3. Etſi Deo peccata noſtra non noceant, juſtiſſime tamen illa vindicat, tanquam autor & cuſtos naturæ; ad quem pertinet ejus corruptionem & abuſum non ſolum vetare, verum & ulciſci.

4. Inſculpe animo & hoc alterum adverſus peccata principium: *Peccator erigit adverſus Deum cornua falſa libertatis, avaritia plus voluptatis, pecuniæ, honoris habendi, & damno totum* bonum ſuum, id eſt Deum, ejus gratiam, & ſalutem æternam *amittendi*. Sic paulo ante dixit, *privata ſuperbia*, quæ *initium eſt omnis peccati*, diligi *in parte unum falſum*, id eſt partem aliquam bonorum apparentium, & *derelinqui fontem vitæ*, in quo eſt omne bonum verum. Eccl. 10. 15.

Digitized by Google

CAP. IX.

Multa facta homines improbant, quæ Deus probat, & viciſſim multa damnat, quæ homines laudant: etſi vero aliquid Deus inuſitatum jubeat, faciendum eſt.

1. SEd inter flagitia & facinora & tam multas iniquitates, ſunt (*a*) peccata proficientium: quæ a bene judicantibus & vituperantur ex regula perfectionis, & laudantur ſpe frugis, ſicut herba ſegetis. Et ſunt (*b*) quædam ſimilia vel flagitio, vel facinori, & non ſunt peccata: quia nec te offendunt Dominum Deum noſtrum, nec ſociale conſortium; cum conciliantur aliqua in uſum vitæ congrua tempori: & incertum eſt, an libidine habendi; aut puniuntur corrigendi ſtudio poteſtate ordinata, & incertum eſt, an libidine nocendi. Multa itaque facta, quæ hominibus improbanda viderentur, teſtimonio tuo approbata ſunt: & multa laudata ab hominibus, te teſte damnantur: cum ſæpe ſe aliter habet ſpecies facti, & aliter facientis animus, atque articulus occulti temporis.

2. Cum vero tu aliquid repente inuſitatum & improviſum imperas, etiamſi hoc aliquando vetuiſti (quamvis cauſam imperii tui pro tempore occultes: & quamvis contra pactum ſit aliquorum hominum ſocietatis) quis dubitat eſſe faciendum, quando ea juſta eſt ſocietas hominum, quæ ſervit tibi? Sed beati, qui

qui te imperaſſe ſciunt. (c) Fiunt enim omnia a ſervientibus tibi, vel ad exhibendum quod ad præſens opus eſt, vel ad futura prænuncianda.

N O T Æ.

(a) *Peccata proficientium*) Imperfectiones & negligentiæ, quæ inter ipſum virtutis conatum ſubrepunt, & ſicut *herba ſegetis* etſi inutiliter luxurians, promittunt frugem ac meſſem. Errando enim diſcimus non ſolum artes, verum & virtutes: ideoque quotidie dicimus: *dimitte nobis debita noſtra*.

(b) *Quædam ſimilia vel flagitio, vel facinori*) Ut occiſio filii, quam Deus præcepit Abrahæ; ſpoliatio Ægyptiorum, facta ab Iſraelitis, petentibus & aferentibus *vaſa argentea & aurea, veſtemque plurimam*: occupatio terræ Chanaan, quæ injuſte videtur antiquis poſſeſſoribus erepta; adulterium Oſeæ, cum accepit jubente Deo uxorem fornicariam; polygamia, ſive plurium uxorum conjugium antiquis patribus uſitatum. Hæc gentilium & Manichæorum, imo cujuſvis hominis judicio improbanda viderentur: niſi Deus ea fieri juſſiſſet, aut conceſſiſſet, juſtiſſime & ſapientiſſime. *Ipſe enim eſt, qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus pro peccato primi parentis*, &c. *cujus ſententia ſi homo* (verbi gratia Abraham) *ſit executor autoritate divina, non erit homicida, ſicut nec Deus. Similiter nec fuit contra juſtitiam, quod mandavit Judæis, ut res Ægyptiorum acciperent*, &c. *quidquid enim accipit aliquis ex mandato Dei, qui eſt Dominus univerſorum, non accipit abſque voluntate Domini, quod eſt furari*, ut ait S. Th. Ipſe Chananæos *dupliciter invenit reos, pro eo quod & terras alienas invaſerant* (filii enim Cham invaſerunt terram filiorum Sem, e quorum ſemine fuit Abraham) *& poſtea ſcelera, & crimina inaudita commiſerant, non ergo filii Iſrael terram alienam*,

Gen. 22. 2. Exod. 3. 22. & 11. 2. & 12. 35. Oſe. 1. 2. 1. 2. qu. 100. a. 8. ad 2. & q. 94. a. 5. ad 2. Ser. 105 de tem.

l. 16. de civ. cap. 38. & l. 22. contra Faust. c. 47. v Bel. t. 2. l. 1. de matr. c. 11.

quasi per injustitiam tollunt, sea suam propriam, quam per violentiam patres eorum perdiderant, receperunt, teste S. Augustino. *Similiter etiam Osee accedens ad uxorem fornicariam*, &c. *non est machatus, nec fornicatus, quia accessit ad eam, que sua erat secundum mandatum divinum, qui est auctor institutionis matrimonii*, inquit S. Thomas l. c. Polygamia denique ob multiplicationem generis humani antiquis patribus fuit concessa, ut tradit S. Augustt.

(c) *Fiunt enim omnia a servientibus tibi*) Fecerunt ista homines justi, ut servirent & obedirent Deo, qui noverat ita expedire, aut voluit per figuras significare futura: ut per Sacrificium Isaac, passionem filii sui, per occupationem terræ Chanaan, patriam cælestem aliquando a nobis occupandam.

U S U S.

1. Salutare principium adversus temeraria judicia suggerit S. D. *Sæpe se aliter habet species facti, aliter facientis animus, atque articulus occulti temporis*. Sic S. Ignatius cum factum excusare non posset, intentionem excusabat: & profecto temporis in re subita ad consultandum, aut cavendum inopia, culpam frequenter tollit aut minuit.

Ribad. l. 5. vita cap. 6.

2. Nihil insolitum in rebus gravibus, & communiter illicitis est agendum, nisi Deo peculiariter incitante. Hinc addit S. D. *Beati qui te imperasse sciunt*; sicut sciebant Abraham, Moyses, Israelitæ, Oseas, &c. ut dictum est.

C A P. X.

Hæc nesciens, credebat ficum decerptam plorare, & particulas Dei in illa ligatas solvi, si a Manichæis comederetur.

1. HÆc ego nesciens, irridebam illos sanctos servos & prophetas tuos.

tuos . Et quid agebam cum irridebam eos , niſi ut irriderer abs te : ſenſim atque paulatim perductus ad eas nugas , (*a*) ut crederem ficum plorare , cum decerpitur , & matrem ejus arborem lacrymis lacteis ? Quam tamen ficum (*b*) ſi comediſſet aliquis ſanctus , alieno ſane non ſuo ſcelere decerptam , miſceret viſceribus : & anhelaret de illa Angelos , imo vero particulas Dei gemendo in oratione atque ructando ; quæ particulæ ſummi, &|veri Dei ligatæ fuiſſent in illo pomo, niſi electi ſancti dente ac ventre ſolverentur . Et credidi miſer , magis eſſe miſericordiam præſtandam fructibus terræ quam hominibus , propter quos naſcerentur . Si quis enim eſuriens peteret, qui Manichæus non eſſet, quaſi capitali ſupplicio damnanda buccella videretur , ſi ei daretur.

N O T Æ.

(a) *Ut crederem ficum plorare*) Delirabant enim Manichæi herbas & arbores , *non ſolum vegetari , verum etiam ſentire ac dolere , cum laduntur , nec aliquid inde ſine cruciatu eorum , quemquam poſſe vellere , aut carpere . Propter quod agrum etiam ſpinis purgare nefas habent , Unde agriculturam , qua artium omnium eſt innocentiſſima , tanquam plurium homicidiorum ream dementes accuſant* , ait S.D. *Hareſi 46. ad Quod vult Deum .*

(b) *Si comediſſet aliquis Sanctus*) Advertе ex eodem S. D. Manichæos, in duas generatim claſſes fuiſſe diſtributos . Quidam dicebantur Electi ſive Sancti , alii Auditores . Priores erant , qui tantum in inſania profecerant , ut magiſtri eſſe poſſent , aut in errore conſtantes eſſent . Reliqui adhuc rudes , vel vacillantes Auditorum , velut diſcipulorum & Catechumenorum

loco erant; in quo ordine manſit Auguſtinus, nunquam receptus inter Electos.

1. *Miſceret viſceribus, & anhelaret de illa Angelos; imo vero particulas Dei*, &c.) Ex commixtione boni & mali, quæ facta eſt cum utraque Subſtantia inter ſe pugnaret, inferebant purgationem boni a malo eſſe neceſſariam. Eam fieri comminiſcebantur: I. Per virtutem divinam in toto mundo, & omnibus ejus elementis. II. Per Angelos lucis, purgari ſubſtantiam boni, permixtam & colligatam ſubſtantiæ mali in dæmonibus. III. Per electos ſuos manducando liberari partem bonæ divinæque ſubſtantiæ, quæ mixta & colligata in eſcis & potibus detinetur. Unde ait S. D *ſe credidiſſe electum devoratæ ficu, anhelare*, ſive expirare *particulas divinæ ſubſtantiæ*, quas partim Angelos, partim animas eſſe fingebant. Hunc ſtultiſſimum errorem pluribus fabulis condiebant. I. Hanc purgationem per eſcam & potum non fieri ab aliis, qui electi inter Manichæos non eſſent. II. Auditoribus ſuis ignoſci cædes per agriculturam patratas, quod præberent alimenta electis, tanquam purgatoribus divinæ Subſtantiæ. Itaque electi nec in agris operantes, nec poma carpentes, expectabant donec neceſſaria ab Auditoribus ipſis afferrentur. III. Hanc purgationem non faciendam eſu carnium, quod per mortem putarent fugere de illis divinam ſubſtantiam: aut id quod remanet non eſſe dignum, ut purgetur ventre electorum, qui a vino quoque abſtinebant & muſto, dicentes eſſe, *fel principum tenebrarum*. IV. Quidquid vero uſpiam divinæ ſubſtantiæ purgatur, imponi ab Angelis in duas naves, quas Solem & Lunam eſſe volebant, & in regnum Dei reportari. Hæc deliria ad intelligendam S. D. mentem recenſenda fuerunt, qui ea & multa alia tum l.c. tum toto lib. de moribus Manichæorum, & alibi commemorat.

USUS.

Digitized by Google

U S U S.

Impletùm eſt in Auguſtino, quod S. Paulus de Philoſophis magna cum exaggeratione dixit: *Evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Quid ſtultius, quam talia credere? & tamen paulatim ad has nugas credendas, perductus eſt ſuperbus & laſcivus Auguſtinus. Ut vel hoc exemplo perſuadeat etiam viros doctos, quantumvis ingenioſos, *poſſe agi in ſenſum reprobum*, non ſolum ut *faciant*, verum etiam ut *credant*, quæ *non conveniunt*: & quia faciunt impia, credant ſtulta, fiantque ſerio hæretici, judicio Dei juſto, ſed tremendo. Rom. 1. 21. & 22.

CAP. XI.

Recenſet matris pro ſe preces ac lacrymas, & ſomnium de ſua converſione, in novem fere annos dilata.

1. ET miſiſti manum tuam ex alto, & de hac profunda caligine eruiſti animam meam: cum pro me fleret ad te mater mea fidelis tua, amplius quam flent matres corporea funera. Videbat enim illa mortem meam ex fide & ſpiritu, quem ex te habebat, & exaudiſti eam Domine. Exaudiſti eam, nec deſpexiſti lacrymas ejus: cum profluentes rigarent terram ſub oculis ejus, in omni loco orationis ejus, & exaudiſti eam. Nam unde illud ſomnium, quo eam conſolatus es, ut vivere me ſecum crederet, & habere ſecum eandem menſam in domo, quod nolle cœperat, averſans, & deteſtans blaſphemias erroris

mei. Vidit enim ſtantem ſe in (a) quadam regula lignea, & advenientem ad ſe juvenem ſplendidum, hilarem atque arridentem ſibi, cum illa eſſet mœrens, & mœrore confecta. Qui cum cauſas quæſiſſet ab ea mœſtitiæ ſuæ, quotidianarumque lacrymarum (docendi ut aſſolet, non diſcendi gratia) atque illa reſpondiſſet, perditionem meam ſe plangere: juſſiſſe illum, quo ſecura eſſet, atque admonuiſſe, ut attenderet & videret: ubi eſſet illa, ibi eſſe & me. Quod illa ubi attendit, vidit me juxta ſe in eadem regula ſtantem. Unde hoc, niſi quia erant aures tuæ ad cor ejus?

2. O tu bone omnipotens, qui ſic curas unumquemque noſtrum, tanquam ſolum cures, & ſic omnes, tanquam ſingulos! Unde illud etiam, quod cum mihi narraſſet ipſum viſum, & ego ad id trahere conarer, ut illa ſe potius non deſperaret futuram eſſe, quod eram: continuo ſine aliqua hæſitatione: *Non*, inquit, *non enim mihi dictum eſt: Ubi ille, ibi & tu: ſed Ubi tu, ibi & ille*. Confiteor tibi Domine recordationem meam, quantum recolo (quod ſæpe non tacui) amplius me iſto per matrem vigilantem reſponſo tuo, quod tam vicina interpretationis falſitate turbata non eſt: & tam cito vidit, quod videndum fuit (quod ego certe antequam dixiſſet, non videram) etiam tum commotum fuiſſe, quam ipſo ſomnio, quo fœminæ piæ gaudium tanto poſt futurum, ad conſolationem tunc præſentis ſolicitudinis, tanto ante prædictum eſt.

3. Nam

3. Nam novem ferme anni ſecuti ſunt, quibus ego in illo limo profundi ac tenebris falſitatis, cum ſæpe ſurgere conarer, & gravius alliderer, volutatus ſum; cum illa vidua caſta, pia & ſobria, quales amas, jam quidem ſpe alacrior, ſed fletu & gemitu non ſegnior, non deſineret horis omnibus orationum ſuarum, de me plangere ad te. Et intrabant in conſpectum tuum preces ejus, & me tamen dimittebas adhuc volvi, & involvi illa caligine.

N O T Æ.

(a) *In quadam regula lignea*) Regula a Platone in Philebo, numeratur inter inſtrumenta Architecturæ, adhibetur ad longitudinem parietum dirigendam & æquandam, S. Iſidorus *canonem* appellat; dicitur Regula, *quod recta ſit, quaſi rectula, vel quod regat, & diſtortum pravumque corrigat*. Crediderim ergo S. Monicam vidiſſe, ſe una cum filio ejuſmodi inſtrumento inſiſtere, quo in Regula fidei cum illa, filium aliquando conſpiraturum Deus ſignificare voluerit. *L. 6. Or. rig. ca. 16. & c. 19. c. 18.*

U S U S.

Præclare divinam providentiam de noſtra ſalute commendat S. D. illo principio. *O tu bone omnipotens, qui ſic curas unumquemque noſtrum, tanquam ſolum cures, & ſic omnes tanquam ſingulos!* Quantum ergo debemus tantæ bonitati, quæ miris occultiſque modis ſalutem noſtram operatur! Id expertus eſt S. Auguſtinus, cui non minus reſponſum matris, quam ſomnium ſalutare fuit: utrumque a Deo profectum, qui infatigabili miſericordia novem annorum ſpatio, *peccata* Auguſtini *diſſimulavit propter pœnitentiam*. *Sap. 11. 24.*

CAP. XII.

Episcopum quendam a matre rogatum secum colloqui noluisse, & vehementius denique instanti respondisse: fieri non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat.

1. ET dedisti alterum responsum interim, quod recolo, (nam & multa prætereo, propter quod propero ad ea, quæ me magis urgent confiteri tibi, & multa non memini) dedisti ergo alterum, per sacerdotem tuum, (a) quendam episcopum nutritum in ecclesia, & exercitatum in libris tuis. Quem cum illa femina rogasset, ut dignaretur mecum colloqui, & refellere errores meos, & dedocere me mala, ac docere bona (faciebat enim hoc, si quos forte idoneos inveniisset) noluit ille, prudenter sane, quantum sensi postea. Respondit enim me adhuc esse indocilem, eo quod inflatus essem novitate hæresis illius: & nonnullis quæstiunculis jam multos imperitos exagitassem, sicut illa indicaverat ei. *Sed sine*, inquit, *illum ibi, & tantum roga pro eo Dominum: ipse legendo reperiet, quis ille sit error, & quanta impietas.*

2. Simul etiam narravit se quoque parvulum, a seducta matre sua, datum fuisse Manichæis, & omnes pene non legisse tantum, verum etiam scriptitasse libros eorum: sibique apparuisse, nullo contra disputante, & convincente, quam esset illa secta fugienda: itaque fugis-

giſſe. Quæ cum ille dixiſſet, atque illa nollet acquieſcere, ſed inſtaret magis deprecando, & nbertim flendo, ut me videret, & mecum differeret: ille jam ſubſtomachans tædio, *Vade*, inquit, *a me, ita vivas: fieri enim non poteſt, ut filius iſtarum lacrymarum pereat*. Quod illa ita ſe accepiſſe, inter colloquia ſua mecum ſæpe recordabatur, ac ſi de cœlo ſonuiſſet.

NOTÆ.

(a) *Quendam epiſcopum*) Quis ille fuerit, non liquet: vulgus ſubinde S. Ambroſium hujus oraculi autorem facit, ſed imperite. S. Auguſtinus enim ſeipſo teſte, non niſi poſt novem demum annos, ætatis anno XXIX. Mediolani S. Ambroſium convenit, ut refert cap. 12. lib. 5. quo libro *ſe annum unde trieeſimum ætatis prolocuturum* cap. 3. præfatur.

USUS.

Inter prædeſtinationis ſigna & ſalutis adjumenta non infimum eſt, habere apud Deum patronos, qui indefeſſis precibus ejus bonitatem ſolicitent: & vel nolentem ſalvum eſſe velint, imo cogant. Multi propriis ſceleribus perirent, qui alienis precibus ſervantur. Ita S. Auguſtinus matri oranti & lacrymanti ſalutem ſuam acceptam retulit. Nam cum Deus promiſerit exauditionem orationi rite ſuſceptæ, obſtringitur quodammodo ad faciendum, quod petitur, pro quocunque petatur. Hanc enim promiſſionem non ad ſolam orantis perſonam, ſed ad eos quoque, pro quibus oramus, extendi tenet Suar. *Matt* 7. 7. & 8. tom. 2. de relig. l. 1. c. 27.

Digitized by Google

LIBER IV.

Perſtringit novem Annos vitæ ſuæ, quibus ab anno XIX. uſque ad XXVIII. Rhetoricam docuit concubinæ amoribus implicitus, & Aſtrologiæ genethliacæ deditus. Deplorat deinde immoderatum dolorem, ex amici morte conceptum, ac optimi ingenii pravum uſum.

CAPUT I.

Novem annorum ſpatio ſeducebat & ſeducebatur, per ſuperbiam & hæreſin.

1. PEr idem tempus annorum novem, ab undeviceſimo anno ætatis meæ, uſque ad duodetriceſimum, ſeducebamur & ſeducebamus: falſi atque fallentes in variis cupiditatibus, & palam per doctrinas, quas liberales vocant, occulte autem falſo nomine religionis. Hic ſuperbi, ibi ſuperſtitioſi, ubique vani, ac popularis gloriæ ſectantes inanitatem, [a] uſque ad theatricos plauſus & contentioſa certamina, & agonem coronarum fœnearum, & ſpectaculorum nugas, & intemperantiam libidinum, illac autem purgari nos ab iſtis ſordibus expetentes, cum eis, qui appellantur electi & ſancti, afferremus eſcas, de quibus nobis (*b*) in officina aqualiculi ſui fabricarent, angelos & deos, per quos liberaremur. Et ſectabar iſta, atque faciebam cum amicis meis, per me, ac mecum deceptis.

2. Irri-

Digitized by Google

2. Irrideant me arrogantes, & nondum ſalubriter proſtrati, & eliſi a te Deus meus: ego tamen confiteor tibi dedecora mea, in laude tua. Sine me obſecro, & da mihi circuire præſenti memoria, præteritos circumitus erroris mei, & immolare tibi *boſtiam jubilationis*. Quid enim ego ſum mihi ſine te, niſi dux in præceps? aut quid ſum, cum mihi bene eſt, niſi ſugens lac tuum: aut fruens te cibo, qui non corrumpitur? Et quis homo eſt quilibet homo, cum ſit homo? Sed irrideant nos fortes, & potentes: nos autem infirmi & inopes, confiteamur tibi. *Pſ.* 26. 6.

NOTÆ.

(a) *Uſque ad theatricos plauſus*) Auguſtinus veræ gloriæ nondum appetens, vanam ſectabatur in theatro carmina recitando, & coronas victoriæ teſte ambiendo. Eas fœneas appellat per contemptum, non quod e fœno eſſent: ſed quia gramen, flores, folia, unde texebantur, in fœnum mox abeunt, & exareſcunt.

(b) *In officina aqualiculi ſui*, &c.) Significat ſe eos annos inter Manichæorum auditores perſeveraſſe, & ut purgaretur a ſuis vitiis, cibos electis attuliſſe, juxta dicta ſupra, in quorum ventre (quem aqualiculum contemptim vocat) credebat *ſolvi particulas divinæ ſubſtantiæ, & Deos ſibi fabricari, quorum ope liberaretur*. Senſerunt enim, particulas divinæ ſubſtantiæ, quas fingebant in cibo & potu, aliiſque rebus permixtas teneri, eſſe partim Angelos, partim animas humanas. *Lib.* 3. *c.* 10.

USUS.

1. Ex memoria peccatorum exurgit in laudem Dei, conſcius infirmitatis humanæ,

ne, ejuſque conſideratione ſuperbiam noſtram elidit: *Quid enim eſt ſibi homo, ſine Deo, niſi Dux in præceps & in profundum*, tum peccati, tum inferni?

2. Non ſolum malum non vitat homo, niſi Deo duce, ſed nec bene eſt ipſi, *niſi eum fugit hac divinum* percipiendo conſolationes licitas in creaturis: aut cum *fruitur* Deo ſuo tanquam *cibo incorruptibili*, ipſi per meditationem & amorem inhærendo, & *faciendo voluntatem patris ſui*, qui *cibus Chriſti* quoque fuit.

Joan. 4. 34.

CAP. II.

Rhetoricam ſe illis annis docuiſſe & illegitimo thoro uſum: noluiſſe vero, ut aruſpes pro victoria ſua in theatro ſacrificaret.

1. DOcebam illis in annis artem rhetoricam, & (*a*) victoriosam loquacitatem victus cupiditate vendebam. Malebam tamen Domine, tu ſcis, bonos habere diſcipulos, ſicut appellantur boni, & eos ſine dolo docebam dolos: non quibus contra caput innocentis agerent, ſed aliquando pro capite nocentis. Et tu Deus vidiſti de longinquo lapſantem in lubrico, & in multo fumo ſcintillantem fidem meam, quam exhibebam in illo magiſterio diligentibus vanitatem, & *quærentibus mendacium*, ſocius eorum. In illis annis unam habebam, non eo, quod legitimum vocatur, conjugio cognitam: ſed quam indagaverat vagus ardor inops prudentiæ, ſed unam tamen, ei quoque ſervans

Pſ. 4. 3.

Digitized by Google

vans thori fidem: in qua ſane experirer exemplo meo, quid diſtaret inter conjugalis placiti modum, quod fœderatum eſſet generandi gratia, & pactum libidinoſi amoris: ubi proles etiam contra votum naſcitur, quamvis jam nata cogat ſe diligi.

2. Recolo etiam, cum mihi theatrici carminis certamen inire placuiſſet, mandaſſe mihi, neſcio quem aruſpicem, quid ei dare mercedis vellem, ut vincerem: me autem fœda illa ſacramenta deteſtatum & abominatum reſpondiſſe: nec ſi corona illa eſſet immortaliter aurea, muſcam pro victoria necari me ſinere. Necaturus enim erat ille in ſacrificiis ſuis animantia, & illis honoribus invitaturus mihi ſuffragatura dæmonia videbatur. Sed hoc quoque malum, (*b*) non ex tua caſtitate repudiavi, Deus cordis mei. Non enim amare te noveram, qui niſi fulgores corporeos cogitare non noveram. Talibus enim figmentis ſuſpirans anima, nonne *fornicatur abs te*, & fidit in falſis, & *paſcit ventos*? Sed videlicet ſacrificari pro me nollem dæmonibus, quibus me illa ſuperſtitione ipſe ſacrificabam. Quid eſt enim aliud ventos paſcere, quam ipſos paſcere: hoc eſt, errando, eis eſſe voluptati atque deriſui?

Pſ. 72. 27. *Oſ.* 12. 1.

NOTÆ.

(a) *Victorioſam loquacitatem victus cupiditate vendebam*) Eloquentiam notat, cujus loquacitas merito damnanda eſt, niſi ad Dei honorem referatur, & ſalutem aliis perſuadendam. Ait autem S. D. ſe Rhe-

Rhetoricam *vendidiſſe*, quia pro mercede & ſalario docebat: unde ſæpius ſe, & alios conductitios Profeſſores verborum *venditores*, diſcipulos vero *emptores* vocat.

(b) *Non ex tua caſtitate*) Alii legunt *non ex tua caritate*, fortaſſis rectius, ut ſuadent verba ſequentia: *non enim amare te noveram*; quia tamen vera religio eſt quædam caſtitas animæ, amplectentis verum Deum ſponſum ſuum, prior quoque lectio ferri poteſt: ut ſenſus ſit, ſe non ex vera religione ſacrificium aruſpicis rejeciſſe, ſed eo potius errore, quo vetabantur Manichæi ullum animal occidere, *ne offenderent principes tenebrarum, a quibus omnem carnem dicebant originem trahere*, teſte S. D.

Hæreſi 46. ad Quod vult Deum.

USUS.

1. Elucet bona indoles in Auguſtino quantumvis impio; hæc illum incitabat, ut diſcipulos bonos ſibi & aliis facere ſtuderet; deinde, ut fidem thori ſervaret etiam concubinæ. Unde apparet eum natura ad benefaciendum aliis, & fidem ſervandam propenſum fuiſſe. Sine qua indole qui impii ſunt, vix ullam emendationis ſpem faciunt: malignus enim animus, & perfidus, bonorum admonitionibus non movetur, nec divinis inſpirationibus facile mollitur.

CAP. III.

Ab aſtrologorum & genethliacorum divinationibus, ſe nec a Vindiciano, nec a Nebridio avocari potuiſſe.

1. IDeo illos planetarios, (*a*) quos mathematicos vocant, plane conulere non deſiſtebam, quod quaſi eis nul-

nullum eſſet ſacrificium, & nullæ preces ad aliquem ſpiritum, ob divinationem dirigerentur, quod tamen chriſtiana & vera pietas, conſequenter repellit & damnat. *Bonum eſt enim confiteri tibi Domine* & dicere, *Miſerere mei, cura animam meam, quoniam peccavi tibi*; neque ad licentiam peccandi abuti indulgentia tua, ſed meminiſſe dominicæ vocis: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat*. Quam totam illi ſalubritatem interficere conantur, cum dicunt: de cœlo tibi eſt inevitabilis cauſa peccandi, &: Venus hoc fecit aut Saturnus, aut Mars: ſcilicet, ut homo ſine culpa ſit caro & ſanguis, & ſuperba putredo: culpandus ſit autem cœli ac ſiderum creator & ordinator. Et quis eſt hic, niſi Deus noſter, ſuavitas & origo juſtitiæ, qui *reddes unicuique ſecundum opera ejus, & cor contritum & humiliatum non ſpernis?*

Pſ. 91. 2. *Pſ.* 40. 5. *Jo.* 5. 14. *Matth.* 16. 9. *Pſ.* 50. 19.

2. Erat eo tempore (*b*) vir ſagax medicinæ artis peritiſſimus, atque in ea nobiliſſimus; qui proconſul, e manu ſua (*c*) coronam illam agoniſticam impoſuerat non ſano capiti meo, ſed non ut medicus. Nam illius morbi tu ſanator, qui *reſiſtis ſuperbis, humilibus autem das gratiam*. Nunquid tamen etiam per illum ſenem defuiſti mihi, aut deſtitiſti mederi animæ meæ? Quia enim factus ei eram familiarior, & ejus ſermonibus (erant enim ſine verborum cultu, vivacitate ſententiarum jocundi, & graves) aſſiduus & fixus inhærebam;

Jac. 4. 6. 1. *Petr.* 5. 5.

bam: ubi cognovit ex colloquio meo libris genethliacorum esse me deditum, benigne & paterne monuit, ut eos abjicerem: neque curam & operam rebus utilibus necessariam, illi vanitati frustra impenderem: dicens ita se illa didicisse, ut ejus professionem primis annis ætatis suæ deferre voluisset, qua vitam degeret: & si Hippocratem intellexisset, & illas utique literas potuisset intelligere: & tamen non ob aliam causam se postea illis relictis medicinam assecurum, nisi quod eas falsissimas comperisset, & nollet vir gravis decipiendis hominibus victum quærere. At tu, inquit, quo te in hominibus sustentas, Rhetoricam tenes: hanc autem fallaciam libero studio, non necessitate rei familiaris sectaris; quo magis mihi te oportet de illa credere: qui eam tam perfecte discere elaboravi, quam ex ea sola vivere volui.

3. A quo ego cum quæsissem, quæ ergo causa faceret, ut multa inde vera pronunciarentur? Respondit ille, ut potuit, (*d*) vim sortis hoc facere in rerum natura usquequaque diffusam. Si enim de paginis poetæ cujuspiam longe aliud canentis, atque intendentis, cum forte quis consuluit, mirabiliter consonus negocio sæpe versus exiret: mirandum non esse dicebat, si ex anima humana superiore aliquo instinctu, nesciente quid in se fieret (*e*) non arte sed forte sonaret aliquid, quod interrogantis rebus factisque concineret. Et hoc quidem ab illo, vel per illum procura-

sti

ſi mihi : & quid ipſe poſtea per meipſum quærerem , in memoria mea delineaſti. Tunc autem nec ipſe , nec cariſſimus meus Nebridius , adoleſcens valde bonus, & valde cautus, irridens totum illud divinationis genus , perſuadere mihi potuerunt , ut hæc abjicerem ; quoniam me amplius ipſorum autorum movebat autoritas: & nullum certum , quale quærebam , documentum adhuc inveneram , quo mihi ſine ambiguitate appareret , quæ ab eis conſultis vera dicerentur , ſorte non arte inſpectorum ſiderum dici.

NOTÆ.

(a) *Quos Mathematicos vocant*) Intelligit eos, qui ex aſtris de moribus & factis hominum certa prædicere laborant, & ex ſitu cæli quem ſidera obtinent , cum infans naſcitur , ejus fortunam proſperam , ſive adverſam, vitia & virtutes, item mortem, non minus vane quam impie vaticinantur. Quos alio nomine appellamus *genethliacos* , quia obſervant ſidera natalitia , item *Aſtrologos judiciarios* , & *Planetarios* , quia ex aſtris judicium ferunt de futuris . Contra quos S. D. infra, & lib. 5. de civit. Dei , ac alibi luculenter diſſerit. Damnantur una cum ſuis libris in jure Canonico , *cap. 2. de ſortileg.* in Concil. Trident. *Indice lib. prohib. reg.* 9. item peculiari Bulla Sixti IV. *contra Aſtrologos* . Item in jure Civili , ubi *maleſici & Mathematici* conjunguntur. Noſtra autem ætate Mathematicorum nomen abſolute poſitum ſignificat Arithmeticæ , Geometriæ , Aſtrologiæ licitæ peritos & ſtudioſos , quæ diſciplinæ jam olim ab antiquis dicebantur Mathematicæ . *L. 7. c. 6.* *l. 9. Cod. t. 18.*

(b)

Digitized by Google

(b) *Vir ſagax, & medicinæ artis peritiſſimus*) Ejus nomen inf. exprimit, & Vindicianum appellat, ideoque in capitis ſummario id expreſſi. L. 7. c. 6.

(c) *Coronam illam agoniſticam*) Quam certaminis theatrici & poetici victoria promeritus erat. Eam illi Vindicianus proconſul amoris & honoris, imo & moris ergo impoſuit. Vocat agoniſticam, quia ἀγὼν græce eſt certamen, unde *agoniſticum* derivatur.

(d) *Vim ſortis hoc facere*, &c.) Si præter caſum aliud intellexit Vindicianus, ipſe quoque erravit. Eſt autem caſus *eventurarus, qui præter intentionem naturæ accidit*, ut colligitur ex Ariſtotele. Quod ergo Aſtrologi verum ſubinde dicunt, ex caſu eſt, ſive ſorte, dum aliquis eventus conjungitur per accidens cum tali ſiderum poſitura, quæ ad eum efficiendum vim nullam, aut certe non infallibilem habet. Eſſe vero hos eventus plane caſuales id convincit, quod mendacia Aſtrologorum, ſint multo plura veris prædictionibus ut docet Delrius. Quinimo cum vera dicunt, Id vel provenit ex occulto pacto cum dæmone, vel quia id Deus permittit in pœnam curioſitatis noſtræ, aliorumque peccatorum, quod cenſuit alibi S. D. 2. Phy. c. 6. L. 4. diſquiſit. c. 3. q. 1. L. 5. de civ. c. 7. & l. 2. de doct. Chriſt. c. 22. 23.

U S U S.

1. Cauſam indicat S. D. ob quam vel maxime deteſtari debemus divinationem planetariam, quia dum ſidereo quodam fato, libero arbitrio neceſſitas imponitur, peccata in ſiderum autorem retorquentur: quaſi ipſe per ſidera ſua cogat ad peccandum, qui per præcepta ſua prohibet peccata.

2. Animadverte mirabilem divinæ bonitatis ſapientiam, qua electos ſuos e peccatorum cœno paulatim educit, infigendo ſubinde ſtimulos per dicta hominum ſapien-

pientum & proborum : quæ etſi non moveant , cum dicuntur , poſt dies , menſes , & annos demum aliquot , vim ſuam exerunt . Ita S. D. Vindiciani admonitione delineatum ſive inchoatum in ſe Aſtrologicæ divinationis contemptum fatetur .

CAP. IV.

Dum Tagaſtæ Rhetoricam docet , amici quem immoderate diligebat , morte , in luctum incredibilem conjectus eſt .

1. IN illis annis , quo primum tempore in municipio , quo natus ſum , docere cœperam , comparaveram amicum ſocietate ſtudiorum nimis carum , coævum mihi , & conflorentem flore adoleſcentiæ . Mecum puer creverat , & pariter in ſcholam ieramus , pariterque luſeramus . Sed nondum ſic erat amicus , quamquam ne tunc quidem , ſicuti eſt vera amicitia (quia non eſt vera , niſi cum eam tu agglutinas inter inhærentes tibi , *caritate diffuſa in cordibus noſtris , per Spiritum ſanctum , qui datus eſt nobis*) ſed tamen dulcis erat nimis , cocta fervore parilium ſtudiorum . Nam & a fide vera , quam non germanitus & penitus adoleſcens tenebat , deflexeram eum in ſuperſtitioſas fabellas & pernicioſas , propter quas plangebat me mater . Mecum jam errabat in animo homo iile , & non poterat anima mea ſine illo . Et ecce tu , imminens dorſo fugitivorum tuorum , *Deus ultionum* *Rom. 5. 5.* *Pſ. 93.*

num & fons miſericordiarum ſimul, qui convertis nos ad te miris modis ! ecce abſtuliſti hominem de hac vita, cum vix expleviſſet annum in amicitia mea, ſuavi mihi (*a*) ſupra omnes ſuavitates illius vitæ meæ.

2. Quis laudes tuas enumerat, unus in ſe uno, quas expertus eſt? Quid tunc feciſti Deus meus, & quam inveſtigabilis abyſſus judiciorum tuorum? Cum enim laboraret ille febribus, jacuit diu ſine ſenſu in ſudore letali. Et cum deſperaretur, (*b*) baptizatus eſt neſciens, me non curante: & præſumente id retinere potius animam ejus, quod a me acceperat, non quod in neſcientis corpore fiebat. Longe autem aliter erat, nam recreatus eſt, & ſalvus factus. Statimque ut primum cum eo loqui potui (potui autem mox, ut ille potuit: quoniam non diſcedebam, & nimis pendedamus ex invicem) tentavi apud illum irridere, tanquam & illo irriſuro mecum baptiſmum, quem acceperat mente atque ſenſu abſentiſſimus: ſed tamen jam ſe accepiſſe didicerat. At ille ita me exhorruit, ut inimicum, admonuitque mirabili & repentina libertate: ut ſi amicus eſſe vellem, talia ſibi dicere deſinerem.

3. Ego autem ſtupefactus atque turbatus, diſtuli omnes motus meos, ut convaleſceret prius, eſſetque idoneus viribus valetudinis, cum quo agere poſſem, quod vellem. Sed ille abreptus dementiæ meæ, ut apud te ſervaretur conſolationi meæ, poſt paucos dies me abſen-

ſente, repetitur febribus, & defungitur. Quo dolore contenebratum eſt cor meum: & quicquid aſpiciebam, mors erat. Et erat mihi patria ſupplicium, & paterna domus mira infelicitas: & quicquid cum illo communicaveram, ſine illo in cruciatum immanem vertebatur. Expetebant eum undique oculi mei, & non dabatur mihi: & oderam omnia, quia non haberent eum. Nec mihi jam dicere poterant: ecce veniet, ſicut cum viveret, quando abſens erat. Et factus eram ipſe mihi magna quæſtio, & interrogabam animam meam, *quare triſtis eſſet, & quare conturbaret me* valde? & nihil noverat reſpondere mihi. Et ſi dicebam: *Spera in Deum*, juſte non obtemperabat, quia verior erat & melior homo, quem cariſſimum amiſerat, quam phantaſma, in quod ſperare jubebatur. Solus fletus erat dulcis mihi, & ſucceſſerat amico in deliciis animi mei. *Pſ.41.6.*

NOTÆ.

(a) *Supra omnes ſuavitates illius vitæ meæ*) Nonnunquam amor inter ejuſdem ſexus perſonas vehementior eſt, quam inter diverſi: quod oſtendit David in amore Jonathæ, quem *amabilem appellat ſuper amorem mulierum*; ſimili amore etſi non inhoneſto, tamen inordinato exarſit Auguſtinus erga hunc amicum ſuum, de quo vitio alibi. *2. Reg. 1. 26. V. Suar. 3. p. t. 3. d. 24. ſ. 1. & d. 14. ſ. 2. l. 4. de bapt. c. 24.*

(b) *Baptizatus eſt neſciens*) Ita tamen ut priuſquam ſenſibus deſtitueretur, deſiderium baptiſmi aliquando oſtenderit, & nunquam retractarit. Nam ejuſmodi ſaltem voluntatis conſenſum requiri ad Baptiſmum vere

vere ſuſcipiendum, docent Theologi, & tradidit ſatis clare ipſe S. D. eſtque conforme Concil. Carthagin. III. c. 23. & Concil. Arauſ. I. c. 12.

U S U S.

1. Vide efficaciam Baptiſmi, ejus enim virtute tantum in Chriſti fide, robur adeptus eſt hic S. D. amicus, ut a veritate amplius dimoveri non poſſet. Nec dubium eſt aliorum quoque Sacramentorum ſimilem eſſe efficaciam, ſi rite ſuſcipiantur.

2. Diſcamus eſſe *amici uſque ad aram*, hoc eſt non ultra, quam Dei voluntas & noſtra ſalus permittit. Exhorreſcamus amicum ad illicita impellentem, ut inimicum: & poſt Confeſſionis vel Euchariſtiæ, ut iſte poſt Baptiſmi Sacramentum, admoneamus *mirabili & repentina libertate* illos, qui ad noxia ducunt: *ut ſi amici eſſe velint, talia dicere deſinant*.

3. Solidum eſt ſolatium, quod ſuggerit S. D. in morte amicorum & carorum: *abreptus eſt dementiæ meæ* neſcienti recte amare, *ut ſervetur conſolationi meæ*, quam percipiam aliquando ex ſocietate illius in cœlo; quo ut perveniret rapuit illum Deus, periturum fortaſſe, ſi mecum fuiſſet.

3. Adverte hæreticos & impios, in luctu carere ſolatio ſolido, nec poſſe ſibi reſſpondere, cum interrogant ſeipſos. *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?* Homo fidelis & juſtus videt ex inordinato amore dolorem ſuum naſci, ideoque triſtitiam pellit dicendo; *Fiat voluntas tua*, attollendo animum ad gaudia cæleſtia, excipiendo tribulationem velut materiam meriti, aut pœnam peccatis ſuis debitam. Horum nihil noverat vel credebat in hoc luctu Auguſtinus.

CAP.

CAP. V.

Quærit cur in precibus & amissione rei caræ fletus dulcis sit.

1. ET nunc Domine jam illa transierunt, & tempore lenitum est vulnus meum. Possumne audire abs te, qui veritas es: & admovere aurem cordis mei ori tuo, ut dicas mihi, cur fletus dulcis sit miseris? Aut tu, quamvis ubique adsis, longe abjecisti a te miseriam nostram? & tu in te manes, nos autem (*a*) in experimentis volvimur? Et tamen nisi ad aures tuas ploraremus, nihil residui de spe nostra fieret. [*b*] Unde igitur suavis fructus de amaritudine vitæ carpitur gemere, & flere, & suspirare, & conqueri? An hoc ibi dulce est, quod speramus exaudire te? Recte istud in precibus, quia desiderium perveniendi habent. Nunquid in dolore amissæ rei, & luctu, quo tunc operiebar? Neque enim sperabam reviviscere illum, aut hoc petebam lacrymis, sed tantum dolebam & flebam; miser enim eram, & amiseram gaudium meum. An & fletus res amara est: & præ fastidio rerum, quibus prius fruebamur, & tunc dum ab eis abhorremus, delectat?

NOTÆ.

(a) *In experimentis volvimur*) Per experientiam rerum causas & naturas investigare conamur, quas Deus in sua sapientia cognoscit & ordinat, absque labore & errore, cui utrique miseriæ, nostra obnoxia est experientia. Hinc difficile est per-

venire ad perfectam Sapientiam, imo & virtutem, cujus ſtudium vel maxime perſuaderetur experimento acerbitatis, qua aſperguntur vitia.

(b) *Unde igitur ſuavis fructus*) Cur fletus dulcis ſit miſeris & aliquod ſolatium præbeat, ex ipſa triſtitiæ natura colligi poteſt. Nam ſicut lætitia cor dilatat, & hominem in riſum ſolvit per motum diaphragmatis; ita triſtitia cor & partes oculis vicinas conſtringit, humoremque illis contentum in lacrymas eliquat. Quo motu, dum cor anguſtias confluentis ſanguinis a ſe repellere nititur, qualemcunque voluptatem percipimus, ei pruritui non abſimilem, quem ſentiunt ulceroſi cum ſcalpuntur. In precibus vero ad Deum magis dulceſcere lacrymas, ſpe veniæ & impetrationis recte ſentit S. D. Quod ipſum forte contingit in dolore rei amiſſæ, dum phantaſia apprehendit quaſi recuperabile, quod recuperari non poteſt: & amorem prius quieta poſſeſſione velut langueſcentem, n jactura rei amatæ, denuo exſuſcitat & magis inflammat.

V. Suar. l. 5. de anima c. 3. nu. 14.

CAP. VI.

Explicat miſeriam inordinati affectus, quo excruciabatur ob mortem illius amici.

1. QUid autem iſta loquor? Non enim tempus querendi nunc eſt, ſed confitendi tibi. Miſer eram, & miſer eſt omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium, & dilaniatur, cum eas amittit: & tunc ſentit miſeriam, qua miſer eſt, & antequam amittat eas. Sic ego eram illo tempore, & fle-

Digitized by Google

flebam amariſſime, & requieſcebam in amaritudine. Ita miſer eram, & habebam cariorem illo amico meo, vitam ipſam miſeram. Nam quamvis eam mutare vellem, nollem tamen amittere magis quam illum. Et neſcio, an vellem vel pro illo, ſicut de Oreſte & Pylade traditur, ſi non fingitur: qui vellent pro invicem vel ſimul mori, quia mor e pejus eis erat non ſimul vivere. Sed in me neſcio quis affectus nimis huic contrarius orrus erat: & tædium vivendi erat in me graviſſimum, & moriendi metus. Credo quo magis illum amabam, eo magis mortem, quæ mihi illum abſtulerat, tanquam atrociſſimam inimicam oderam & timebam, & eam repente conſumpturam omnes homines putabam; quia illum potuit. Sic eram omnino, memini.

2. Ecce cor meum Deus meus! ecce intus vide, quia memini ſpes mea, qui me mundas a talium affectionum immunditia: dirigens oculos meos ad te, & *evellens de laqueo pedes meos*. Mirabar enim ceteros mortales vivere, quia ille, quem quaſi non moriturum dilexeram, mortuus erat: & me magis, quia illi alter eram, vivere illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico ſuo, *Dimidium animæ meæ*. Nam ego (*b*) ſenſi animam meam & animam illius, unam fuiſſe animam in duobus corporibus: & ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere. Et ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram.

Pſ. 124. 5.

Hor. l. 1. *Carm. od.* 8. *ad Virg.*

V. lib. 2. *Retrac. c.* 6.

NOTÆ.

(a) *Quamvis eam mutare vellem, nollem tamen eam amittere magis, quam illum*) Causa est, quia naturali quadam vi ipsum esse jucundum est, etiam miseris: ut egregie S. D. alibi demonstrat exemplo paupe-
rum, & mendicorum. *Unde enim*, inquit, *mori metuunt & malunt in illa arumna vivere, quam eam morte finire, nisi quia satis apparet, quantum natura refugiat non esse?* Sic ergo S. August. in vita etsi misera, mortem tamen metuebat: & potius sinebat amicum non esse, quam seipsum.

L. 11. de civ. Dei c. 27.

(b) *Sensi animam meam & animam illius unam fuisse*) Culpat hanc amoris exaggerationem his verbis: *cum de amici morte animi mei miseriam confiterer, dicens quod anima nostra quodammodo una facta fuerat ex duabus: & ideo inquam, forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram: quæ mihi quasi declamatio levis, quam gravis confessio videtur, quamvis utcunque temperata sit hac ineptia in eo, quod additum est, forte.* Quo exemplo religiosissimus pater, merito avocare debet Christianos Scriptores, ne in libris scriptisque suis ea ponant, quæ ingenium mu cent quidem, sed ad virtutem nihil conducunt.

l. c. Retr.

USUS.

1. Discrimen ingens est inter caritatem ordinatam & inordinatam, illa tanta est, *ut animam suam ponat pro amicis suis*, non item ista, quæ in sensuum oblectatione fundata, ad veram virtutem non assurgit. Unde recte dixit Aristoteles *amicitias juvenum, mutata ætate jucunda & forma desinere, quia amicitia cum jucunditate mutatur*, item, *amicitias hominum voluptuosorum non fortiter conjungi*, sed ingruente discrimine gravi dissilire. Quare S. D. dubitat, an verum sit, quod de Pyladis & Orestis amicitia circumferrur, eos mortem pro se mutuo oppetere voluisse: certe id non tam

Joan. 15. 13. Ethic. l. 8. c. 3. Ib. c. 5.

tam veræ amicitiæ impulſu, quam furoris feciſſe videntur. Id compertum eſt, rara eſſe tam firmæ amicitiæ exempla, extra caritatem, *quæ per Spiritum ſanctum diffunditur in cordibus fidelium*. Rom. 5: 5.

2. Certum indicium eſt *animum vinctum eſſe amicitia rerum mortalium, ſi dilaniatur, cum eas amittit*, non enim eſt in amittendo dolor, ſi non fuit in habendo cupiditas, quamvis non ſentiat dolorem, antequam amittat, quod diligit: *ſicut avicula, quod capta & conſtricta ſit compedibus, non percipit, & cum ſuperſidet glutino, non ſentit ſe annexam, quouſque recedere voluerit, & inde volare*, ut ſapienter obſervat Gerſon. De monte contempl. c. 12.

CAPUT VII.

Solatium nullum reperiens, doloris impatientia mutat locum, & redit Carthaginem.

1. O Dementiam neſcientem diligere hominines humaniter! O ſtultum hominem immoderate humana patientem, quod ego tunc eram! Itaque æſtuabam, ſuſpirabam, flebam, turbabar: nec requies erat, nec conſilium. Portabam enim conſciſſam, & cruentam animam meam, impatientem portari a me: & ubi eam ponerem, non inveniebam. Non in amœnis nemoribus, non in ludis atque cantibus, nec in ſuaveolentibus locis, nec in conviviis apparatis, neque in voluptate cubilis & lecti, non denique in libris atque carminibus acquieſcebat. Horrebant omnia, & ipſa lux, & quicquid

Digitized by Google

non erat, quod ille erat, improbum & odioſum erat, præter gemitum & lacrymas; nam in eis ſolis aliquantula requies.

2. Ubi autem inde auferebatur anima mea, onerabat me grandi ſarcina miſeriæ, qnæ a te Domine levanda erat, & curanda. Sciebam, ſed nec volebam, nec valebam, eo magis, quia non mihi eras aliquid ſolidum & firmum, cum de te cogitabam. Non enim tu eras, ſed vanum phantaſma & error meus, erat Deus meus. Si conabar eam ibi ponere, ut requieſceret, per inane labebatur, & iterum ruebat ſuper me: & ego mihi remanſeram infelix locus, ubi nec eſſe poſſem, nec inde recedere. Quo enim cor meum fugeret a corde meo? quo a me ipſo fugerem? quo me non ſequerer? Et tamen fugi de patria; minus enim eum quærebant oculi mei, ubi videre non ſolebant; atque a Tagaſtenſi oppido veni Carthaginem.

U S U S.

1. Ab inordinato amore, vel maxime deterrere deberet ingens cruciatus, qui non ſolum in amiſſione, verum & retentione carnalis amicitiæ animum obruit, quem luculenter S. D. hic deſcribit, adeo ut merito dixerit Taulerus, *ſi inordinati amoris affectui non pure propter Deum, nec æternæ ſalutis noſtræ gratia renuntiare volumus, ſaltem ob multam cordis pacem, quam etiam in hac vita inde conſequimur: & ut complures internas, graves, & parum meritorias preſſuras, & anxietates poſſimus evadere, libenter ea* (quæ carnaliter diligimus) *abdicare deberemus, quanquam hac nobis potior eſſe intentio non debeat.* Verum hujus mali, quod latius

Serm. de S. Magdalena.

latius patet quam credi queat, cauſas, proprietates, remedia peculiari tractatu explicavimus.

2. Ex ingenti dolore, quem S. D. ex amiſſione hujus amici accepit, licet conjecturam facere, de intolerabili dolore, quo æternum cruciabuntur damnati, ob amiſſionem ſummi boni. Quam pœnam nec lacrymis lenire poterunt, quia *fletus & ſtridor dentium* erit inter pœnas, nec mutatione loci, quia in *inferno nulla eſt redemptio*. *Matt.8. 12.*

3. Grarias agamus Deo, qui nos voluit venire ad agnitionem nominis ſui & veræ fidei, ipſe enim eſt *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*, modo ſolatium ab ipſo & in ipſo quæramus. Talem Deum Auguſtinus in morte hujus amici ſui non habuit, cui Deus *Phantaſma* fuit, corpus nimirum lucidum & infinitum; hinc nec in illo, nec in ſe ipſo ſolatium invenit. *2. Cor.1*

CAP. VIII.

Tempus dolori mederi ſolatia priſtinis ſimilia afferendo, ſe vero illecebras humanæ amicitiæ ſectatum.

1. NOn vacant tempora, (*a*) nec otioſe volvuntur per ſenſus noſtros; faciunt in animo mira opera. Ecce veniebant, & præteribant de die in diem, & eveniendo & prætereundo inſerebant mihi ſpecies alias, & alias memorias: & paulatim reſarciebant me priſtinis generibus delectationum, quibus cedebat dolor meus ille: ſed ſuccedebant non quidem dolores alii, cauſæ

tamen aliorum dolorum. Nam unde me facillime, & in intima dolor ille penetraverat, nisi quia fuderam in arenam animam meam diligendo moriturum, ac si non moriturum! Maxime quippe me reparabant, atque recreabant aliorum amicorum solatia, cum quibus amabam, quod pro te amabam. (*b*) Et hoc erat ingens fabula, & longum mendacium, cujus adulterina confricatione corrumpebatur mens nostra, pruriens in auribus. Sed illa mihi fabula non moriebatur, si quis amicorum meorum morereatur.

2. Alia erant, quæ in eis amplius capiebant animum: colloqui, & corridere, & vicissim benevole obsequi; simul legere libros dulciloquos, simul nugari, & simul honestari; dissentire interdum sine odio, tanquam ipse homo secum, atque ipsa rarissima dissensione condire consensiones plurimas; docere aliquid invicem, aut discere aliquid ab invicem; desiderare absentes cum molestia, suscipere venientes cum lætitia. His atque hujusmodi signis, a corde amantium, & redamantium procedentibus per os, per linguam, per oculos, & per mille motus gratissimos, quasi fomitibus animos conflare, & (*c*) ex pluribus unum facere.

NOTÆ.

(a) *Nec otiosa volvuntur &c.*) Asserit tempus dolorem mitigare afferendo *species alias, & alias memorias, & delectationes pristinis similes*. Quia species rerum, quas prius amabamus, paulatim absorbentur à novis. Quamvis enim species intelligibiles

sint

ſint incorruptibiles, phantaſmata tamen, a quibus in hac vita dependet intellectus, ſenſim evaneſcunt: & a novis pelluntur, quæ ab aliis objectis animo adveniunt.

(b) *Et hoc erat ingens fabula*) Intelligit Deum Manichæorum corporeum & infinitum, quem pro Deo tum colebat, etſi merum phantaſma foret, & ſane *longum mendacium*, utpote quod in immenſum error extenderet.

(c) *Ex pluribus unum facete*) Iſtud nimirum eſt, quod per tot amoris lenocinia quæritur, *hoc enim amantium votum eſt*, ait Ariſtophanes *ut amans commixtus ac colliquefactus, ex duobus unus fiat*. Sed quia teſte S. Thoma, *ex hoc accideret, aut ambos aut alterutrum corrumpi, quærunt uniones, quæ convenit & decet: ut ſcilicet ſimul converſentur, & ſimul colloquantur, & in aliis hujuſmodi conjungantur*, per ea amoris indicia, quæ hic ponit S. Aug. *In Symp. Platon.* 1. 2 qu. 28. a. 1. ad 2.

U S U S.

2. Utile remedium inſinuat S. D. adverſus dolorem de morte caſorum, ut nimirum *non diligas morituram, ac ſi non moriturum*, ſed memineris *ſtatutum eſſe hominibus ſemel mori*, nec quenquam vivere eo privilegio, ut ſemper victurus ſit. Unde, quod is reſpondit nuntianti filium eſſe mortuum, *ſcire ſe mortalem genuiſſe*, hoc amatoribus quoque occinendum eſt: *ſcias te mortalem amare; imo quidquid creatum amas, ſcias te id amare, quod brevi tranſiturum eſt*. *Hebr* 9. 27.

2. Expende quam leve, & infidum ſit carnalis amicitiæ commercium. *Nugari & inaniter oblectari, ſive honeſtari*, ut appellat S. D. certe res eſt, quæ animum ſerium non decet; nec fieri poteſt abſque jactura temporis & impedimento virtutis; præſertim cum animus in abſentia amici, turbulento & vehementi deſiderio ejus exardeſcit, quod certum eſt ſignum vitioſi af-

fectus. Virtus enim pacem & tranquillitatem affert. Utinam tam ſerio multi dolerent de abſentia, & ſubtractione divinæ gratiæ, quantum triſtantur de abſentia & ſubtractione amicæ, vel amici!

CAP. IX.

Humanæ amicitiæ quærit ex amici corpore indicia benevolentiæ. Beatus, qui amat Deum, & amicum in Deo.

1. HOc eſt, quod diligitur in amicis, & ſic diligitur, ut rea ſit ſibi humana conſcientia, ſi non amaverit redamantem, aut ſi amantem non redamaverit: nihil quærens ex ejus corpore, præter indicia benevolentiæ. Hinc ille luctus, ſi quis moriatur, & tenebræ dolorum, & verſa dulcedine in amaritudinem cor madidum: & ex amiſſa vita morientium, mors viventium. Beatus, qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Solus enim nullum carum amittit, cui omnes in illo cari ſunt, qui non amittitur. Et quis eſt iſte, niſi Deus noſter, Deus, qui fecit cœlum & terram, & implet ea, quia implendo ea, fecit ea? Te nemo amittit, niſi qui dimittit. Et qui dimittit, quo it, aut quo fugit, niſi a te placido ad te iratum? Nam ubi non invenit legem tuam in pœna ſua? *Et lex tua veritas, & veritas* tu.

USUS.

Pſ. 118. 142. Jo. 14. 6.

1. *Si amantem hominem non redamaverit homo, merito a ſeipſo & aliis damnatur,* mul-

multo ergo magis rei ſumus, quod amantem nos Deum non redamemus; cum ejus amorem infinita beneficia, eaque certiſſima creationis, conſervationis, redemptionis, &c. manifeſtent. Contra indicia amoris ac benevolentiæ, quæ ex hominis corpore captamus, ſunt infida, & fallacia. Sæpe enim riſui ſubeſt odium, & blandis verbis, ac benevolis ſignis averſus ac inimicus animus, ut vel ex hoc capite carnalis amicitia non poſſit ſapienter amari.

2. Beatus contra eſt *qui amat Deum, & amicum in Deo*, ranquam imaginem in ſuo exemplari, & inimicum propter Deum præcipientem: *Diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos*, nam etſi inimici hominis juſti, peccatis imaginem Dei in ſe ipſis corrumpant & obſcurent: retinent tamen naturam, quæ poteſt reformari per gratiam. Amicus vero quantumvis bonus, non aliter eſt amandus, quam in quantum per dona gratiæ, divinam imaginem in ſe ipſo illuſtrat. Qui autem amat dona naturæ, ingenii, formæ, fortunæ in alio, perinde agit, ut is, qui amat imaginem Cæſaris auream, propter aurum, non propter Cæſarem. *Matt.* 5. 24.

3. Non eſt certior via ad pacem animi, quam amor Dei, *vere enim nihil carum amittit, cui omnia in illo cara ſunt, qui ſolus non amittitur*, quoſcunque enim emicos & quæcunque bona amittit, non turbatur; ſed hac cogitatione ſe mox ad quietem componit. *Reſtat mihi Deus, quem amittere non poſſum, niſi volens, in illo omne bonum eſt: & illud ipſum bonum, quod amiſi particula eſt omnis boni, multo melius in ſumma bona, quam in ſe. Quare ergo triſtis es anima mea?*

Digitized by Google

CAP. X.

Modus creaturarum est, ut oriantur & occidant, & per esse tendant ad non esse: errat, qui in illis quærit aliquid stabile.

1. Ps.29.4. DEus *virtutum converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus*. Nam quaqua versum se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi, præterquam in te: tametsi figitur in pulcris extra te, & extra se. Quæ tamen nulla essent, nisi essent abs te; quæ oriuntur & occidunt, & oriendo quasi esse incipiunt, & crescunt, ut perficiantur, & perfecta seneſcunt & intereunt: etenim omnia seneſcunt, & omnia intereunt. Ergo cum oriuntur & tendunt esse, quo magis celeriter crescunt ut sint, eo magis festinant, ut non sint. Sic est modus eorum; tantum dedisti eis; quia partes sunt rerum, quæ non sunt omnes simul, sed decedendo ac succedendo (*a*) agunt omnes universum, cujus partes sunt. Ecce sic peragitur, & sermo noster per signa sonantia. Non enim erit totus sermo, si unum verbum non decedat, cum sonuerit partes suas, & succedat aliud.

2. Laudet te ex illis anima mea, Deus creator omnium; sed non eis infigatur glutine amoris, per sensus corporis. Eunt enim, quo ibant, ut non sint, & conscindunt eam desideriis pestilentiosis: quoniam ipsa esse vult, & requiescere amat in eis, quæ amat. (*b*) In illis autem non est ubi, quia non stant; fugiunt:

giunt: & quis ea ſequitur ſenſu carnis, aut quis ea comprehendit, vel cum præſto ſunt? Tardus eſt enim ſenſus carnis, quoniam ſenſus carnis eſt: & ipſe eſt modus ejus. Sufficit ad aliud; ad quod factus eſt: ad illud autem non ſufficit, ut teneat tranſcurrentia ab initio debito, uſque ad finem debitum. In verbo enim tuo, per quod creantur, (c) ibi audiunt, hinc, & hucuſque.

NOTÆ.

(a) *Agunt omnes univerſum, cujus partes ſunt.*) Ut plures perſonæ ſibi mutuo ſuccedentes comœdiam peragunt, nec diutius in ſcena morantur, quam actio poſtulat, ita S. D. dicit creaturas *agere univerſum*, magnam ſane Comediam. Comparat deinde ſermoni, in quo ſyllaba ſuccedit ſyllabæ, ut poſſit totus abſolvi.

(b) *In illis autem non eſt ubi, quia non ſtant.*) Significat in creaturis non eſſe locum quietis, quia ex natura ſua fluunt & tranſeunt. Locus autem, ſive ubi ex Philoſophorum etiam ſententia, eſt quiddam immobile. 4. *Phyſ.* t. 42.

(c) *Ibi audiunt, hinc, & hucuſque*) Verbum Dei audiunt, per quod fiunt, *hinc* eſſe incipit, & *hucuſque* durant; quoſque Deus & natura permittit.

USUS.

1. Efficaciter incitat ad contemptum rerum caducarum & ſenſibilium, quæ ideo ſunt, ut paulo poſt non ſint, & quanto magis florent ac creſcunt, tanto citius finiuntur. Et tamen cupimus ſtare voluptates ac illecebras ſenſuum, non minus inſipienter, quam ſi quis ſtans in ripa, conaretur retinere aquam fluminis præterlabentis. Concluſum eſt dudum contra filios huius ſeculi: *Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole.* *Eccl.* 2. 11.

2. Cavendum a delectationibus ſenſuum, qui

qui agglutinant animum creaturis, nec ſatiant, neque enim poſſunt eas tenere tranſcurrentes. Ideo cum neceſſarium ſit identidem ab iis avelli, identidem neceſſe eſt animum cruciari aut dolore, aut deſiderio.

CAP. XI.

Solus Deus permanet, caro non ſentit, niſi partem aliquam creaturarum, quibus omnibus melior eſt creator immutabilis.

1. NOli eſſe vana anima mea, & obſurdeſcere in aure cordis, tumultu vanitatis tuæ. Audi & tu: Verbum ipſum clamat, ut redeas, & ibi eſt locus quietis imperturbabilis, ubi non deſeritur amor, ſi ipſe non deſerat. Ecce illa diſcedunt, ut alia ſuccedant, & omnibus ſuis partibus conſtet infima univerſitas. Nunquid ego aliquo diſcedo? ait verbum Dei. Ibi fige manſionem tuam, ibi commenda, quicquid inde habes anima mea, ſaltem fatigata fallaciis. (*a*) Veritati commenda, quicquid tibi eſt a veritate, & non perdes aliquid; & refloreſcent putrida tua, & ſanabuntur omnes languores tui; (*b*) & fluxa tua reformabuntur, & renovabuntur, & conſtringentur ad te; & non te deponent, quo diſcedunt, ſed ſtabunt tecum, & permanebunt ad ſemper ſtantem ac permanentem Deum.

2. Ut quid perverſa ſequeris carnem tuam?

ruam? Ipſa te ſequatur converſa. (c) Quicquid per illam ſentis, in parte eſt, & ignoras totum, cujus hæ partes ſunt, & delectat te tamen. Sed ſi ad totum comprehendendum, eſſet idoneus ſenſus carnis tuæ: [d] ac non & ipſe in parte univerſi accepiſſet pro pœna tua juſtum modum: velles, ut tranſiret, quicquid exiſtit in præſenti, ut magis tibi omnia placerent. Nam, & quod loquimur, per eundem ſenſum carnis audis: & non vis utique ſtare ſyllabas, ſed tranſvolare, ut aliæ veniant, & totum audias. Ita ſemper ſunt omnia, quibus unum aliquid conſtat, & non ſimul ſunt omnia ea, quibus conſtat: plus delectant omnia quam ſingula, ſi poſſint ſentiri omnia. Sed longe his melior, qui fecit omnia, & ipſe eſt Deus noſter: & non diſcedit, quia nec ſucceditur ei. Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem: ne in his, quæ tibi placent, tu diſpliceas.

NOTÆ.

(a) *Veritati commenda*) Deo offer, quidquid boni ab illo habes vel deſideras: ille cum ſit veritas, oſtendet tibi, an & quod ſolatium ſit in creaturis.

(b) *Et fluxa tua reformabuntur*) Caro & ſenſus corporis, per amorem Dei dirigentur ad finem ſuum, & *conſtringentur ad te*, quia amor Dei non ſinit ſenſus & concupiſcentias diffluere in creaturas; *& non te deponent*, non ſecum trahent, *quo diſcedunt* ſive, (ut alii legunt) *deſcendunt*, nempe in nihilum & corruptionem; *ſed ſtabunt tecum* per ſubjectionem, *& permanebunt* in manipulis meritorum, quos per-

perferes *ad ſemper ſtantem Deum*. Sicut enim peccatori ex oblectationibus ſenſuum *remanet pœna, fugiente gaudio*: ita juſto propter licitum, & ex virtutis regula moderatum rerum ſenſibilium uſum, *repoſita eſt corona juſtitiæ fugiente labore*.

(c) *Quicquid per illam ſentis, in parte eſt*) Oculus enim non percipit niſi colorem & lucem, auris non niſi ſonum & voces, guſtus non niſi ſaporem cibi & potus, olfactus non niſi odores, tactus non niſi mollia & dura, ſinguli ſenſus ſingulas particulas univerſi. Et quidem ſimul non percipiunt, niſi particulam ſuæ particulæ. Ita oculus dum luſtrat palatium, non poteſt ſimul contemplari ſidera, dum in iis occupatur, non fruitur pulchritudine ruris, camporum, hortorum, & quæcunque alia aſpectum paſcunt, avocant interim a lectione librorum. Aures dum attendunt melodiis, avocantur a jucundis ſermonibus, dum his vacant, non mulcentur cantu avicularum, ſtrepitu aquularum, ſuſurro arborum. Dum potamus, ſimul cibum glutire non poſſumus, dum caro ſapit, abſunt piſces; dum hoc vel illud obſonium delectat, alio ſimul veſci non poſſumus. Delectationes ſenſuum obſtant delectationibus animi. Verum denique eſt, quidquid ſentit Senſus, particula eſt aliqua, imo particula particulæ.

(d) *Accepiſſet pro pœna ſua juſtum modum*) Natura carnis & ſenſuum quidem eſt talis, ut non poſſit ſentire, niſi objectum ſuum, & nec illud quidem totum ſimul. Sed natura poſt peccatum verſa eſt in pœnam, ſublata enim juſtitia originali, ſenſus immoderate rapiuntur in creaturas, & contra rationis dictamen; hinc luctæ carnis & ſpiritus, in omnibus filiis Adam.

U S U S.

1. Priori cap. irrefragabili demonſtratione vanitatem creaturarum oſtendit S. D.

ex earum fugaci inſtabilitate ; nunc alteram demonſtrationem addit, ex eo, quod non niſi partem aliquam rerum ſenſibilium ſenſu apprehendamus, plus autem delectant omnia in quovis toto, quam ſingula .

2. Unde ſequitur meliores eſſe delectationes mentis quam carnis, intellectus enim totius univerſi creaturas cognoſcit & æſtimat, earumque bonitate delectatur. *Sed longe*, & ſingulis, & omnibus creaturis *melior, qui fecit omnia, & ipſe eſt Deus noſter, & non diſcedit* in nihilum, *quia non ſuccediturei*, neque enim eſt alius Deus præter ipſum.

CAP. XII.

Animæ in Deo amandæ, & ad eum rapiendæ, in quo ſolo quies : ad quem nos redire, & aſcendere deſcenſu ſuo docuit Chriſtus.

1. SI placent animæ, (*a*) in Deo amentur quia & ipſæ mutabiles ſunt, & in illo fixæ ſtabiliuntur : alioquin irent, & perirent. In illo ergo amentur: & rape ad eum tecum, quas potes, & dic eis : Hunc amemus, hunc amemus, ipſe fecit hæc, & non eſt longe. [*b*] Non enim fecit, atque abiit, ſed ex illo in illo ſunt. Ecce ubi eſt, ubi ſapit veritas. Intimus cordi eſt, ſed cor erravit ab eo. *Redite prævaricatores ad cor*, & inhærete illi, qui fecit vos. State cum eo, & ſtabitis. Requieſcite in eo, & quieti eritis. Quo itis in aſpera? quo itis? Bonum, quod amatis, ab illo eſt: ſed quantum eſt ad illum, bonum eſt & ſuave. Sed amarum erit juſte, quia injuſte amatur, deſerto illo, quicquid ab illo eſt. *Eſ.*46.8

2. Quo

2. Quo vobis adhuc, & adhuc, ambulare vias difficiles & laboriosas? Non est requies, ubi quæritis eam. Quærite, quod quæritis: sed ibi non est, ubi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis, non est illic. Quomodo enim beata vita, ubi nec vita? Et (*c*) descendit huc ipsa vita nostra, & tulit mortem nostram, & occidit eam (*d*) de abundantia vitæ suæ; & tonuit clamans, ut redeamus hinc ad eum (*e*) in illud secretum, unde processit ad nos; (*f*) veniens in ipsum primum virginalem uterum, (*g*) ubi ei nupsit humana creatura, caro mortalis, nec semper mortalis; & inde,
Ps. 18. 6. 7. *velut sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam.* Non enim tardavit, sed cucurrit, clamans dictis, factis, morte, vita, descensu, ascensu, clamans ut redeamus ad eum. Et discessit ab oculis ut redeamus ad cor, & inveniamus eum.

3. Abscessit enim, & ecce hic est. Noluit nobiscum diu esse, & non reliquit nos Illuc enim abscessit, unde nun-
Joan. 1. quam recessit, *quia mundus per eum factus est*, & *in hoc mundo erat*, & *venit*
1. *Tim.* 1. 15. *in hunc mundum peccatores salvos facere*; cui confitetur anima mea, ut *sa-*
Ps. 40. 5. *net eam, quia peccavit illi*. *Filii hominum, usquequo graves corde?* nun-
Ps. 4. 3. *Ps.* 72. 9. quid & post descensum vitæ, non vultis ascendere & vivere? Sed quo ascendistis, quando in alto estis, & *posuistis in cœlum os vestrum?* (*h*) Descendite, ut ascendatis, & ascendatis ad Deum. Cecidistis enim, ascendendo contra eum.

eum. Dic eis iſta, ut plorent in convalle ploratíonis, & ſic eos rape tecum ad Deum, quia de ſpiritu ejus hæc dicis eis, ſi dicis ardens igne caritatis.

NOTÆ.

(a) *Si placent animæ, in Deo amentur*) Animas jubet in Deo amari S. D. quia Deus ſpiritus eſt. Corpora non jubet in Deo amari, ſed illum ex corporibus laudari, quia Deus corpus non eſt; unde corpora non ita proprie amantur in Deo, quia nihil in eo eſt corporeum: amantur tamen propter Deum, & inde mens exurgit in laudem ejus, qui & corpus fecit, & ſpiritum.

(b) *Non enim fecit, atque abiit*) Ut architectus poſtquam domum extruxit, vel artifex poſtquam imaginem formavit; omnia enim non ſolum *ex Deo* ſunt, tanquam *efficiente*, ſed etiam *in illo*, tanquam *conſervante & continente*, ut dictum ſupra. L. 1. c. 2.

(c) *Deſcendit huc ipſa vita*) Chriſtus, qui de ſe ipſo ait: *ego ſum via, veritas, & vita*, Jo. 14. 6. & *occidit mortem noſtram* redimendo nos, & ſatisfaciendo pro peccatis noſtris.

(d) *De abundantia vitæ ſuæ*) Utique vita abundavit Chriſto, unam perdidit in cruce mortalem, ut homo, alteram immortalem ſervavit ut Deus.

(e) *In illud ſecretum*) Inacceſſæ divinitatis.

(f) *Veniens in ipſum primum uterum virginalem*) Primus uterus virginalis, & fecundus, fuit uterus B. Virginis. *Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.*

(g) *Ubi ei nupſit humana creatura*) Per incarnationem; caro *mortalis* ante reſurrectionem, nec *ſemper mortalis*, quia *immortalis* poſt reſurrectionem.

(h) *Deſcendit ut aſcendatis*) Deſcendite per humilitatem, ut aſcendatis per Dei amorem ad Deum.

USUS.

U S U S.

1. Suggerit S. D. hoc capite, item proximis duobus, ſalubrem meditationem, adverſus blandimenta mundi, vel retinentis, vel revocantis.

2. Proponit S. D. vitam Chriſti, tanquam efficaciſſimum medium ad bona caduca aſpernanda. Ideo enim vitam mundo contrariam elegit, ut bona hujus vitæ, caduca & evia eſſe perſuaderet, diſceſſit vero ad cælum per aſcenſionem, ut quæramus eum, & ſequamur veſtigia ejus.

C A P. XIII.

Iſta neſciens amabat pulcra inferiora, quorum conſideratione cognovit pulcrum & aptum, ac de utroque libros ſcripſit.

1. HÆc tunc non noveram, & amabam pulcra inferiora & ibam in profundum, & dicebam amicis meis num amamus aliquid, niſi pulcrum? Quid eſt enim pulcrum? & quid eſt pulcritudo? Quid eſt, quod nos allicit, & conciliat rebus, quas amamus? Niſi enim eſſet in eis decus & ſpecies, nullo modo nos ad ſe moverent. Et animadvertebam & videbam in ipſis corporibus(*a*) aliud eſſe quaſi totum, & ideo pulchrum, (*b*)aliud autem, quod ideo deceret, quoniam apte accommodaretur alicui, ſicut pars corporis, ad univerſum ſuum, aut calceamentum ad pedem & ſimilia. Et iſta conſideratio ſcaturivit in animo meo ex intimo corde meo, & ſcripſi libros de pulcro & apto, puto duos, aut tres. Tu ſcis Deus: nam excidit mihi. Non enim

enim habemus eos, ſed aberraverunt a nobis, neſcio quomodo.

N O T Æ.

(a) *Aliud eſſe quaſi totum, & ideo pulcrum*) Infra definit pulcrum eſſe id, *quod per ſeipſum decet* S. Th. magis diſtincte, *ad pulcritudinem* ait, *tria requiruntur. I. quidem integritas, ſive perfectio, quæ enim diminuta ſunt, hoc ipſo turpia ſunt. II. debita proportio, ſive conſonantia. III. claritas, quæ in corporibus eſt coloris ſuavitas.* Unde S. Auguſt. pulcritudinem corporis alibi definit ex Cicerone, *partium congruentiam, cum quadam coloris ſuavitate*, & S.Th. Pulcre bonum a pulcro diſtinguit ex hoc, *quod bonum proprie reſpicit appetitum, pulcrum autem vim cognoſcitivam, pulchra enim dicuntur, quæ viſa placent*, ubi per viſionem intelligo quoque cognitionem intellectivam, qua non ſolum percipimus pulcritudinem corporum, verum & animorum, quorum pulcritudo eſt *rectitudo voluntatis cum claritate Sapientiæ.*

Cap. 14. l. p. qu. 39. a. 8. c. L. 22 de civ. Dei c. 19. l. 3. qu. Tuſcul. 1. p. q. 5. a. 4. ad 1. V. Bell. in Pſal. 44.

(b) *Aliud autem, quod ideo deceret, quoniam apte accommodaretur alicui*) Diſtinguit S. D. aptum a pulcro, nam pulcrum abſolutum quid eſt & totum, aptum ad alterum refertur, tanquam pars, aut veſtis, aut aliquid aliud. *Pulcrum enim*, ut S. D. alibi ait, *per ſeipſum conſideratur atque laudatur, cui turpe ac deforme contrarium eſt. Aptum vero, cui ex adverſo eſt ineptum, quaſi religatum pendet aliunde, nec ex ſemetipſo, ſed ex eo, cui connectitur, judicatur: nimirum decens atque indecens, vel hoc idem eſt, vel perinde habetur.* Aſſerit pulcrum cognoſci per ſeipſum, ut an equus, an homo ſit pulcher: aptum vero non niſi per aliud, neque enim veſtem quis poteſt aptam dicere, niſi intelligat, an congruat corpori.

2. 2. ep. 5. ſub init.

USUS.

Digitized by Google

USUS.

1. Ex hac pulcri notione sequitur solum Deum perfecte esse pulcrum. Ipse enim solus habet I. Omnem perfectionem. II. Proportionem perfectam omnis justitiæ, & sanctitatis. III. Claritatem Sapientiæ absque ignorantia & errore. Unde sicut teste Chri-
Luc. 18. 19. sto, *nemo bonus est* (perfecte & a seipso) *nisi solus Deus* ita *nemo pulcher est*, *nisi solus Deus*, qui solus per seipsum, & a se ipso decet. Creaturæ vero omnem decorem ab ipso, & in ordine ad ipsum habent.

2. Nullum hominem perfecte esse pulcrum. I. Quia nemo tam perfectus, cui non aliquid desit in corpore vel animo. II. Quia nemo tam justus, qui proportionem rectæ voluntatis, non levibus saltem peccatis corrumpat, imo fomes peccati sive concupiscentia, necessario aliquam deformitatem causat. III. Quia nemo tam sapiens, ut claritatem sapientiæ nullo errore, vel ignorantia obscuret. Cum ergo non possimus esse vere *pulcri*, laboret quivis esse *aptus*, sive convenire suo Fini, qui est Deus, suo Toti, cujus est pars, religiosus Religioni, civis Reipublicæ, studiosus Academiæ, quod fiet leges salutares & justas sedulo observando.

CAP. XIV.

Se fama & laudibus, ut fieri solet, motum, Hierio Oratori libros de pulcro & apto inscripsisse: ejusque exemplo, non item quorumvis aliorum, laudari cupisse.

1. QUid est autem, quod me movit Domine Deus meus, ut ad Hierium Romanæ urbis oratorem, scriberem illos libros: quem non noveram facie, sed amaveram hominem ex doctri-

næ

næ fama, quæ illi clara erat, & quædam verba ejus audieram, & placuerant mihi? Sed magis, quia placebant aliis, & efferebant eum laudibus; ſtupentes quod ex homine Syro, docto prius Græcæ facundiæ, poſt in Latina etiam doctor mirabilis extitiſſet: & eſſet ſcientiſſimus rerum ad ſtudium Sapientiæ pertinentium, mihi placebat. Laudatur homo, & amatur abſens. Utrumnam ab ore laudantis intrat in cor audientis amor ille? Abſit. Sed (*a*) ex amante alio, accenditur alius. Hinc enim amatur, quia laudatur (*b*) dum non fallaci corde laudato is prædicari creditur: id eſt, cum amans eum laudat. Sic enim tunc amabam homines, ex hominum judicio: non enim ex tuo Deus meus, in quo nemo fallitur.

2. Sed tamen, cur non ſicut auriga nobilis, ſicus venator ſtudiis popularibus diffamatus: ſed longe aliter, & graviter, & ita, quemadmodum & me laudari vellem? Non autem vellem ita laudari & amari me, ut (*c*) hiſtriones, quamquam eos & ipſe laudarem, & amarem: ſed eligens latere, quam ita notus eſſe, & vel haberi odio, quam ſic amari. Ubi diſtribuuntur iſta pondera variorum & diverſorum amorum, in anima mea? Quid eſt, quod amo in alio, quod rurſus niſi odiem, non a me deteſtarer & repellerem, cum ſit uterque noſtrum homo? Non enim ſicut equus bonus amatur ab eo, qui nollet hoc eſſe, etiam ſi poſſet! hoc & de hiſtrione dicendum eſt, qui naturæ noſtræ

ſo-

cius eſt. Ergone amo in homine, quod odi eſſe, cum ſim homo? Grande profundum eſt ipſe homo, cujus etiam
Matt. 10. *capillos* tu Domine *numerator* habes, & non minuuntur in te: & tamen capilli ejus magis numerabiles ſunt, quam affectus ejus, & motus cordis ejus.

3. At ille Rhetor ex eo erat genere, quem ſic amabam, ut vellem me eſſe talem, & errabam typho, & circumferebar omni vento, & nimis occulte gubernabar abs te. Et unde ſcio, & unde certus confiteor tibi, quod illum in amore laudantium magis amaveram, quam in rebus ipſis, de quibus laudabatur? Quia ſi non laudatum vituperarent eum iidem ipſi, & vituperando atque ſpernendo ea ipſa narrarent, non accenderer in eum, & non excitarer. Et certe res non aliæ forent, nec homo ipſe alius, ſed tantummodo affectus alius narrantium. Ecce, ubi jacet anima infirma, nondum hærens ſoliditati veritatis! Sicut auræ linguarum flaverint a pectoribus opinantium, ita fertur & vertitur, torquetur, ac retorquetur, & obnubilatur ei lumen, & non cernitur veritas. Et ecce eſt ante nos! Et magnum quiddam mihi erat, ſi ſermo meus, & ſtudia mea illi viro innoteſcerent. Quæ ſi probaret, flagrarem magis: ſi autem improbaret, fauciaretur cor vanum, & inane ſoliditatis tuæ. Et tamen pulcrum illud atque aptum, unde ad eum ſcripſeram, libenter animo

mo verſabam ob os contemplationis meæ, & nullo collaudatore mirabar.

NOTÆ.

(a) *Ex amante alio accenditur alius*) dum nempe bona & dona alterius, amantis affectu tam eloquenter & vehementer prædicantur, ut audiens credat amore dignum, qui ita laudatur. Non ergo amor ab amantis ore tranſit in audientem, quaſi affectus ille migret de animo in animum, quod fieri non poteſt: ſed quia amans tam illuſtri modo proponit ejus bona quem amat, ut bonum ſic cognitum non poſſit non amari.

(b) *Dum non fallaci corde &c.*) Credi ſolet amantibus de iis quos laudant, quia cum natura nobis inſitum ſit non poſſe amare, niſi quod bonum eſt, credimus amantibus, eſſe bonum, quod amant & laudant. Cum vero amor humanus ſæpe fallat, & ſæpe qui amant, ſibi ſomnia fingant, recte dicit S. D. ſe cum amabat homines ex hominum judicio, non amaſſe illos *ex judicio Dei*.

(c) *Hiſtriones*) Agebant hi fabulas in ſcena, ſic dicti a regione Hiſtra, vel ab Hiſter, quod Hetruſcis ludionem ſignificabat. Genus hominum apud Romanos infame erat, qui tum alia improba tum Deorum ſcelera, ſeu vera, ſeu ficta repræſentabant. Apud Græcos vero infames non erant, quod illi putarent Deos ludis ſcenicis delectari; de quo egregie S. D. *In hac diſceptatione* ait: *hujuſcemodi ratiocinatio ſummam quæſtionis abſolvit. Proponunt Græci: ſi Dii tales colendi ſunt, profecto etiam tales homines honorandi ſunt. Aſſumunt Romani: ſed nullo modo tales homines honorandi ſunt. Concludunt Chriſtiani: nullo igitur modo tales dii colendi ſunt.* l. 2. c. 13. de civ. Dei.

USUS.

1. Sicut odimus in nobis conditionem vilem & artem illiberalem, hiſtrionis, aurigæ, venatoris, etſi talia amemus & laudemus in aliis: quia putamus hæc eſſe infra di-

gnitatem noſtram, ideoque laudi nobis ducimus iſta ignorare, & non factitare: ſit contemnere deberemus omnia vana nomina ingenii, fortunæ, honoris, nec ex iis laudem captare: quia & ipſa, & omnia humana ſunt infra magnitudinem animi Deum amantis, & *ſapientis quę ſurſum ſunt, non qua ſuperterram*,

Col. 3. 2.

2. Figendus eſt animus in Deo, ne ex laudibus & vituperiis æſtimemus, noſtra vel aliena, nec moveant nos *aurę linguarum flantes a pectoribus* ſæpe temere ac falſo *opinantium*. Cor noſtrum *vanum* eſt, & *inane ſoliditatis divinę*, quamdiu ſauciatur, & torpeſcit in ſuis actionibus ob vituperia, & exardeſcit laudibus. Quamdiu tales ſumus, *arundines ſumus vento agitatę*, Joanni Baptiſtæ multum abſimiles.

Matth. 23. 7.

CAP. XV.

Rerum incorporearum ignorantia, duas ſubſtantias fingebat, monadem & dyadem, hanc ſumme malam, illam ſumme bonam: Libros vero de pulcro & apto, anno ætatis 26. vel 27. ſcripſit.

1. SEd (*a*) tantæ rei cardinem in arte tua nondum videbam omnipotens, qui *facis mirabilia ſolus*; & ibat animus meus (*b*) per formas corporeas, & pulcrum, *quod per ſe ipſum*: aptum *autem*, *quod ad aliquid accommodatum deceret*, definiebam, & diſtinguebam, & exemplis corporeis aſtruebam. Et converti me ad animi naturam: & non me ſinebat falſa opinio, quam de ſpiritualibus habebam, verum cernere. Et irruebat in oculos meos ipſa vis veri: & avertebam palpitantem mentem ab

in

incorporea re, ad lineamenta, & colores, & tumentes magnitudines. Et quia non poteram ea videre in animo, putabam me non posse videre animum meum. Et cum in virtute pacem amarem, in vitiositate autem odissem discordiam: (c) in illa unitatem, in ista quandam divisionem notabam. Inque illa unitate mens rationalis, & natura veritatis ac summi boni mihi esse videbatur. In ista vero divisione irrationalis vitæ, nescio quam substantiam, & naturam summi mali, quæ non solum esset substantia, sed omnino vita esset: & tamen abs te non esset Deus meus, ex quo sunt omnia, miser opinabar. Et tamen illam monadem appellabam, tanquam sine ullo sexu mentem, hanc vero dyadem, iram in facinoribus, libidinem in flagitiis, nesciens quid loquerer.

2. Non enim noveram neque didiceram, nec ullam substantiam malum esse: nec ipsam mentem nostram summum atque incommutabile bonum. Sicut enim facinora sunt, si vitiosus est ille animi motus, in quo est impetus, & se jactat insolenter ac turbide: & flagitia, si est immoderata illa animæ affectio, qua carnales hauriuntur voluptates: ita errores, & fallæ opiniones vitam contaminant, si rationalis mens ipsa vitiosa est: qualis in me tunc erat, nesciente alio lumine illam illustrandam esse, ut sit particeps veritatis, quia non est ipsa natura veritatis. *Quoniam tu illu-* Ps. 17. 29.

illuminabis lucernam meam, *Domine Deus meus*, *illuminabis tenebras meas*, *& de plenitudine tua nos omnes accepimus*. Es enim tu lumen verum, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quia in te *non eſt tranſmutatio*, *nec momenti obumbratio*. Sed ego conabar ad te, & repellebar abs te, ut ſaperem mortem, quoniam *ſuperbis reſiſtis*.

Joan. 1. 16. 9. Jaco. 1. 17.

3. Quid autem ſuperbius, quam ut aſſererem mira dementia, me id eſſe naturaliter, quod tu es? (*d*) Cum enim ego eſſem mutabilis, & eo mihi manifeſtum eſſet, quod ideo utique ſapiens eſſe cupiebam, ut ex deteriore melior fierem: malebam tamen etiam te opinari mutabilem, quam me non hoc eſſe, quod tu es. Itaque repellebar, & reſiſtebas ventoſæ cervici meæ, & imaginabar formas corporeas, & caro carnem accuſabam, & *ſpiritus ambulans* nondum *revertebar ad* te: & ambulando ambulabam in ea, quæ non ſunt, neque in te, neque in me, neque in corpore. Neque mihi creabantur a veritate tua, ſed a mea vanitate fingebantur ex corpore: & (*e*) dicebam parvulis fidelibus tuis, civibus meis, a quibus neſciens exulabam. Dicebam illis garrulus, & ineptus: cur ergo errat anima, quam fecit Deus? & mihi nolebam dici: cur ergo errat Deus? Et contendebam magis incommutabilem tuam ſubſtantiam coactam errare, quam meam mutabilem ſponte deviaſſe, & pœna errare confitebar.

1. Petr. 5. 5. Pſ. 77. 39.

4. Et

Digitized by Google

4. Et eram ætate annorum fortaſſe viginti ſex aut ſeptem, cum illa volumina ſcripſi, volvens apud me corporea figmenta, obſtrepentia cordis mei auribus, quas intendebam, o dulcis veritas! in ſi interiorem melodiam tuam: cogitans de pulcro & apto, & *ſtare* cupiens, *& audire* te, & *gaudere propter vocem ſponſi*, & non poteram: quia vocibus erroris mei rapiebar foras, & pondere ſuperbiæ meæ in ima decidebam. Non enim *dabas auditui meo gaudium & lætitiam*, aut *exultabant oſſa, quæ humiliata* non erant. *Joan. 3. 29.* *Pſ. 50. 10.*

NOTÆ.

(a) *Tantę rei cardinem*) Sapientiam & providentiam divinam, in qua omne naturæ rationalis & irrationalis ineffabile artificium, velut in Cardine vertitur.

(b) *Per formas corporeas*) Quas ſolas mente verſabat, & veluti ruminabat: talia nempe, qualia per oculos carnis hauriebat, ſive ut ſupra dixit, *vorabat*.

(c) *In illa unitatem, in iſta quandam diviſionem*) Unit virtus voluntatem & appetitum cum recta ratione. Vitium ex diſcordia utriuſque naſcitur, illamque cauſat; inde pax & bonum animæ: hinc malum & perturbatio. Cum vero S. D. malitiam ab inordinato voluntatis motu provenire nondum intelligeret, *ſubſtantiam malam* in homine conſtituebat, eique adverſam *ſubſtantiam boni*, quam putabat eſſe fruſtum Dei, & *monadem*, ſive unitatem appellabat: illam veto, *dyadem*, ſive duplicitatem, quæ incitaret ad iram in facinoribus, ad libidinem in flagitiis. *L. 3. c. 6.* *V. l. 3 c. 8.*

(d) *Cum enim ego eſſem mutabilis*) Ex hoc agnoſcere debuit ac potuit S. D. animam

Digitized by Google

ſuam non eſſe particulam divinæ ſubſtantiæ: Deus enim eſt immutabilis, anima vero mutatur, & fit ex deteriore melior, vel contra.

(e) *Dicebam parvulis fidelibus suis*) Catholicis humilitate parvulis, hac quæſtione inſultabat, *quomodo poteſt errare aut male facere anima, quam fecit Deus, cum ſit verax & bonus?* Neque videbat ſe gravius a Catholicis iſta quæſtione premi. *Si tua anima eſt pars Dei, quomodo cum illa, & in illa errat Deus?* Sed putabat Auguſt. ſubſtantiam divinam colligatam ſubſtantiæ mali, coactam errare, quæ ſponte errare non poſſet.

U S U S.

Pſ.4. 7. *Vere ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*) Auguſtinus quamvis graviſſimis involutus erroribus, agnovit tamen peccatum eſſe ſummum malum, ideoque ſubſtantiæ mali illud attribuit, contra vidit virtutem a ſummo bono proficiſci. Nulla itaque ignorantiæ excuſatio nobis aliquando proderit, niſi *declinemus a malo, & faciamus bonum.*

Pſ. 36. 27.

C A P. XVI.

Se Categorias Ariſtotelis, & omnes libros artium liberalium ſine Magiſtro intellexiſſe: nihil tamen id ſibi profuiſſe, donis Dei utenti male.

1. ET quid mihi proderat, quod annos natus ferme viginti, cum in manus meas veniſſent Ariſtotelica quædam, quas appellant decem categorias: quarum nomine cum eas Rhetor Carthaginenſis magiſter meus, buccis typho crepantibus commemoraret, & alii qui docti habebantur, tanquam in neſcio quid magnum & divinum ſuſpenſus inhiabam, legi eas ſolus, & intelle-

xi.

Digitized by Google

xi. Quas cum contuliſſem cum eis, qui ſe dicebant vix eas magiſtris eruditiſſimis, non loquentibus tantum, ſed multa in pulvere depingentibus intellexiſſe: nihil inde aliud mihi dicere potuerunt, quam ego ſolus apud meipſum legens cognoveram. Et ſatis aperte mihi videbantur loquentes de ſubſtantiis, ſicuti eſt homo; & quæ in illis eſſent, ſicuti eſt figura hominis; qualis ſit & ſtatura, quot pedum ſit; & cognatio, cujus frater ſit; aut ubi ſit conſtitutus: aut quando natus; aut ſtet, aut ſedeat: aut calceatus, vel armatus ſit; aut aliquid faciat, aut patiatur aliquid; & quæcunque in his novem generibus, quorum exempli gratia quædam poſui, vel in ipſo ſubſtantiæ genere innumerabilia reperiuntur.

2. Quid hoc mihi proderat, quando & oberat: (*a*) cum etiam te Deus meus mirabiliter ſimplicem, atque incommutabilem (illis decem prædicamentis putans, quicquid eſſet, omnino comprehenſum) ſic intelligere conarer: quaſi & tu ſubjectus eſſes magnitudini tuæ, aut pulcritudini, ut illa eſſent in te quaſi in ſubjecto, ſicut in corpore: cum tua magnitudo & tua pulcritudo, tu ipſe ſis, (*b*) corpus autem non eo ſit magnum, & pulcrum, quo corpus eſt: quia etſi minus magnum & minus pulcrum eſſet, nihilominus corpus eſſet? Falſitas enim erat, quam de te cogitabam, non veritas, & figmenta miſeriæ meæ, non firmamenta beatitudinis tuæ.

Jusseras enim, & ita fiebat in me, ut
Gen. 3. 18. *terra spinas & tribulos pareret mihi*, & cum labore pervenirem ad *panem* meum.

3. Et quid mihi proderat, quod omnes libros artium, quas liberales vocant, tunc nequissimus malarum cupiditatum servus, per meipsum legi & intellexi, quoscunque legere potui? Et gaudebam in eis, & nesciebam unde esset, quicquid ibi verum & certum esset. (*c*) Dorsum enim habebam ad lumen, & ad ea, quæ illuminantur faciem: unde ipsa facies mea, qua illuminata cernebam, non illuminabatur. Quicquid de arte loquendi & differendi, quicquid de dimensionibus figurarum, & de musicis, & de numeris, sine magna difficultate, nullo hominum tradente intellexi, scis tu Domine Deus meus, quia & celeritas intelligendi, & disputandi acumen, donum tuum est; sed non inde sacrificabam tibi. Itaque mihi non ad usum, sed ad perniciem magis valebat, quia [*d*] tam bonam partem substantiæ meæ, sategi habere in potePs. 18. 10. Luc. 15. state, & *fortitudinem meam* non *ad te custodiebam*: sed *profectus* sum abs te, *in longinquam regionem*, ut eam *dissiparem* in meritricias cupiditates. Nam quid mihi proderat bona res, non utenti bene? Non enim sentiebam illas artes, etiam ab studiosis & ingeniosis, difficillime intelligi, nisi cum eis easdem conabar exponere: & erat ille excellentissimus in eis, qui me

ex-

exponentem non tardius ſequeretur.

4. Sed quid ergo mihi hoc proderat, putanti, quod tu Domine Deus meus veritas, corpus eſſes lucidum & immenſum, & ego fruſtum de illo corpore? Nimia perverſitas. Sed ſic eram. Nec erubeſco Deus meus confiteri tibi in me miſericordias tuas, & invocare te: qui non erubui tunc profiteri hominibus blaſphemias meas, & latrare adverſum te. Quid ergo mihi tunc proderat ingenium per illas doctrinas agile, & nullo adminiculo humani magiſterii, tot nodoſiſſimi libri enodati: cum deformiter & ſacrilega turpitudine in doctrina pietatis errarem? Aut quid tantum oberat parvulis tuis longe tardius ingenium, cum a te longe non recederent: ut in nido Eccleſiæ tuæ tuti plumeſcerent, & alas charitatis, alimento ſanæ fidei nutrirent?

5. O Domine Deus noſter, *in velamento alarum tuarum ſperemus*, & protege nos, & porta nos. Tu portabis & parvulos, & *uſque ad canos tu portabis*, quoniam firmitas noſtra, quando tu es, tunc eſt firmitas: cum autem noſtra eſt, infirmitas eſt. Vivit apud te ſemper bonum noſtrum: & quia inde averſi ſumus, perverſi ſumus. Revertamur jam Domine, ut non evertamur: quia vivit apud te ſine ullo defectu bonum noſtrum, quod tu ipſe es: & non timebimus, ne non ſit, quo redeamus, quia nos inde ruimus: nobis autem abſentibus, non ruit domus noſtra, æternitas tua. Pſ. 62. 8. Eſ. 46. 4.

NOTÆ.

(a) *Cum etiam te Deus meus, &c.*) S. D. erroribus liberatus, Deum prædicamentis contineri non censuit, ut hodie etiam philosophamur; tum quia finiti & infiniti infinita distantia, nec communis ratio est, tum quia Deus accidentibus nullis subjacet, ut creatæ substantiæ, in quarum Categoriam, & Ordinem, illum redigere volebat Augustinus.

(b) *Corpus autem non eo sit magnum & pulcrum*) Apparet S. D. sensisse quantitatem & pulcritudinem, quæ fere in figura, & colore consistit, re ipsa distingui a substantia. De Deo enim dicere licet, *tua Magnitudo & tua Pulcritudo tu ipse es*, non item corpus est sua magnitudo aut pulcritudo.

(c) *Dorsum enim habebam ad lumen*) Dorsum animæ *oblivio* est, ut enim nulli in tergo oculi, ita oblivio nihil videt, nihil cogitat. Culpabilis hæc in peccantibus est, quia voluntaria: potius enim nolunt meminisse Dei, quam ut proprie ejus obliviscantur. *Facies* vero animi *memoria* est, & *consideratio*. Ut ergo dorsum obvertens soli non illustratur in facie, quamvis illustrentur ea, quæ aspicit, ita peccator oblitus Dei, non illustratur radiis divinæ Sapientiæ: quamvis creaturas intelligat sapientissime conditas.

(d) *Tam bonam partem substantiæ*) Gerit se pro filio prodigo, quia ut ipse acceptam partem substantiæ suæ, peregre decoxit cum meretricibus: ita Augustinus ingeniam meliorem partem sui, prodegit in errores Manichæorum & fœdas libidines, in *longinqua regione* peccati.

USUS.

1. Retudit S. D. suo exemplo fortiter superbiam eorum, qui ob ingenium aliaque dona superbiunt. *Nihil enim prodest res bona non utenti bene*. In ingenio & eruditione Augustini,

Digitized by Google

ſtini, qui nec Magiſtro eguit, hæreſis & luxuria nidum invenerunt, quia male uſus eſt nobiliſſimis Dei donis: non ſperemus nos Dei gratiam ob dotes Auguſtini donis longe impares, niſi puritate & probitate illis apud Deum pretium faciamus. Tam non æſtimat Deus iſta, ut S. D. exiſtimet, *ideo Nathanaelem non eo pratum inter Apoſtolos, quia doctus erat.* *V. tr. 2. in Jean.*

2. Non contemnendi ſunt ingenio & doctrina parvuli, docto enim & ingenioſo ſine virtute, nihil prodeſt *res bona non utenti bene*: ſimplici vero & indocto, ſed virtutis ſtudioſo, prodeſt virtus, *qua non poteſt uti male*. Meminerimus in tremendo judicio, nullam Doctoribus niſi Sanctis, conceſſum iri honoris, aut præmii prærogativam. *V. l. 3. de lib. ar. c. 19.*

* * * * * *
* * * * *
* * *

Digitized by Google

LIBER V.

Proloquitur annum unde-tricesimum ætatis suæ, quo Carthagine Rhetoricam docens, cognita imperitia Fausti celeberrimi Manichæorum Episcopi, ab iis alienari cœpit. Tum Romæ gravi morbo defunctus, & in Rhetoricæ professione aliquantum moratus, ad eandem Mediolani suscipiendam abiit. Ubi S. Ambrosii humanitate, ac sermonibus, meliorem de Fide Catholica opinionem sensim concepit.

CAPUT I.

Confitetur Deo miserationes ejus, non ut doceat, sed ut laudet eum, quem laudat omnis creatura.

1. ACcipe sacrificium confessionum mearum, de manu linguæ meæ quam formasti & excitasti, ut *confiteatur nomini tuo*, & sana omnia ossa mea, & dicant: *Domine quis similis tibi?* Neque enim docet te, quid in se agatur, qui tibi confitetur: quia oculum tuum non excludit cor clausum, nec manum tuam repellit duritia hominum: sed solvis eam, cum voles, (*a*) aut miserans aut vindicans, & *non est, qui se abscondat a calore tuo*. Sed te laudet anima mea, ut amet te: & confiteatur tibi miserationes tuas, ut laudet te. Non cessat nec tacet laudes tuas, universa creatura tua: (*b*) nec spi-

Ps. 137. 2.
Ps. 88. 1.
Ps. 18. 7.

ſpíritus omnis hominis, per os converſum ad te : nec animalia, nec corporalia, (c) per os conſiderantium ea : ut exurgat in te a laſſitudine anima noſtra, innitens eis, quæ feciſti, & tranſiens ad te, qui feciſti hæc mirabiliter, & ibi refectio, & vera fortitudo.

NOTÆ.

(a) *Aut miſerans, aut vindicans*) Miſerans emoliendo ad pœnitentiam, aut vindicans magis indurando ſubtractione auxilii interni : & puniendo impœnitentiam, pœnis hujus & alterius vitæ.

(b) *Nec ſpiritus omnis hominis*) Iuſti, intellige ; impii enim non laudant Deum, ſed blaſphemant.

(c) *Per os conſiderantium ea*) Angeli, & homines proprie laudant Deum, animalia vero aliæque creaturæ eundem laudant non ore ſuo, ſed alieno : excitando repræſentatione divinarum perfectionum mentem ad laudandum ſuum condi. torem. Quo ſenſu dixit David : *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*. Laudant itaque Angeli & homines Deum *formaliter*, aliæ creaturæ *objective*, ut loquuntur in Scholis. Pſ. 18. 1.

USUS.

Salubrem pro confeſſione hoc caput ſuggerit meditationem: tum ut integre fiat, cum Deum, cujus vices gerit Sacerdos, nihil lateat; tum ut excitemus nos ad creatorem noſtrum laudandum ſeria emendatione : nec toties laudes totius univerſi, peccatis noſtris interrumpamus.

CAP.

CAP. II.

Fruſtra iniqui fugiunt Deum, qui ubique eſt: convertantur potius, & confiteantur ei.

1. EAnt, & fugiant te inquieti & iniqui; (*a*) & tu vides eos, & diſtinguis umbras, & ecce pulcra ſunt cum eis omnia, & ipſi turpes ſunt! Et (*b*) quid nocuerunt tibi, aut in quo imperium tuum dehoneſtaverunt, a cœlo uſque in noviſſima, juſtum & integrum? Quo enim fugerunt, cum *fugerent a facie tua*? aut ubi tu non invenis eos? Sed fugerunt, ut non viderent te videntem ſe, atque excæcati in te offenderent: quia *non deſeris aliquid eorum, quæ feciſti*; in te offenderent injuſti, & juſte vexarentur: ſubtrahentes ſe lenitati tuæ, & offendentes in rectitudinem tuam, & cadentes in aſperitatem tuam. Videlicet neſciunt, quod ubique ſis, quem nullus circumſcribit locus: ſolus es præſens etiam his, qui longe fiunt a te.

Pſ 138. 7.

Sap. 11. 25.

2. Convertantur ergo, & quærant te, quia non ſicut ipſi deſeruerunt te creatorem ſuum, ita & tu deſeruiſti creaturam tuam. Ipſi convertantur, & quærant te; & ecce ibi es in corde eorum, in corde confitentium tibi, & projicientium ſe in te: & plorantium in ſinu tuo poſt vias ſuas difficiles. Et tu facilis terges lacrymas eorum, ut magis plorent, & gaudeant in fletibus: quoniam tu Domine,

Digitized by Google

mine, non aliquis homo, caro & sanguis, sed tu Domine qui fecisti, reficis & consolaris eos. Et ubi ego eram, quando te quærebam? Et tu eras ante me, ego autem & a me discesseram: nec me inveniebam, quanto minus te?

N O T Æ.

(a) *Tu vides eos, & distinguis umbras*) Etsi iniqui non meminerint Dei, & avertant ab eo intellectum & voluntatem: videntur tamen ab eo, non quidem ut partes lucidæ, sed tenebrosæ universi, & velut umbræ, quæ & ipsæ ornant picturam. Infra quoque S. D. *reprobos* appellat *noctem*, & *electos lucem*, ex mente utique Christi, qui cum diceret *hæc est hora vestra & potestas tenebrarum*, per tenebras dæmones intellexit & perditos Judæos. Recte autem improbi sic appellantur, quia carent luce sapientiæ & gratiæ divinæ, eaque alios privant. *L. 13. ex 14. Luc. 22. 53.*

(d) *Quid nocuerunt tibi &c.*) Non Deo, sed sibi nocet peccator, nec imperium illius, sed naturam suam dehonestat. Nam non minus pulcra est justitia Dei quam misericordia; hanc quia contemnunt impii, incidunt in illam: & postquam alias leges divinas violarunt, imperium illud justum & integrum, non possunt perfringere, ut *non eant in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*. *Matth. 25. 46.*

U S U S.

Ad peccati detestationem valent ista, si peccator attente legat, & expendat cum S. D. quam stultum sit, malle experiri asperitatem quam lenitatem Dei, cujus vindictam nemo impius effugit unquam.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

Fauſti adventum exponit, & quomodo Philoſophi etſi probabiliora Manicheorum fabulis tradiderint, in cogitationibus ſuis evanuerint.

1. PRoloquar in conſpectu Dei mei annum illum undetriceſimum ætatis meæ. Jam venerat Carthaginem quidam Manichæornm Epiſcopus, Fauſtus nomine, magnus laqueus diaboli: & multi implicabantur in eo, per illecebram ſuaviloquentiæ, quam ego jam, tametſi laudabam, diſcernebam tamen a veritate rerum, quarum diſcendarum avidus eram: nec quali vaſculo ſermonis, ſed quid mihi ſcientiæ comedendum apponeret, nominatus apud eos ille Fauſtus, intuebar. Fama enim de illo prælocuta mihi erat, quod eſſet honeſtarum omnium doctrinarum peritiſſimus, & apprime diſciplinis liberalibus eruditus.

2. Et quoniam multa philoſophorum legeram, memoriæque mandata retinebam, ex eis quædam comparabam illis Manichæorum longis fabulis: & mihi probabiliora iſta videbantur, quæ dixerunt illi, qui tantum potuerunt valere, *ut poſſent æſtimare ſeculum*, quanquam *éjus dominum minime invenerint. Quoniam* magnus es *Domine*, *& humilia reſpicis, excelſa autem a longe cognoſcis*. Nec propinquas niſi obtritis corde, nec inveniris a ſuperbis: nec ſi illi

Sap. 13. 19. Pſ. 137. 6.

illi curioſa peritia numerent ſtellas & arenam & dimetiantur ſidereas plagas, & inveſtigent vias aſtrorum. Mente enim ſua quærunt iſta, & ingenio quod tu dediſti eis: & multa invenerunt, & prænunciaverunt ante multos annos, defectus luminarium ſolis & lunæ, quo die, qua hora, quanta ex parte futuri eſſent: & non eos fefellit numerus, & ita factum eſt, ut prænunciaverunt. Et ſcripſeruut regulas indagatas, & leguntur hodie: atque ex eis prænunciatur, quo anno, & quo menſe anni, & quo die menſis, & qua hora diei, & quota parte luminis ſui, defectura ſit luna vel ſol: & ita fiet, ut ptænunciatur.

3. Et mirantur hæc homines & ſtupent, qui neſciunt ea: & exultant atque extolluntur, qui ſciunt; & per impiam ſuperbiam recedentes, & deficientes a lumine tuo, tanto ante ſolis defectum futurum prævident, & in præſentia ſuum non vident. Non enim religioſe quærunt, unde habeant ingenium, quo iſta quærunt. Et invenientes quia tu feciſti eos (*a*) non ipſi ſe dant tibi, ut ſerves quod feciſti, & (*b*) quales ſe ipſi fecerant, occidunt ſe tibi: & trucidant exaltationes ſuas, ſicut volatilia; & curioſitates ſuas, ſicut piſces maris, quibus perambulant ſecretas ſemitas abyſſi; & luxurias ſuas, ſicut pecora campi, ut tu *Deus ignis edax* conſumas mortuas curas eorum, recreans eos immortaliter. *Deut.* 4. 24.

4. Sed non noverunt viam, verbum tuum, per quod feciſti ea, quæ numerant;

rant ; & ipſos, qui numerant, & ſenſum, quo cernunt, quæ numerant, & mentem, de qua numerant, & *ſapientiæ tuæ non eſt* numerus. Ipſe autem unigenitus, *factus eſt nobis ſapientia & juſtitia, & ſanctificatio*, & numeratus eſt inter nos, & *ſolvit tributum Cæſari*. Non noverunt hanc viam, qua deſcendant ad illum a ſe, & per eam aſcendant ad eum. Non noverunt hanc viam, & putant ſe excelſos eſſe cum ſideribus & lucidos; & ecce ruerunt in terram, *& obſcuratum eſt inſipiens cor eorum!* Et multa vera de creatura dicunt, & Veritatem creaturæ artificem, non pie quærunt, & ideo non inveniunt: aut ſi inveniunt *cognoſcentes Deum, non ſicut Deum honorant, aut gratias agunt; ſed evaneſcunt in cogitationibus ſuis*, & *dicunt ſe eſſe ſapientes*, ſibi tribuendo, quæ tua ſunt; ac per hoc ſtudent perverſiſſima cæcitate etiam tibi tribuere, quæ ſua ſunt, mendacia ſcilicet in te conferentes, qui Veritas es, & *immutantes gloriam incorrupti Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum*; & convertunt veritatem tuam in mendacium: & colunt, & ſerviunt creaturæ potius, quam creatori.

Pſ. 146. 5. — 1. *Cor.* 1. 24. — *Matth.* 22. 21. — *Rom.* 1. 21. — *Ibid.* — *Ibid.* 22. — *Ibid.* 23.

5. Multa tamen ab eis, ex ipſa creatura vera dicta retinebam; & occurrebat mihi ratio per numeros & ordinem temporum, & viſibiles atteſtationes ſiderum, & conferebam cum dictis Manichæi, qui de his rebus multa ſcripſit, co-

Digitized by Google

copioſiſſime delirans ; & non mihi occurrebat ratio, nec ſolſtitiorum & æquinoctiorum, nec defectuum luminarium, nec quicquid tale in libris ſecularis ſapientiæ didiceram . Ibi autem credere jubebar, & ad illas rationes numeris & oculis meis exploratas non occurrebat : & longe diverſum erat .

NOTÆ.

(a) *Non ipſi dant ſe tibi, ut ſerves, quod feciſti*) agnoſcentes naturæ autorem , illi ſe non conſecrarunt , ut Deus ſervaret naturam illorum a ſe conditam , & perficeret per gratiam .

(b) *Et quales ſe ipſi fecerant, occidunt ſe tibi*) Ante verbum *occidunt* , repetenda eſt negatio, ut ſenſus ſit : *non occidunt in ſe malas concupiſcentias , quibus obſequendo , ſe ipſi fecerunt malos* . Pergit , & inſigni allegoria *ſuperbias* philoſophorum vocat *volatilia*, quia faſtus inſtar avium ſurſum tendit ; *curioſitates* vero *piſces* , quia ut hi pervadunt profunda maris , ita Philoſophi ſcrutantur abyſſum naturæ ; *pecora* denique *luxuriis* tribuit , quia ut *jumentis non eſt intellectus* , ita nec luxurioſis. Hæc ergo peccata , quia Deo non ſacrificarunt per pœnitentiam Philoſophi , ideo evanuerunt .

USUS.

1. Quæ Philoſophi gentilium fuerunt cauſæ evaneſcendi , eædem ſunt doctis Chriſtianis. I. *Superbia*, qua de ingenio ſuperbientes, eum religioſe non quæſiverunt, a quo habebant ingenium. II. *Inanis gloria*, quam captabant, cum viderent alios mirari ſuam ſcientiam . III. *Luxuria* , ob quam juſto judicio permiſſi ſunt *computreſcere in ſtercore* errorum & ſcelerum . IV. *Ignorantia* myſterii incarnationis & viæ , quam verbum incarnatum , humilitatis &

pa-

patientiæ exemplo, ad cælum monſtravit. V. *Ingratitudo*, non enim gratias egerunt, pro ingenio, & doctrina. VI. *Irreligioſitas*, cognoſcentes enim Deum, *non ſicut Deum honorarunt*, nec ſacrificiis, nec precibus, nec aliis piis operibus. Caveant Chriſtiani ſcientiis inclyti, ne per hæc & ſimilia ipſi quoque evaneſcant: & ſuper his examen ſubinde inſtituant.

2. Apparet fructus veræ Philoſophiæ, ex qua Auguſtinus occaſionem ſumpſit agnoſcendi, & explorandi errores Manichæorum. Quæ cauſa eſt, cur hæretici ſtudia philoſophica tam male oderint: metuunt enim, ne ex eo quod errent in arcanis naturæ, convincantur multo gravius errare in myſteriis gratiæ.

CAPUT IV.

Qui Deum ſcit, hoc ſolo beatus eſt, nec beatior, aut melior, quia alia præter ipſum ſcit.

1. NUnquid Domine Deus veritatis, quiſquis novit iſta, jam placet tibi? Infelix enim homo, qui ſcit illa omnia, te autem neſcit: beatus autem qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat. Qui vero & te, & illa novit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus eſt, ſi *cognoſcens te, ſicut Deum glorificet, & gratias agat, & non evaneſcat in cogitationibus ſuis*.

Rom. 1. 21.

2. Sicut enim melior eſt, qui novit poſſidere arborem, & de uſu ejus tibi gratias agit, quamvis neſciat vel quot cubitis alta ſit, vel quanta latitudine diffuſa, quam ille, qui eam metitur, & om-

Digitized by Google

& omnes ramos ejus numerat: & neque poſſidet eam, neque creatorem ejus novit aut diligit: ſic fidelis homo, cujus totus mundus divitiarum eſt, quaſi *nihil habens omnia poſſidet* inhærendo tibi, cui ſerviunt omnia: quamvis nec ſaltem *ſeptentrionum gyros* noverit, dubitare ſtultum eſt, quin utique melior ſit, quam menſor cœli, & numerator ſiderum, & penſor elementorum, & negligens tui, qui *omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti*. 2. *Cor.* 6. 10. *Job.* 28. 31. *Sap.* 18. 21.

U S U S.

Incitat S.D. doctor ad humilitatem, ne ſe majores putent indoctis, cum non ſint ideo beatiores quia doctiores: imo hoc ipſo ſint miſetiores, quia *ſcientia inflat*, niſi idemtidem humilitatis ſtudio reprimatur. 1. *Cor.* 8. 1.

C A P. V.

Manichæus in ſuis libris de ſideribus, & cœlo falſa docens, Spiritum S. in ſe perſonaliter habitantem, doctrinæ ſuæ autorem incredibili dementia faciebat.

1. SEd tamen quis quærebat Manichæum neſcio quem, etiam iſta ſcribere, ſine quorum peritia pietas diſci poterat? Dixiſti enim homini: *Ecce pietas eſt ſapientia!* quam ille ignorare poſſet, etiam ſi iſta perfecte noſſet: iſta vero quia non noverat, impudentiſſime audens docere, prorſus illam noſſe non poſſet. Vanitas eſt enim mundana iſta etiam nota profiteri, pietas autem *Job.* 11. 28.

Digitized by Google

tem tibi confiteri. Unde ille devius ad hæc, ista multum locutus est, ut convictus ab eis, qui ista vere didicissent, quis esset ejus sensus in cæteris, quæ abditiora sunt, manifeste cognosceretur. Non enim parvi existimari se voluit, sed (*a*) Spiritum sanctum consolatorem, & ditatorem fidelium tuorum, autoritate plenaria, personaliter in se esse persuadere conatus est.

2. Itaque, cum de cœlo ac stellis, & de solis ac lunæ motibus falsa dixisse deprehenderetur, quamvis ad doctrinam religionis ista non pertineant: tamen ausus ejus sacrilegos fuisse satis emineret, cum ea non solum ignorata, sed etiam falsata, tam vesana superbiæ vanitate diceret, ut ea tanquam divinæ personæ tribuere sibi niteretur. Cum enim audio Christianum aliquem fratrem, illum aut illum, ista nescientem, & aliud pro alio sentientem, patienter intueor opinantem hominem: nec illi obesse video, cum de te Domine creator omnium non credat indigna, si forte situs, & habitus creaturæ corporalis ignoret. Obest autem, si hoc ad ipsam doctrinæ pietatis formam pertinere arbitretur, & pertinacius affirmare audeat, quod ignorat.

3. Sed etiam talis infirmitas in fidei cunabulis, a charitate matre sustinetur, donec assurgat novus homo *in virum perfectum*, & *circumferri non possit omni vento doctrinæ*. In illo autem qui doctor, qui autor, qui dux & princeps

Ephes. 4. 13.

eorum,

eorum, quibus illa ſuaderet, ita fieri auſus eſt: ut qui eum ſequerentur, non quemlibet hominem, ſed ſpiritum ſanctum tuum ſe ſequi arbitrarentur: quis tantam dementiam, ſicubi falſa dixiſſe convincetur, non deteſtandam, longeque abjiciendam eſſe judicaret? Sed tamen liquido nondum compereram, utrum etiam ſecundum ejus verba, viciſſitudines longiorum, & breviorum dierum atque noctium, & ipſius noctis & diei, & deliquia luminum, & ſi quid ejuſmodi in aliis libris legeram, poſſet exponi: ut ſi forte poſſet, incertum quidem mihi fieret; utrum ita ſe res haberet, an non ita: ſed ad fidem meam illius autoritatem, propter creditam ſanctitatem, proponerem.

N O T Æ.

(a) *Sed Spiritum S. conſolatorem, &c.*) Quem in hæreſis ſuæ autore perſonaliter habitaſſe credebant, nam promiſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, teſte S. D. de paracleto Spiritu Sancto, in ſuo hæreſiarcha Manichæo dicunt eſſe completam. Unde ſe in ſuis literis *Jeſu Chriſti Apoſtolum dicit, eo quod Jeſus Chriſtus ſe miſſurum eſſe promiſerit, atque in illo miſerit Spiritum ſanctum.* *Hæreſi 46. ad Quodvult. l. de util. cred. c. 3.*

U S U S.

1. Solari ſe hinc poſſunt indocti, ſi audiant dicentem S. Auguſtinum, *non obeſſe homini, ſi ſitus & habitus creaturæ ignoret, & abdita naturæ non penetret, modo de creatore non credat indigna*, & non faciat divinis legibus prohibita.

2. Admonemur ex S. D. verbis, quanta caritate & patientia ſit agendum cum Cathecumenis & Neophytis. Poſſunt quidam errores diſſimulari, quos non tam ex pertina-

tinacia, quam incapacitate, & ſimplicitate invincibili retinent. Sicut enim Confeſſarius non tenetur monere pœnitentem ignorantia invincibili laborantem, ſi non ſperet fructum, ut Theologi docent: ita ex paritate rationis, nemo tenetur inſtruere aliquem de illis myſteriis, quæ novit ab illo, aut nunquam aut certe nondum poſſe intelligi.

V. Laymann. l. 5 tr. 6. c. 13 n. 5. Suar. d. 15. de Fide. S. 1. n. 10.

CAP. VI.

Fauſtum natura & exercitatione facundum, liberalium artium, niſi Grammaticæ, expertem fuiſſe: ſe vero tum veritatis avidum, rem non verba curaſſe.

1. ET per annos ferme ipſos novem, quibus eos animo vagabundus audivi, nimis extento deſiderio, venturum expectabam illum Fauſtum. Cæteri enim eorum, in quos forte incurriſſem, qui talium rerum quæſtionibus a me objectis deficiebant, illum mihi promittebant: cujus adventu collatoque colloquio, facillime mihi hæc, & ſi qua forte majora quærentem, enodatiſſime expedirentur. Ergo ubi venit, expertus ſum hominem gratum & jocundum verbis: & ea ipſa, quæ illi ſolent dicere, multo ſuavius garrientem. Sed quid ad meam ſitim, precioſorum poculorum decentiſſimus miniſtrator? Jam rebus talibus ſatiatæ erant aures meæ, nec ideo mihi meliora videbantur, quia melius dicebantur: nec ideo vera, quia diſerta, nec ideo ſapiens anima,

ma, quia vultus congruus, & decorum eloquium. Illi autem, qui eum mihi promittebant, non boni rerum existimatores erant: & ideo illis videbatur prudens & sapiens, quia delectabat eos loquens.

2. Sensi autem aliud genus hominum, etiam veritatem habere suspectam: & ei nolle acquiescere, si compto atque uberi sermone promeretur. Me autem jam docueras Deus meus miris & occultis modis; (& propterea credo, quod tu me docueris, quoniam verum est, (a) nec quisquam præter te alius est doctor veri, ubicunque & undecunque claruerit;) jam ergo abs te didiceram, nec eo debere videri aliquid verum dici, quia eloquenter dicitur: nec eo falsum, quia incomposite sonant signa labiorum. Rursum, nec ideo verum, quia impolite enunciatur: nec ideo falsum, quia splendidus sermo est; sed perinde esse sapientiam & stultitam, sicut sunt cibi utiles & inutiles: verbis autem ornatis & inornatis, sicut vasis urbanis & rusticanis, utrosque cibos posse ministrari. Igitur aviditas mea, qua illum tanto tempore expectaveram hominem, delectabatur quidem motu affectuque disputantis, & verbis congruentibus; atque ad vestiendas sententias facile occurrentibus. Delectabar autem, cum multis, vel etiam præ multis laudabam ac efferebam: sed molestè habebam, quod in cœtu audientium non sineret illi ingerere, & partiri cum eo curas quæstionum mearum, conferendo fa-

miliariter, & accipiendo ac reddendo ſermonem.

3. Quod ubi potui, & aures ejus cum familiaribus meis eo quoque tempore occupare cœpi, quo non dedeceret alternis differere, & protuli quædam quæ me movebant: expertus ſum prius hominem expertem liberalium diſciplinarum, niſi Grammaticæ, atque ipſius uſitato modo: & quia legerat aliquas Tullianas orationes, & pauciſſimos Senecæ libros, & nonnulla poetarum, & ſuæ ſectæ, ſi qua volumina latine atque compoſite conſcripta erant: & quia aderat quotidiana ſermocinandi exercitatio, inde ſuppetebat eloquium, quod fiebat acceptius, magiſque ſeductorium moderamine ingenii, & quodam lepore naturali. Itane eſt, ut recolo domine Deus meus, arbiter conſcientiæ meæ? Coram te cor meum, & recordatio mea, qui me tunc agebas abdito ſecreto providentiæ tuæ: & inhoneſtos errores meos jam convertebas ante faciem meam, ut viderem, & odiſſem.

NOTÆ.

(a) *Nec quiſquam præter te aliut eſt Doctor veri*) Nimirum principalis, Deus enim ſolus eſt prima veritas, cui omnes alii Magiſtri ſubdocent, qui verum docent. Poteſt quoque S. Aug. intelligi de veritate ſupernaturali, vel ad ſupernaturalem finem ordinata, quæ pertinet ad gratiam Chriſti, juxta illud S. Pauli. *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis, quaſi ex nobis*. Et talem fuiſſe hanc de vero cognitionem, ſignificat S. D. cum in fine cap. dicit, Deum

2. Cor. 3. 5.

Deum in *abdito ſecreto providentiæ ſuæ egiſſe*, ſive duxiſſe eum ad errores ſuos agnoſcendos.

USUS.

1. Perſuadet S. D. efficaciter, in concionibus & iis, quæ ad ſalutem pertinent, non verba, ſed rem quæri debere, ſicut in menſa non quærimus pocula & patinas, ſed potum & cibum.

2. Cavendum ab hæreticis, ne ſermonis elegantia ac ſuavitate errores incautis perſuadeant, quibus fere proprium eſt verborum melle venena ſua illinere, & Grammaticis fucis, Theologiæ hæreticæ fraudes occultare. Nec mirum eſt, plerumque hæreticos plus verbis ſtudere, quam Catholicos: cum enim veritate deſtituantur, illiùs ſpeciem, & larvam a Grammatica & Rhetorica mutuare coguntur.

CAP. VII.

Cognita Fauſti imperitia, ſe conatum proficiendi in ſecta Manichæorum abjeciſſe, idque ſibi initium converſionis fuiſſe.

1. NAm poſteaquam ille mihi imperitus earum artium, quibus eum excellere putaveram, ſatis apparuit, deſperare cœpi poſſe eum mihi illa, quæ me movebant, aperire atque diſſolvere: quorum quidem ignarus, poſſet veritatem tenere pietatis, (*a*) ſed ſi Manichæus non eſſet. Libri quippe eorum pleni ſunt longiſſimis fabulis, de cœlo, & ſideribus, & ſole, & luna: quæ mihi eum, quod utique cupiebam, collatis numerorum rationibus, quos alibi ego legeram, utrum potius

ita essent, ut Manichæi libris continebantur: an certe vel par etiam inde ratio redderetur, subtiliter explicare posse, jam non arbitrabar. Quæ tamen ubi consideranda & discutienda protuli, modeste sane ille, nec ausus est subire ipsam sarcinam. Noverat enim se ista non nosse, nec eum puduit confiteri. Non erat de talibus, quales multos loquaces passus eram, conantes ea me docere, & dicentes nihil. Iste vero cor habebat, & si non rectum ad te, nec tamen nimis incautum ad se ipsum. Non usquequaque imperitus erat imperitiæ suæ, & noluit se temere disputando in ea coarctari, unde nec exitus ei ullus, nec facilis esset reditus: & jam hinc mihi amplius placuit. (*b*) Pulcrior est enim temperantia confitentis animi, quam illa, quæ nosse cupiebam: & eum in omnibus difficilioribus & subtilioribus quæstionibus talem inveniebam.

2. Refracto itaque studio, quo intenderam in Manichæi literas, magisque desperans de ceteris eorum doctoribus; quando in multis, quæ me movebant, ita ille nominatus apparuit: cœpi cum eo pro studio ejus agere vitam, quo ipse flagrabat, in eas literas, quas tunc jam Rhetor Carthaginis, adolescentes docebam: & legere cum eo, sive quæ ille audita desideraret, sive quæ ipse tali ingenio apta existimarem. Ceterum omnis conatus meus, quo proficere in illa secta statueram, illo homine cognito prorsus intercidit: non ut ab eis omnino separarer, sed quasi melius quic-

quicquam non inveniens, eo, quo jam quoquo modo irrueram, contentus interim esse decreveram: nisi aliquid forte, quod magis eligendum esset, eluceret.

3. Ita ille Faustus, qui multis laqueus mortis extitit, meum laqueum quo captus eram, relaxare jam cœperat, nec volens, nec sciens. Manus enim tuæ Deus meus, in abdito providentiæ tuæ, non deserebant animam meam: & de sanguine cordis matris meæ, per lacrymas ejus diebus ac noctibus, pro me sacrificabatur tibi. Et egisti mecum miris & occultis modis; tu illud egisti Deus meus; nam *a Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet*; aut quæ procuratio salutis, præter manum tuam, reficientem, quæ feciſti? *Psal. 36. 23.*

NOTÆ.

(a) *Sed si Manichæus non esset*) Catholici veritatem pietatis tenent absque scientiis naturalibus, sciunt enim eas non esse saluti necessarias. Manichæi nec falsam suam religionem sine his tenere possunt, putant enim *pertinere ad fidem*.

(b) *Pulcrior est enim temperantia*) Ut anima rationalis præstantior est omnibus rebus corporeis, ita virtutes quæ illam pulcram reddunt, vincunt pulcritudinem solis ac siderum, quæ S. D. intelligere cupiebat.

USUS.

1. Etsi Faustus naturali quadam ingenuitate & morali modestia, nollet sibi arrogare scientiam eorum, quæ nesciebat: nihil tamen ipsi hæ, aliæque virtutes morales proderant, quia *sine fide impossibile est* *Hebr. 11. 6.*

placere Deo. Unde merito gratias debemus Deo, qui in vera religione nati & educati ſumus.

2. Quam mirabilis eſt Deus in ſanctis ſuis vocandis & juſtificandis! Fauſtus magnus ille laqueus Diaboli, qui multos implicaverat ſuis nexibus, laqueum erroris, quo Auguſtinus tenebatur, cœpit conterere. Nam *primus illius ad fidem Catholicam gradus fuit, cernere, Manichæorum errores a ſuis Doctoribus non poſſe defendi, nec veritatem in eorum ſecta reperiri.*

3. Non dubium eſt, ſi non pleroſque, certe multos ſectarios in hoc *primo converſionis gradu*, cum S. Auguſtino conſiſtere, dum palpant Doctorum ſuorum imperitiam, & manifeſte cernunt quoſdam errores, qui nulla poſſunt tergiverſatione celari. Unde neceſſario de veritate in ſua ſecta reperienda deſperare coguntur, quamvis eam vel ſimulent vel retineant, quia melius quid inveniri poſſe non putant, aut quia libertas carnis & faſtus ita ſuadet, aut quia metus principum & inopiæ retinet.

CAP. VIII.

Licentiam Scholaſticorum Carthaginenſium fugiens non tam ſuo, quam divino conſilio Romam contendit, matre fruſtra renitente.

1. EGiſti ergo mecum, ut mihi perſuaderetur Romam pergere: & potius ibi docere, quod docebam Carthagine. Et hoc unde mihi perſuaſum ſit, non præteribo confiteri tibi: quoniam & in his altiſſimi tui receſſus, & præſentiſſima in nos miſericordia tua, cogi-

cogitanda & prædicanda eſt. Non ideo Romam pergere volui, quod majores quæſtus, majorque mihi dignitas ab amicis, qui hoc perſuadebant, promittebatur (quamquam & iſta ducebant animum tunc meum) ſed illa erat tunc cauſa maxima & pene ſola, quod audiebam quietius ibi ſtudere adoleſcentes, & ordinatiore diſciplinæ coercitione ſedari: ne in ejus ſcolam, quo magiſtro non utuntur, paſſim & proterve irruant, nec eos admitti omnino, niſi ille permiſerit.

2. Contra apud Carthaginem fœda eſt & intemperans licentia ſcholaſticorum. Irrumpunt impudenter, & prope furioſa fronte perturbant ordinem, quem quiſque diſcipulis ad proficiendum inſtituerit. Multa injurioſa faciunt mira hebetudine, & punienda legibus, niſi conſuetudo patrona ſit, hoc miſeriores eos oſtendens, quo jam quaſi liceat faciunt, quod per tuam æternam legem nunquam licebit: & impune ſe facere arbitrantur, (*a*) cum ipſa cæcitate faciendi puniantur, & incomparabiliter patiantur pejora, quam faciunt. Ergo quos mores, cum ſtuderem, meos eſſe nolui, eos cum docerem, cogebar perpeti alienos: & ideo placebat ire, ubi talia non fieri omnes, qui noverant, indicabant. Verum autem, tu *ſpes mea & portio mea in terra viventium*, ad mutandum terrarum locum pro ſalute animæ meæ, & Carthagine ſtimulos, quibus inde avellerer, admovebas: & Romæ illecebras, quibus attraherer, pro- *Pſ.* 141 6.

ponebas mihi per homines, qui diligebant vitam mortuam, hinc insana facientes, inde vana pollicentes, & ad corrigendos gressus meos, utebaris occulte, & illorum, & mea perversitate. Nam & qui perturbabant otium meum, fœda rabie cæci erant: & qui invitabant ad aliud, terram sapiebant. Ego autem, qui detestabar hic veram miseriam, illic falsam felicitatem appetebam.

3. Sed quare hinc abirem, & illuc irem, tu sciebas Deus: nec indicabas mihi, nec matri, quæ me profectum atrociter planxit, & usque ad mare secuta est. Sed fefelli eam violenter me tenentem, ut aut revocaret, aut mecum pergeret: & finxi me amicum nolle deserere, donec vento facto navigaret. Et mentitus sum matri, & illi matri! & evasi. Quia & hoc tu dimisisti mihi misericorditer, servans me ab aquis maris, plenum execrandis sordibus, usque ad aquam gratiæ tuæ: qua me abluto, siccarentur flumina maternorum oculorum, quibus pro me quotidie tibi rigabat terram, sub vultu suo. Et tamen recusanti sine me redire, vix persuasi, ut in loco, qui proximus nostræ navi erat, (*b*) memoria beati Cypriani, maneret ea nocte. Sed ea nocte clanculo ego profectus sum, illa autem remansit orando & flendo. Et quid a te petebat Deus meus tantis lacrymis, nisi ut navigare me non sineres? Sed tu alte consulens, & ex audiens cardinem desiderii, non curasti, quod tunc petete-

tebat: ut in me faceres, quod ſemper petebat.

4. Flavit ventus, & implevit vela noſtra, & littus ſubtraxit aſpectibus noſtris. In quo mane illa inſaniebat dolore, & querelis ac gemitu implebat aures tuas contemnentes iſta: cum & me cupiditatibus meis raperes ad finiendas ipſas cupiditates, & illius carnale deſiderium juſto dolorum flagello vapularet. Amabat enim ſecum præſentiam meam more matrum, ſed multis multo amplius: & neſciebat, quid tu illi gaudiorum facturus eſſes de abſentia mea. Neſciebat, ideo flebat, & ejulabat: atque illis cruciatibus arguebatur (c) rea reliquiarum Evæ, cum gemitu quærens, quod cum gemitu pepererat. Et tamen poſt accuſationem fallaciarum & crudelitatis meæ converſa rurſus ad deprecandum te pro me, abiit ad ſolita, & ego Romam.

NOTÆ.

(a) *Cum ipſa faciendi cæcitate puniantur*) Juxta illud, quod ſupra dixerat *Deum ſpargere panales cæcitates ſuper illicitas cupiditates*; magna pœna eſt, cum Deus ſubtrahit lumen menti, ita ut putet bonum malum, ideo, quia facit malum. l. 2. c. 18.

(b) *Memoria B. Cypriani &c.*) Templum intellige, ſolent enim PP. templa SS. Martyribus dicata, appellare *memorias*, quod præcipue familiare eſt S. Auguſtino, tum ſæpius infra, tum alibi, ut cum dicit: *Populus Chriſtianus memorias Martyrum, religioſa ſolemnitate concelebrat*, & *quod memoria Martyrum noſtrorum, templis Deorum, delubriſque ſuccederent*. Dicuntur autem L. 20. contra Faſtum c. 21. l. 8. de civ. Dei, c. 26.

rem Memoriæ a fine, conſecrantur enim Sanctis, ut eorum memores ſimus, eoſque colamus.

(c) *Rea reliquiarum Evæ*) Pœnas intelligit peccati originalis, inter quas miſerrima eſt, indomitarum affectionum moleſta rebellio; inde erat, quod Monica filii conſuetudine privata, immodice dolebat. Editio *Baſileenſ.* vitioſe legit, *arguebatur in ea reliquiarum Evæ*, nullus enim ſenſus eſt.

U S U S.

1. Quos mirabiles divinæ providentiæ receſſus expertus eſt Auguſtinus, ut alio fine ipſe Romam iret, & alio Deus illuc eum impelleret: ſimiles quivis e peccatorum cœno eductus, in ſe cognoſcet, ſi vitam ſuam recognoſcat. Reperiet mutationem loci, aut domus, aut alterius rei, longe alio & ſæpe vano, vel impio fine ſuſceptam, ſibi ſalutis & pœnitentiæ occaſionem extitiſſe. Agat Deo gratias, & gratia utatur.

2. Ecce antiquam conſuetudinem dicandi templa Sanctis, cujus teſtis eſt S. D. matrem *in memoria B. Cypriani Martyris* manſiſſe narrans. Quid ad hæc heri nati templorum everſores?

3. Nemo putet orationem ſuam non exaudiri etſi contrarium eveniat, aut voti ſumma diu differatur. Forte Deus *in altiſſimo bonitatis & ſapientiæ ſuæ conſilio, decrevit deſiderii cardinem exaudire*. Sed quis hic cardo? Ille nempe, qui primis tribus Orationis Dominicæ petitionibus continetur, cum petimus *ſanctificationem nominis divini*, *regnum gratiæ & gloriæ*, denique *adimpletionem voluntatis divinæ*. In his cardo Orationis noſtræ verti debet, & quæcunque petamus, hæc cauſa ſit petendi; ut Dei nomen honoretur, ſalus noſtra promoveatur, & Dei voluntas. Quod fieri poteſt, etſi non fiat, quod petimus infra hunc car-

cardinem, ut patet in S. Monica, quæ non impetravit, ut filius maneret Carthagine, ſed ut rediret ad patrem miſericordiarum, hic enim erat *cardo deſiderii ejus, & gloriæ ac voluntatis Dei*, qui ſegregaverat ſibi Auguſtinum ex utero ipſius. Sola itaque hæc *bona, quibus homo male uti non poteſt, quæ ſcilicet malum eventum habere non poſſunt*, ſunt abſolute petenda. In iis autem, *quæ malum eventum habere poſſunt, & quibus male & bene uti poſſumus*, ut ſunt honores, divinæ, aliaque temporalia, nunquam eſt orationis cardo figendus, teſte etiam S. Th. 22. q. 83. a. 5.

CAP. IX.

Romæ in febrim incidit, ad inferos iturus, ſi moreretur: ſalutem precibus matris, etſi neſcientis, adſcribit, ejuſque pietatem mire prædicat.

1. ET ecce, excipior ibi flagello ægritudinis corporalis, & ibam jam adinferos: portans omnia mala quæ commiſeram, & in te, & in me, & in alios multa & gravia, ſuper originalis peccati vinculum, quo *omnes in Adam morimur*. Non enim quicquam mihi donaveras in Chriſto: nec *ſolverat ille in carne ſua inimicitias*, quas tecum contraxeram peccatis meis; quomodo enim eas ſolveret (*a*) in cruce phantaſmatis, quod de illo crediderat? Quam ergo falſa mihi videbatur mors carnis ejus, tam vera erat animæ meæ: & quam vera erat mors carnis eius, tam falſa vita animæ meæ, quæ id non credebat. Et ingraveſcentibus febri- 1. Cor. 15. 22. Eph. 2. 14.

bus, jam ibam, & peribam. Quo enim irem, ſi tunc hinc abirem, niſi in ignem atque tormenta digna factis meis, (*b*) in veritate ordinis tui? Et illa hoc neſciebat, & tamen pro me orabat abſens. Tu autem ubique præſens, ubi erat exaudiebas eam: & ubi eram, miſerebaris mei, ut recuperarem ſalutem corporis mei, adhuc inſanus corde ſacrilego. (*c*) Neque enim deſiderabam in illo tanto periculo baptiſmum tuum: & melior eram puer, quando illum de materna pietate flagitavi, ſicut jam recordatus, atque confeſſus ſum.

2. Sed in dedecus meum creveram, & conſilia medicinæ tuæ demens irridebam: qui me non ſiniſti talem bis mori. Quo vulnere ſi feriretur cor mátris, nunquam ſanaretur. Non enim ſatis eloquor, quid erga me habebat animi: & quantum majore ſolicitudine me parturiebat ſpiritu, quam carne pepererat. Non itaque video, quomodo ſanaretur, ſi mea talis illa mors, tranſverberaſſet viſcera dilectionis ejus. Et ubi eſſent tantæ preces, & tam crebræ ſine intermiſſione? Nuſquam, niſi ad te. An vero tu Deus miſericordiarum, *ſperneres* *cor contritum*, *& humiliatum* viduæ caſtæ ac ſobriæ, frequentantis eleemoſynas, obſequentis atque ſervientis ſanctis tuis, nullum diem prætermittentis oblationem ad altare tuum: bis in die, mane, veſpere, ad eccleſiam tuam ſine ulla intermiſſione venientis, non ad vanas fabulas & aniles loquacitates, ſed ut te audiret in tuis ſer-

Pſ. 10. 19.

ſermonibus, & tu illam in ſuis orationibus?

3. Hujus ne tu lacrymas, quibus non a te aurum & argentum petebat, nec aliquod mutabile aut volubile bonum, ſed ſalutem animæ filii ſui (Tu, cujus munere talis erat) contemneres, & repelleres ab auxilio tuo? Nequaquam Domine. Imo vero aderas, & exaudiebas, & faciebas ordine, quo prædeſtinaveras eſſe faciendum. Abſit, ut tu falleres eam in illis viſionibus & reſponſis tuis, quæ jam commemoravi, & quæ non commemoravi, quæ illa fideli pectore tenebat: & ſemper orans, (*d*) tanquam chirographa tua ingerebat tibi. Dignaris enim, quoniam in ſeculum miſericordia tua, eis, quibus omnia debita dimittis, etiam promiſſionibus tuis debitor fieri.

NOTÆ.

(a) *In cruce Phantaſmatis*) Non enim credebant Manichæi, Chriſtum vere natum & paſſum in vera carne, ſed ſimulatam ſpeciem carnis ludificandis humanis ſenſibus præbuiſſe: ubi non mortem, verum etiam reſurrectionem ſimiliter mentitetur, cujus erroris cauſam infra ponit S. D. qui recte ait ſe non potuiſſe ſolvi a peccatis, per ſimulatùm redemptorem; nec veram in eo fiduciam collocare, quem credebat per phantaſmata nobis illuſiſſe. *Cap.* 10.

(b) *In veritate ordinis tui*) Præordinantis juſtos ad glorìam, & injuſtos ad æternam pœnam.

(c) *Neque enim deſiderabam*) Venerat in profundum peccatorum Auguſtinus, & contemnebat periturus ſalutis ſuæ remedium, quod puerulus non ſpreverat, Baptiſmi tum *l.* 1. *c.* 11

ar-

ardens effiagitator, multo nunc culpabilior, quod sciret veritatem apud Manichæos non reperiri.

(d) *Nullum diem prætermittentis oblationem ad altare tuum*) Puto intelligi Oblationes, quas ad Agapen sive convivia pauperum afferre solebat ex more Africano, de quo infra. Id colligo ex prioribus verbis, *quod frequentaret Eleemosynas, obsequeretur & serviret sanctis*. Sumit tamen S. D. oblationem sæpe pro sacrificio Missæ, cui quotidie interfuisse matrem, significat.

l. 6. c. 2.

(e) *Tanquam Chirographa tua*) Ut per Chirographum, sive manus suæ subscriptionem homo se obligat homini, ita Deus per revelationes, promissionesque suas fit debitor, ex fidelitate, cum nemini quidquam debeat ex justitia. Alludit autem S. D. ad somnium matri divinitus ostensum, de quo supra, cujus fiducia conversionem filii a Deo, quasi jure suo postulabat.

l. 3. cap. ult.

l. 3. c. 11.

U S U S.

1. Mirabilis & profunda misericordia! qua Deus Augustinum non permisit mori, cum iturus erat ad inferos, qui tot alios in gravibus peccatis ad æterna supplicia abripi permittit. Fuit hoc beneficium S. D. magnus utique stimulus ad Deum ferventer postea amandum: & esse debet cuivis, qui meminit se in peccatis mortalibus, aliquando mori potuisse. Unde merito S. Ignatius in libello exercitiorum, hoc velut ariete, in meditatione de peccatis alienis, animum impellit ad pœnitentiam: dum expendit, quot vel ob unicum mortale peccatum, sint damnati, quia Deus non expectavit eorum pœnitentiam.

2. Ecce antiquæ Ecclesiæ consuetudinem extruendi altaria & templa, eaque frequentandi quotidie sæpius.

3. Ea demum preces efficaces sunt, quæ vitæ sanctitate & bonis operibus adjuvantur; illa-

illarum vi Monica vidua casta ac sobria, salutem filio impetravit.

CAP. X.

Romæ Manichæorum consuetudine se usum, & a fide Catholica, ignorantiæ maxime substantiæ incorporeæ retardatum.

1. RECreasti ergo me ab illa ægritudine, & salvum fecisti filium ancillæ tuæ; tunc interim corpore, ut esset, cui salutem meliorem atque certiorem dares. Et jungebar etiam tunc Romæ falsis illis, atque fallentibus sanctis. (a) Non enim tantum Auditoribus eorum, quorum e numero erat etiam is, in cujus domo ægrotaveram, & convalueram: sed eis etiam, quos Electos vocant. Adhuc enim mihi videbatur non esse nos, qui peccamus, sed nescio, quam aliam in nobis peccare naturam: & delectabar superbiam meam extra culpam esse: & cum aliquid mali fecissem, non confiteri me feciſſe, ut *sanares animam meam, quoniam peccabam tibi*; sed excusare eam amabam, & accusare nescio quid aliud, quod mecum esset, & ego non essem. Verum autem totum ego eram, & adversum me impietas mea me diviserat: & id erat peccatum insanabilius, quo me peccatorem non esse arbitrabar: & execrabilis iniquitas, te Deus omnipotens, te a me ad perniciem meam, quam me a te, ad salutem malle superari. Ps. 40. 5.

2. Non-

2. Nondum ergo *posueras custodiam ori meo, & ostium continentiæ circum labia mea: ut non declinaret cor meum in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem*; & ideo adhuc combinabar cum Electis] eorum. Sed tamen jam desperans, in ea falsa doctrina me posse proficere: eaque ipsa, quibus si nihil melius reperirem, contentus esse decreveram, jam remissius negligentiusque retinebam. Etenim suborta est etiam mihi cogitatio, prudentiores ceteris fuisse illos philosophos, quos (*b*) Academicos appellant, quod de omnibus dubitandum esse censuerant, nec aliquid veri ab homine deprehendi posse decreverant. Ita enim & mihi liquido sensisse videbantur, ut vulgo habentur, etiam illorum intentionem nondum intelligenti.

Ps. 140. 3. 4.

3. Nec dissimulavi eundem hospitem meum reprimere a nimia fiducia, quam sensi eum habere de rebus fabulosis, quibus Manichæi libri pleni sunt. Amicitia tamen eorum familiarius utebar, quam ceterorum hominum, qui in illa hæresi non fuissent. Nec eam defendebam pristina animositate; sed tamen familiaritas eorum, (plures enim eos Roma occultat) pigrius me faciebat aliud quærere: præsertim desperantem in Ecclesia tua Domine cœli & terræ, creator omnium visibilium & invisibilium, posse inveniri verum, unde me illi averterant. Multumque mihi turpe videbatur, credere te figuram habere humanæ car-

carnis , &membrorum noſtrorum lineamentis corporalibus terminari . Et quoniam cum de Deo meo cogitare vellem , cogitare niſi moles corporum non noveram (neque enim videbatur mihi eſſe quicquam , quod tale non eſſet) ea maxima & prope ſola cauſa erat inevitabilis erroris mei .

4. Hinc enim & mali ſubſtantiam quandam credebam eſſe talem , & habere ſuam molem , terram & deformem ſive craſſam , quam terram dicebant : ſive tenuem atque ſubtilem , ſicuti eſt aeris corpus , quam malignam mentem per terram repentem imaginantur . Et quia Deum bonum , nullam malam naturam creaſſe , qualiſcunque pietas me credere cogebat : conſtituebam ex adverſo ſibi duas moles , utramque infinitam , ſed malam anguſtius , bonam grandius : & ex hoc initio peſtilentioſo , me cetera ſacrilegia ſequebantur . Cum enim conaretur animus meus recurrere in Catholicam fidem , repercutiebar : quia (*c*) non erat Catholica fides , quam eſſe arbitrabar . Et magis pius mihi videbar , ſi te Deus meus , cui confitentur ex me miſerationes tuæ , vel ex ceteris partibus infinitum crederem (quamvis ex una qua tibi moles mali opponebatur , cogerer finitum fateri) quam ſi ex omnibus partibus , in corporis humani forma , te opinarer finiri .

5. Et melius mihi videbar credere nullum malum te creaſſe (quod mihi neſcienti non ſolum aliqua ſubſtantia , ſed

et-

etiam corporea videbatur: quia & mentem cogitare non noveram, nisi eam subtile corpus esse, (quod tamen per loci spatia diffunderetur) quam credere abs te esse, qualem putabam naturam mali. (*d*) Ipsum quoque salvatorem nostrum unigenitum tuum, tanquam de massa lucidissima molis tuæ, porrectum ad nostram salutem ita putabam: ut aliud de illo non crederem, nisi quod possem vanitate imaginari. Talem itaque naturam nasci non posse de Maria virgine arbitrabar, nisi carni concerneretur. Concerni autem, & non inquinari non videbam, quod mihi tale figurabam. Metuebam itaque credere in carne natum, ne credere cogerer ex carne inquinatum. Nunc spirituales tui, blande & amanter ridebunt me, si has confessiones meas legerint. Sed tamen talis eram.

NOTÆ.

(a) *Non enim tantum auditoribus eorum*) Serviebat nimirum electis, cibos eis afferendo eosque audiendo: in electorum tamen ordinem nunquam venit, ut ipse testatur. *De util. cred. c. 1.*

(b) *Academicos*) Sectatores ii Arcesilæ fuerunt, qui rationem disputandi ad Socratis modum moremque reducere tentavit, nihil ut affirmaret ipse, vel se scire diceret, quæ vero ab aliis dicerentur, ea refutaret, teste Ludovico Vives. Contra hos Augustinus jam Catholicus, nondum tamen baptizatus, tres libros scripsit. *L. 8. de civ. c. 12.*

(c) *Non erat Catholica fides*) Falso enim una cum Manichæis imponebat Catholicis, quod docerent Deum humani corporis figura terminari, & alia absurda, quæ Catholica fides detestatur.

(*d*) *Ipsum*

(d) *Ipſum quoque Salvatorem noſtrum*) Ideo putabat Chriſti carnem veram non fuiſſe, quia credebat eum eſſe puriſſimam partem divinæ ſubſtantiæ, quam non deceret coinquinari concretione carnis, cujus autorem faciebant Manichæi principem tenebrarum, ut ſupra dictum. *l. 3. c. 10.*

U S U S.

1. Rurſus apparet, quantus obex ſalutis ſit Superbia, ea alligabat Auguſtinum ſubſtantiæ mali, ut per eam excuſare poſſet ſcelera ſua, quod clare explicat. Nimirum ubique Deus ſuperbis reſiſtit. Alter obex caro erat, cui animo & affectu immerſus, non merebatur ad cogitanda incorporea attolli.

2. Miſeranda eſt hæreticorum cæcitas, qui in iis ipſis erroribus, quos Catholicis falſo affingunt, vere & miſere errant. Videbatur turpe Auguſtino credere cum Catholicis (quod tamen non credebant) Deum humana figura terminari: nec videbat ſtultum eſſe fateri Deum eſſe finitum, qua parte opponeretur ſubſtantiæ mali, etſi exceteris partibus eſſet infinitus; cum quidquid finitum eſt, divinæ immenſitati repugnet, & perinde impoſſibile ſit, Deum aliqua ſui parte eſſe finitum, quam omnibus.

C A P. XI.

Imbecillas ſibi viſas reſponſiones Manichæorum, ad argumenta Catholicorum ex Scripturis.

1. DEinde, quæ illi in Scripturis tuis reprehenderant, defendi poſſe non exiſtimabam: ſed aliquando ſane cupiebam, cum aliquo illorum librorum doctiſſimo, conferre ſingula, & ex-

& experiri, quid inde ſentiret. Jam enim Helpidii cujuſdam, adverſus eoſdem Manichæos coram loquentis & diſſerentis ſermones, etiam apud Carthaginem movere me cœperant: cum talia de Scripturis proferret, quibus, reſiſti non facile poſſet, & imbecilla mihi reſponſio videbatur iſtorum.

2. Quam quidem non facile palam promebant, ſed nobis ſecretius, cum dicerent Scripturas novi teſtamenti falſatas fuiſſe a neſcio quibus, qui Judæorum legem inſerere Chriſtianæ fidei voluerunt: atque ipſi incorrupta exemplaria nulla proferrent. Sed me maxime captum & offocatum, quodammodo deprimebant corporalia cogitantem moles illæ, ſub quibus anhelans in auram tuæ veritatis, liquidam & ſimplicem, reſpirare non poteram.

U S U S.

Ut Manichæi falſo, & perfide, dicebant Scripturas novi Teſtamenti falſatas fuiſſe, cum tamen ipſi exemplaria incorrupta nulla proferrent: ita ſectarii noſtri inique errores & corruptelas editioni vulgatæ Bibliorum objiciunt, præſertim poſt tam accuratam editionem, qua nullam magis incorruptam proferre poſſunt.

CAP. XII.

Rome diſcipulos fidei deſertores eſſe & mercedis defraudatores.

1. SEdulo ergo agere cœperam, propter quod veneram, ut docerem Ro-

Romæ artem Rhetoricam: & prius domi congregare aliquos, quibus & per quos innoteſcere cœperam; & ecce cognoſco alia Romæ fieri, quæ non patiebar in Africa. Nam revera illas everſiones, a perditis adoleſcentibus ibi non fieri, manifeſtatum eſt mihi. Sed ſubito, inquiunt, ne mercedem magiſtro reddant, conſpirant multi adoleſcentes, & transferunt ſe ad alium, defertores fidei: & quibus præ pecuniæ charitate, juſtitia vilis eſt. Oderat etiam iſtos cor meum, quamvis non perfecto odio. Quod enim ab eis paſſurus eram, magis oderam fortaſſe, quam eo, quod cuilibet illicita faciebant.

2. Certe tamen turpes ſunt tales, & fornicantur abs te, amando volatica ludibria temporum, & lucrum luteum, quod cum apprehenditur, manum inquinat: & amplectendo mundum fugientem, contemnendo te manentem, & revocantem, & ignoſcentem redeunti ad te meretrici animæ humanæ. Et nunc tales odi pravos & diſtortos, quamvis eos corrigendos diligam: ut pecuniæ doctrinam ipſam, quam diſcunt, præferant: ei vero te Deum veritatem & ubertatem certi boni, & pacem caſtiſſimam. Sed tunc eos magis pati nolebam malos propter me, quam fieri bonos propter te volebam.

U S U S.

1. Ubique in vitia effunditur juventus, nisi severiori disciplina coerceatur, proni enim sunt ab adolescentia, & præcipue in illa, sensus hominis ad malum. Non reperit S. D. everſiones Carrhag nenſes Romæ, in alia tamen vitia diſcipulorum incurrit. Nihil juventuti & Reipublicæ perniciosius est iis Academiis & Gymnasiis, ubi cura pietatis negligitur. Recte hæc dixeris esse seminaria flagitiosorum hominum & publicarum calamitatum, unde redeunt juvenes domum, *sine scientia, sine conscientia, sine pecunia*; indocti, impii, prodigi, ut conqueritur S. Antoninus.

3. p. sum. Theol. t. 5. c. 2. §. 11.

2. Expendant avari S. D. fulmen. Lucrum luteum, cum apprehenditur, manum inquinat non tam corporis quam animi, sive voluntatem, quæ immodico opes cumulandi studio peccat.

3. Ille perfecto odio odit peccatorem, qui dolet illum Deo esse contrarium, non sibi: & ideo illum detestatur, exemplo S. D.

CAP. XIII.

Mediolanum ad docendam Rhetoricam missus a S. Ambrosio paterne susceptus est, cujus sola facundia initio delectabatur, rerum contemptor.

1. ITaque, postea quam missum est a Mediolano Romam ad Præfectum urbis, ut illi civitati Rhetoricæ magister provideretur, impertita etiam evectione publica, ego ipse ambivi per eosdem ipsos Manichæis vanitatibus ebrios (quibus ut carerem, ibam, sed utrique nesciebamus) ut dictione proposita me probatum, Præfectus tunc Sym-

Symmachus mitteret. Et veni Mediolanum ad Ambroſium Epiſcopum, in optimis notum orbi terræ, pium cultorem tuum: cujus tunc eloquia ſtrenue miniſtrabant *adipem frumenti* tui, & lætitiam olei, & ſobriam vini ebrietatem populo tuo. Ad eum autem ducebar abs te neſciens, ut per eum ad te ſciens ducerer. Suſcepit me paterne ille homo Dei, & peregrinationem meam ſatis epiſcopaliter dilexit.

2. Et eum amare cœpi, primo quidem non tanquam doctorem veri, quod in Eccleſia tua prorſus deſperabam, ſed tanquam hominem benignum in me. Et ſtudioſe audiebam diſputantem in populo, non intentione qua debui, ſed quaſi explorans ejus facundiam, utrum conveniret famæ ſuæ: an major minorve profluueret, quam prædicabatur. Et verbis ejus ſuſpendebar intentus, rerum autem incurioſus & contemptor adſtabam, & delectabar ſuavitate ſermonis: quanquam eruditioris, minus tamen hilareſcentis atque mulcentis, quam Fauſti erat, quod attinet ad dicendi modum. Ceterum rerum ipſarum nulla comparatio. Nam ille per Manichæas fallacias aberrabat, iſte autem ſaluberrime docebat ſalutem. Sed longe eſt *a peccatoribus ſalus*, qualis ego tunc aderam: & tamen propinquabam ſenſim, & neſciebam. *a* Pſ. 118. 155.

USUS.

USUS.

1. Iterum S. D. exponit occultas Divinæ Providentiæ vias, quæ eum ſenſim non cogitantem, per eos ipſos neſcientes ad ſalutem ducebat, qui eum a ſalute ſcientes averterant.

2. Benignitas & humanitas virtutes ſunt ad errantes corrigendos, non ſolum opportunæ, verum & neceſſariæ, ut merito dixerit B. Franciſcus Borgia *homini nihil contigiſſe humanitate melius*, addo & benignitate. Sic certe cepit S. Ambroſius S. Auguſtinum, & ſalutari exemplo iis præluxit, qui in converſione hæreticorum elaborant.

3. Magna eſt verbi Dei efficacia, ad quod audiendum inducendi ſunt, quibus poſſunt modis, ii qui alienam Religionem ſectantur. Procurandi tamen ejuſmodi concionatores, qui facundia & ſuavitate polleant, ſic enim rerum licet contemptores & incurioſi, dum attendunt verbis, & ad eloquentiæ ſuavitatem cor aperiunt, gradatim res quoque ipſas, & veritatem admittunt ut ſeq. cap. de ſe teſtatur S. D.

CAP. XIV.

Ab Ambroſio perſuaſus credidit, Scripturas veteres, & Fidem Catholicam recte defendi poſſe adverſus Manichæos: quibus relictis, Academicorum more fluctuans, Catechumenus eſſe ſtatuit.

1. CUm enim non ſatagerem diſcere, quæ dicebat; ſed tantum, quemadmodum dicebat, audire (ea mihi quippe jam deſperanti ad te viam patere homini, inanis cura remanſerat) veniebant in animum meum ſimul cum verbis, quæ diligebam, res etiam, quas ne-

negligebam . Neque enim ea dirimere poteram . Et dum cor aperirem , ad excipiendum quam diſerte diceret , pariter intrabat & quam vere diceret , gradatim quidem . Nam primo etiam ipſa defendi poſſe , mihi jam cœperant videri , & fidem catholicam , pro qua nihil poſſe dici adverſus oppugnantes Manichæos putaveram , jam non impudenter aſſeri exiſtimabam : maxime audito uno atque altero , & ſæpius ænigmate ſoluto de Scripturis veteribus . Ubi cum ad *litteram* acciperem , *occidebar* ſpiritua- 2. Cor. liter . 3. 6.

2. Itaque pleriſque illorum librorum expoſitis locis , jam reprehendebam deſperationem meam ; illam dumtaxat , qua credideram legem , & prophetas deteſtantibus atque irridentibus , reſiſti omnino non poſſe . Nec tamen jam ideo mihi Catholicam viam tenendam eſſe ſentiebam , quia & ipſa poterat habere doctores aſſertoreſque ſuos , qui copioſe & non abſurde objecta refellerent . Nec ideo jam damnandum illud , tenebam , quia defenſionis partes æquabantur : ita enim Catholica non mihi victa videbatur , ut nondum etiam victrix appareret . Tunc vero fortiter intendi animum , ſi quo modo poſſem certis aliquibus documentis Manichæos convincere falſitatis . Quod ſi poſſem ſpiritualem ſubſtantiam cogitare , ſtatim machinamenta illa omnia ſolverentur , & abjicerentur ex animo meo , ſed non poteram .

3. Veruntamen , de ipſo mundi hujus

Digitized by Google

corpore, omnique natura, quam ſenſus carnis attingeret: multo probabiliora pleroſque ſenſiſſe philoſophos, magis magiſque conſiderans atque comparans judicabam. Itaque Academicorum more, ſicut exiſtimantur, dubitans de omnibus, atque inter omnia fluctuans, Manichæos quidem relinquendos eſſe decrevi, non arbitrans eo ipſo tempore dubitationis meæ, in illa ſecta mihi permanendum eſſe, cui jam nonnullos philoſophos præponebam: quibus tamen philoſophis, quod ſine nomine ſalutari Chriſti eſſent, curationem languoris animæ meæ committere omnino recuſabam. Statui ergo tamdiu eſſe catechumenus in Catholica Eccleſia, mihi a parentibus commendata: donec aliquid certi eluceret, quo curſum dirigerem.

U S U S.

1. *Secundus gradus* S. D. ad converſionem fuit, in quo S. Ambroſius illum collocavit, demonſtrando ſcripturas veteres, quas Manichæi rejiciebant, non ſecundum literam, ſed ſpiritum intelligendas: & fidem Catholicam adverſus hæreticorum objecta poſſe defendi, adeoque non eſſe victam etſi nondum victrix appareret. In hoc gradu S. D. primum errorem hæreſis Manichæorum, contra vetus teſtamentum depoſuit.

2. Sicut S.D. ex hoc gradu incidit in periculoſam deſperationem veri, & diu in mediis dubitationis fluctibus ab Academicis retentus eſt, ut ipſe teſtatur: ita multi ex ſectariis, poſtquam vident nec ſuam religionem defendi, nec noſtram refelli ſolide poſſe, non Academici, ſed Politici aut Athei evadunt, incipientes dubitare de divina providentia, vel

L. de vita beata, c. 1.

vel cenſentes quemvis in ſua religione ſalvari poſſe, quod nulla ſit, quæ ipſorum cerebro undequaque ſapiat. Hi Academicis perſimiles ſunt, & exemplo S. Auguſtini monendi. I. Ut cum illo in Eccleſia Catholica ſaltem catechumeni eſſe velint, & inſtrui petant. cum *Nicodemo* in Evangelio, & *Eunucho* in Actibus Apoſtolorum. II. Ut cum S. Auguſt. Deum pro agnitione veritatis ferventer orent: nihil enim ſibi reſtare putabat, quam ut divinam providentiam lacrymoſis & miſerabilibus vocibus, ut opem ſibi ferret, deprecaretur, atque id ſedulo ſe feciſſe, ait. III. Ut cum eodem agnita Sectariorum fraudulentia, & irrefragabilibus quibuſdam erroribus, decernant illos ſibi relinquendos, nec ipſos tempore dubitationis in illa ſecta ſibi putent permanendum: ſed quantum poſſunt ſaltem animo, ſi nondum corpore, inde ſe diſſuant. Sic illi cum S. Auguſtino facile aliquem Ambroſium invenient; & aperiet Deus pulſantibus januam veritatis, in quo *nullus ſperavit & confuſus eſt, quem neſmo invocavit & deſpexit illum.*

Joan. 3. Act. 8.

De util. cred. c. 8

Eccl. 2. & 11.

Digitized by Google

LIBER VI.

Narrat, quæ trigesimo ætatis anno Mediolani egerit, etiamnum fluctuans. Sensim vero Ambrosium Catholicæ fidei veritatem, sibi probabilem; fecisse fatetur. Multa interim de Alipio, ejusque moribus interserit: ac iuum, matrisque consilium de conjugio recenset.

CAPUT I.

Mater filium terra marique sequens, eum Mediolani nec Manichæum, nec Catholicum ingenti cum lætitia reperit.

1. SPes mea a juventute mea, ubi mihi eras, & quo recesseras? An vero non tu feceras me, & discreveras me a quadrupedibus & volatilibus cœli? Sapientiorem me feceras, & ambulabam per tenebras, & lubricum; & quærebam te foris a me, & non inveniebam Deum cordis mei; & veneram in profundum maris, & diffidebam, & desperabam de inventione veri. Iam venerat ad me mater pietate fortis, terra marique me sequens, & in periculis omnibus de te secura. Nam & per marina discrimina, ipsos nautas consolabatur: a quibus rudes abyssi viatores, cum perturbantur, consolari solent, pollicens eis perventionem cum salute, quia hoc ei tu per visum pollicitus eras.

2. Et invenit me periclitantem quidem

dem graviter, desperatione indagandæ veritatis Sed tamen ei cum indicassem, non me quidem jam esse Manichæum, sed neque Catholicum Christianum., non quasi inopinatum aliquid audierit, exilivit lætitia: cum jam secura fieret ex ea parte miseriæ meæ, in qua me tanquam mortuum, sed resuscitandum tibi flebat; & (*a*) feretro cogitationis efferebat, ut diceres filio viduæ: *Juvenis tibi dico, Surge*: & revivisceret, & inciperet loqui, & redderes illum matri suæ. Nulla ergo turbulenta exultatione trepidavit cor ejus, cum audisset ex tanta parte jam factum, quod tibi quotidie plangebat, ut fieret: veritatem me nondum adeptum, sed falsitati jam ereptum. Imo vero quia certa erat, & quod restabat te daturum, qui totum promiseras placidissime, & pectore pleno fiduciæ respondit mihi credere se in Christo, quod priusquam de hac vita emigraret, me visura esset fidelem Catholicum. *Luc.* 7. 15.

3. Et hoc quidem mihi. Tibi autem fons misericordiarum preces & lacrymas densiores, ut accelerares adjutorium tuum, & illuminares tenebras meas; & studiosius ad ecclesiam currerem, in Ambrosii ora suspendi, & *ad fontem salientis aquæ in vitam æternam*. Diligebat autem illum virum, sicut Angelum Dei, quod per illum cognoverat me interim ad illam ancipitem fluctuationem jam esse perductum: per quam transiturum me ab ægritudine ad sanita- *Jo.* 4. 14.

tem, intercurrente acriore periculo, quasi (*b*) per accessionem, quam criticam medici vocant, certa præsumebat.

NOTÆ.

Luc. 7.

(a) *Feretro cogitationis efferebat*) eleganti allegoria alludit ad filium viduæ, e Naim, sicut enim illi Christus misericordia motus filium reddidit, ita S. Monica Augustinum suum non corpore, sed animo mortuum, in feretro cogitationis suæ, Deo offerebat suscitandum & convertendum.

(b) *Per accessionem, quam criticam medici vocant*) Solent subinde morbi, antequam decedant, vehementius invalescere certis diebus: eam accessionem medici criticam dicunt.

USUS.

Recte dicit S. D. se graviter periclitatum, desperatione indagandæ veritatis, & intercurrente acriore periculo, ad sanitatem venisse: quia minus periculosum est, esse certæ sectæ addictum, quam Atheum vel Politicum. Nam Atheismus omne religionis ac pietatis fundamentum evertit, quod Deus est. Politici vero, dum quemvis in sua religione salvari posse credunt, omnium sectarum errores hoc ipso approbant. Efficax argumentum est, quo supposita divina providentia S. D. ex Dei bonitate colligit, patere nobis viam & autoritatem esse constitutam in Ecclesia & Scripturis, qua duce possimus ad veritatem pervenire; quod argumentum, tum alibi, tum infra tangit & explicat.

V. Bec. lib. 5. man. c. 1.

Cap. 16. de util. creden. di.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

Matrem cum pro more Africano epulas ad Agapen in Eccleſiam afferret, & a S. Ambroſio prohiberetur, mox acquieviſſe.

1. ITaque cum [*a*] ad memorias Sanctorum, ſicut in Africa ſolebat, pultes, & panem, & merum attuliſſet, atque ab oſtiario prohiberetur: ubi hoc Epiſcopum vetuiſſe cognovit, tam pie atque obedienter amplexa eſt, ut ipſe mirarer, quod tam facile accuſatrix potius conſuetudinis ſuæ, quam diſceptatrix illius prohibitionis effecta ſit. Non enim obſidebat ſpiritum ejus vinolentia, eamque ſtimulabat in odium veri amor vini: ſicut pleroſque mares & feminas, qui ad canticum ſobrietatis, ſicut ad potionem aquatam madidi nauſeant. Sed illa cum attuliſſet caniſtrum cum ſolemnibus epulis præguſtandis atque largiendis: plus etiam quam unum pocillum, pro ſuo palato ſatis ſobrio temperatum, (*b*) unde dignationem ſumeret, non ponebat. Et ſi multæ eſſent, quæ illo modo videbantur honorandæ memoriæ defunctorum, idem ipſum unum, quod ubique poneret, circumferebat: quod jam non ſolum aquatiſſimum, ſed etiam tepidiſſimum, cum ſuis præſentibus per ſorbitiones exiguas partiretur; quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem.

2. Itaque, ubi comperit a præclaro prædicatore atque antiſtite pietatis, præ-

ceptum esse]ista non fieri, nec ab eis qui sob rie facerent, ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, & quia illa (c) quasi parentalia, superstitioni gentilium essent simillima, abstinuit se libentissime; & pro canistro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias martyrum afferre didicerat; ut & quod posset, daret egentibus, & sic communicatio Dominici Corporis illic celebraretur, cujus passionis imitatione, immolati & coronati sunt martyres.

3. Sed tamen videtur mihi Domine Deus meus, & ita est in conspectu tuo de hac re cor meum, non facile fortasse de hac amputanda consuetudine matrem meam fuisse cessuram: si ab alio prohiberetur, quem non sicut Ambrosium diligebat, quem propter salutem meam maxime diligebat; eam vero ille, propter ejus religiosissimam conversationem, qua in bonis operibus tam fervens spiritu, frequentabat ecclesiam: ita ut sæpe erumperet, cum me videret, in ejus prædicatione, gratulans mihi, quod talem matrem haberem: nescius qualem illa me filium, qui dubitabam de illis omnibus, & inveniri posse viam vitæ, minime putabam.

NOTÆ.

(a) *Ad memorias Sanctorum, sicut in Africa solebat, &c.*) Ex consuetudine Ecclesiæ Africanæ afferebat Monica epulas in Ecclesiam, ut inde *Agapen*, sive convivium in caritat's signum daret, pauperibus maxime. Qui mos a primis Christianis, ipsisque adeo Apostolis profluxit. Celebrabantur vero tri-

pli-

plici ex causa sacra hæc convivia, nempe in Natalitiis, Funeribus & Connubiis, teste Gregor. Nazianz. Ob varios vero abusus Ambrosius hunc morem Mediolani sustulit, quod alibi quoque factum; tandem omnia convivia intra Ecclesiam verita sunt, & ex templis in privatas ædes commigrarunt. Ipse quoque S.D.eas postmodum abolendas censuit. *De vit. differ.* *Ep. 64.* *V.Spon. A.C.57 n.39.& 40.*

(b) *Unde dignationem sumeret*) Sive præguſtaret vinum quod aliis afferebat, quæ præguſtatio dignitatis erat, & velut propinationis loco.

(c) *Quasi parentalia*) Id est, *convivia in funere parentum vel propinquorum* exhiberi solita, & sic dicta, quod *hoc officii genus filii parentibus præstare* solerent, teste sancto Hieronymo. *In Jer.*

USUS.

1. Sobrietas insignis elucet S. Monicæ, quæ ex uno eodemque poculo, dignationem non tam bibebat quam sorbillabat; præsertim si in pluribus Ecclesiis Agapen celebratura erat ne videlicet, si plura pocula eaque non dilu-ta sumeret, in temperantiæ leges peccaret.

2. Probat hic mos *cultum Sanctorum in veteri Ecclesia* consuetum, etsi postea ob varios abusus epulæ ex Templis omnino proscriptæ sint. In quorum locum successerunt oblationes tum pecuniæ, tum panum, & vini, quæ a fidelibus nostra etiam ætate, sub Sacrificio Missæ ad altare offerri solent, & in usum Ministrorum Ecclesiæ cedunt. Hinc quoque manarunt *sportulæ*, quæ in Dedicationibus, funeribus, anniversariis, & natalitiis Sanctorum, pauperibus plurimis locis dividuntur.

3. Magnum Dei beneficium est parentes habere probos ac sanctos, ut merito S. Ambrosius gratulatus sit S. Augustino de tali matre. A parentibus enim educatio præcipue pendet, quæ si bona est, ingens momentum affert ad salutem. Talium enim parentum liberi innocentiam facile conservant, aut si sua alio-

rumque culpa degenerent, recordatione parentum, eorumque caſtis precibus ad frugem redeunt.

CAP. III.

Ambroſium libere ſciſcitandi copiam ſibi non feciſſe: ex eo ſe cognoviſſe, Deo Catholicos humanam figuram non tribuere.

1. NEc [a] jam ingemiſcebam orando, ut ſubvenires mihi, ſed ad quærendum intentus, & ad diſſerendum inquietus erat animus meus. Ipſumque Ambrotium, felicem quendam hominem ſecundum ſeculum opinabar quem ſic tantæ poteſtates honorarent; cœlibatus tantum ejus mihi laborioſus videbatur. Quid autem ille ſpei gereret adverſus ipſius excellentiæ tentamenta, quid luctaminis haberet, quidve ſolaminis in adverſis: & (b) occultum os ejus, quod erat in corde ejus, quam ſapida gaudia de pane tuo ruminaret, nec conjicere noveram, nec expertus eram. Nec ille ſciebat æſtus meos, nec foveam periculi mei. Non enim quærere ab eo poteram, quod volebam, ſicut volebam: ſecludentibus me ab ejus aure, atque ore, catervis negotioſorum hominum, quorum infirmitatibus ſerviebat. Cum quibus quando non erat, quod perexiguum temporis erat: aut corpus reficiebat neceſſariis ſuſtentaculis, aut lectione animum.

2. Sed cum legebat, oculi ducebantur

tur per paginas: & cor intellectum rimabatur; vox autem & lingua quiescebant. Sæpe cum adessemus (non enim vetabatur quisquam ingredi, aut ei venientem nunciari mos erat;) sic eum legentem vidimus tacite, & aliter nunquam. Sedentesque in diuturno silentio (quis enim tam intento esse oneri auderet?) discedebamus, & conjectabamus eum parvo illo tempore, quod reparandæ menti suæ nanciscebatur, feriatum ab strepitu causarum alienarum, nolle in aliud avocari: & cavere fortasse, ne auditore suspenso, & intento, si qua obscurius posuisset ille, quem legeret, etiam exponere necesse esset: aut de aliquibus difficilioribus disceptare quæstionibus, atque huic operi temporibus impensis, minus quam vellet voluminum evolveret: quanquam & causa servandæ vocis, quæ illi facillime obtundebatur, poterat esse justior tacite legendi. Quolibet tamen animo id ageret, bono utique ille vir agebat.

3. Sed certe mihi nulla dabatur copia sciscitandi, quæ cupiebam, de tam sancto oraculo tuo, pectore illius, nisi cum aliquid breviter esset audiendum. Æstus autem illi mei, ocioſum eum valde, cui refunderentur, requirebant, nec unquam inveniebant. Et eum quidem in populo, verbum veritatis recte tractantem, omni die dominico audiebam: & magis magisque mihi confirmabatur, omnes versutarum calumniarum nodos, quos illi deceptores nostri adversus divinos libros innectebant, posse dissolvi.

4. Ubi vero etiam comperi, ad imaginem tuam hominem a te factum, a ſpiritualibus filiis tuis, quos (*c*) de matre Catholica per gratiam regenerati, non ſic intelligi: ut humani corporis forma te terminatum crederent atque cogitarent; quanquam quomodo ſe haberet ſpiritualis ſubſtantia, ne quidem tenuiter atque in ænigmate ſuſpicabar: tamen gaudens erubui, non me tot annos adverſus Catholicam fidem, ſed contra carnalium cogitationum figmenta latraſſe. Eo quippe temerarius & impius fueram, quod ea, quæ debebam quærendo diſcere, accuſando dixeram. Tu enim altiſſime & proxime, ſecretiſſime & præſentiſſime, cui membra non ſunt alia majora, & alia minora: ſed ubique totus es, & (*d*) nuſquam locorum es, non es utique forma iſta corporea, tamen feciſti hominem ad imaginem tuam, & ecce ipſe a capite uſque ad pedes in loco eſt!

NOTÆ.

(a) *Nec jam ingemiſcebam orando*) Apparet S. D. Academicis fluctibus abreptum, ſubinde orationis ſtudium, de quo ſupra, *deſperatione inveniendæ veritatis* depoſuiſſe: accedente præſertim deſiderio gloriæ humanæ, quæ cogitationes illius a ſalutis cura avertebat. Non aſſentior tamen Baronio, qui aſſerit S. D. *inter Academicos ſedulo profeſſum*, ad quos eum ſe contuliſſe, Spondanus itidem putat. Nam etſi more Academicorum fluctuaret, & cum illis ſentiret: ſectam tamen illorum profeſſus non eſt, nam & illi ſine *nomine ſalutari Chriſti* erant, *ſine quo philoſophis cura-*

l.5.c.14. *A. C.* 384. *l.5.c.14.*

rationem languoris animæ ſuæ committere omnino recuſabat, ut aperte ſcribit, additque *ſtatuiſſe ſe tamdiu eſſe catechumenum in Catholica Eccleſia, ſibi a parentibus commendata, donec aliquid certi eluceret, quo curſum dirigeret*. Non ergo ſtatuit eſſe Academicus, etſi magni illos faceret, & illorum more dubitaret de omnibus.

(b) *Occultum os ejus &c.*) Meditatio nempe, in qua cæleſtia ſolatia, de pane verbi divini manducabat.

(c) *De matre Catholica*) Intelligit Eccleſiam Catholicam, quam ſine addito *Catholicam* ſæpius appellat, & alibi docet, hoc nomine toto orbe nullam hæreticorum Eccleſiam intelligi, ſed ſolum eam, quæ vere Catholica eſt. *Contra ep. Fund. c. 4.*

(d) *Nuſquam locorum es*) Ita ut loco includaris, & non ſis extra illum; hoc enim repugnat immenſitati. Quam ob cauſam merito S. D. non credebat Deum humana figura terminari, quia homo a capite uſque ad pedes loco circumſcribitur, etſi male crederet Catholicos hoc docere.

U S U S.

1. Sicut perperam Auguſtinus de S. Ambroſii terrena felicitate, quam ipſe nec quærebat, nec habebat, judicavit, ob externum ſplendorem, & Epiſcopalis Officii dignitatem: ita multi etiamnum viros Eccleſiaſticos & Religioſos, quorum virtus & eruditio a ſummis & infimis colitur, immerito condemnant vanitatis, & politicæ arrogantiæ. Qui ſi viderent illos *intus nihil ſpei caducæ gerere; & adverſus ipſius excellentia tentamenta luctari, per continuam ſui abnegationem: nec aliud ſolatium in adverſis præter Dei voluntatem quærere, & ſolida gaudia in oratione guſtare: inde æque omnem vigorem ſuum trahere*, ceſſarent de illis male ſentire, & pede ſuo eos metiri.

2. Ma-

2. Maximi momenti eſt ad converſionem ab hæreſi, ſectariorum injurias cognoſcere, dum mentiuntur Catholicos docere, quæ abominantur. Id ſane in Manichæis clare deprehendit Auguſtinus, a quibus perſuaſus eſt, Catholicos ſentire hominem *ſecundum corpus creatum ad imaginem Dei*, quod & abſurdum, & falſum eſt.

CAP. IV.

Etſi S. Ambroſius oſtenderet, Catholicos non docere, quæ putabat: ſe tamen ne falſa crederet, ea quæ credenda ſunt, ſibi demonſtrari voluiſſe.

1. CUm ergo neſcirem, quo modo hæc ſubſiſteret imago tua, pulſanſque proponerem, quomodo credendum eſſet, non inſultans opponerem, quaſi ita creditum eſſet: tanto igitur acrior cura rodebat intima mea, quid certi retinerem, quanto me magis pudebat, tamdiu illuſum & deceptum promiſſione certorum, puerili errore & animoſitate, tam multa incerta quaſi certa garriſſe. Quod enim falſa eſſent, poſtea mihi claruit. Certum tamen erat, quod incerta eſſent, & a me aliquando pro certis habita fuiſſent, cum Catholicam tuam cæcis contentionibus accuſarem, & ſi nondum compertam vera docentem, non tamen ea docentem, quæ graviter accuſabam. Itaque confundebar, & convertebar, & gaudebam Deus meus, quod Eccleſia unica, corpus unici tui, in qua mihi nomen Chri-

Chriſti infanti eſt inditum, non ſaperet infantiles nugas: neque hoc haberet in doctrina ſua ſana, quod te creatorem omnium in ſpacium loci, quamvis ſummum & amplum, tamen undique terminatum membrorum humanorum figura, contruderet.

4. Et gaudebam etiam, quod vetera ſcripta legis & prophetarum, jam non illo oculo mihi legenda proponerentur, quo antea videbantur abſurda, cum arguebam tanquam ita ſentientes ſanctos tuos; verum autem non ita ſentiebant. Et (tanquam regulam diligentiſſime commendaret) ſæpe in popularibus ſermonibus ſuis, dicentem Ambroſium lætus audiebam: *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat*, cum ea, quæ ad literam, perverſitatem docere videbantur, remoto myſtico velamento ſpiritualiter aperiret, non dicens quod me offenderet: quamvis ea diceret, quæ utrum vera eſſent, adhuc ignorarem. Tenebam enim cor meum ab omni aſſenſione, timens præcipitium, & ſuſpendio magis necabar. 2. Cor. 3. 6.

5. Volebam enim eorum, quæ non viderem, ita me certum fieri, ut certus eſſem, quod ſeptem & tria decem ſint. Neque enim tam inſanus eram, ut ne hoc quidem putarem poſſe comprehendi; ſed ſicut hoc, ita cetera cupiebam: ſive corporalia, quæ coram ſenſibus meis non adeſſent: ſive ſpiritualia, de quibus cogitare niſi corporaliter neſciebam. Et ſanari credendo poteram, ut purgatior acies mentis meæ dirigeretur ali-

CAP. V.

Recte juberi apud Catholicos, ut credantur, quæ demonſtrari nequeunt: Scripturas vero a Dei providentia ſubminiſtratas, ex earum autoritate concludit.

1. EX hoc tamen quoque jam præponens doctrinam catholicam, modeſtius ibi, minimeque fallaciter ſentiebam juberi, ut crederetur, quod non demonſtrabatur; ſive eſſet quid, (*a*) ſed cui forte non eſſet, ſive nec quid eſſet, quam illic temeraria pollicitatione ſcientiæ credulitatem irrideri: & poſtea tam multa fabuloſiſſima & abſurdiſſima, quia demonſtrari non poterant, credenda imperari. Deinde paulatim tu Domine, manu mitiſſima & miſericordiſſima pertractans & componens cor meum, conſideranti quam innumerabilia crederem, quæ non viderem, neque eum gererentur, affuiſſem (ſicut tam multa in hiſtoria gentium, tam multa de locis atque urbibus, quæ non videram, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus aliis atque aliis) quæ niſi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus. Poſtremo, quam inconcuſſa fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus eſſem; quod ſcire non poſſem, niſi audiendo credidiſſem.

2. Perſuaſiſti mihi, non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus fere gentibus autoritate fundaſti, ſed qui non cre-

crederent esse culpandos, nec audiendos esse, si qui forte mihi dicerent : Unde scis illos libros, unius veri & veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos? Idipsum enim maxime credendum erat, quoniam nulla pugnacitas calumniosarum quæstionum, per tam multa quæ legeram, inter se confligentium philosophorum, extorquere mihi potuit, ut aliquando non crederem te esse, quicquid esses, quod ego nescirem, aut administrationem rerum humanarum ad te pertinere. Sed id credebam aliquando robustius, aliquando exilius, semper tamen credidi, & esse te, & curam nostri gerere : etiamsi ignorabam, vel quid sentiendum esset de substantia tua, vel quæ via duceret, aut reduceret ad te.

3. Ideoque cum essemus infirmi ad inveniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset autoritate sanctarum literarum, jam credere cœperam, nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi scripturæ per omnes jam terras autoritatem : nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses. Jam enim absurditatem, quæ me in illis literis solebat offendere, cum multa ex eis probabiliter exposita audissem, ad sacramentorum altitudinem referebam : eoque mihi illa venerabilior, & sacrosancta fide dignior apparebat autoritas, quo & omnibus ad legendum esset in promptu, & (*b*) secreti sui dignitatem in intellectu profundiore servaret, verbis apertissimis

Digitized by Google

mis & humillimo genere loquendi ſe cunctis præbens, & exercens intentionem eorum, qui non ſunt leves corde: (c) ut exciperet omnes populari ſinu, & per anguſta foramina paucos ad te trajiceret: multo tamen plures, quam ſi nec tanto apice autoritatis emineret, nec turbas gremio ſanctæ humilitatis hauriret. Cogitabam hæc, & aderas mihi: ſuſpirabam, & exaudiebas me: fluctuabam, & gubernabas me: ibam per viam ſeculi latam, nec deſerebas me.

NOTÆ.

(a) *Sed cui forte non eſſet*) Senſus obſcurus, verum nulla lectio variat. Forte ſubintelligi debet, *commodo* ſive bono, ut ſenſus ſit: *Credendum eſſe etiam id, quod non demonſtratur, ſive eſſet quid, id eſt, ens aliquod, ſed cui bono eſſet intelligi non poſſet; ſive nec quidid eſt nihil eſſet, rectius nihilominus Catholicis credi quam Manichæis*, quia minus abſurdum eſt, credere illis, qui jubent credere, quam illos ſequi, qui aliorum credulitatem irrident: & ſibi abſurdas fabulas, quas demonſtrare non poſſunt, credi volunt. Alius fortaſſe ſic explicabit: *Sentiebam Catholicos recte jubere, ut in Scripturis ſacris, & doctrina Fidei crederetur, quod non demonſtrabatur: ſive eſſet quid, quod revera demonſtrari quidem poſſet, ſed forte non eſſet ſatis capax & intelligens, cui poſſet: ſive nec quid eſſet, id eſt ſive non eſſet quippiam hujuſmodi, quod poſſet demonſtrari, nempe propter ſublimitatem intellectu humano ſuperiorem.*

(b) *Secreti ſui dignitatem*) Scripturæ obſcuritatem tangit, qua Deus Superbiam noſtram retundere voluit. *V. l. 2. de doctrin. Chr.*

(c) *Exciperet omnes populari ſinu*) Verborum ſimplicium, ſine fuco elegantiarum; *& per anguſta foramina figurarum* paucos humi-

humiliter ſapientes ad te cognoſcendum *trajiceret*, ſive perduceret.

U S U 5.

1. In myſteriis fidei demonſtrationes quærere hæreticorum eſt, qui ſua abſurda abſque ratione ſibi credi volunt, ut hic & alibi affirmat S. D. aſſerens ſe ob id maxime motum ad deſerendos Manichæos, a quibus vana demonſtrationum pollicitatione novem fere annis deluſus erat. Corrigenda eſt hæc incredulitas. I. Exemplis plurimarum rerum, quas credimus nec viſas, nec demonſtratas, non tanta autoritate inducti, quanta eſt Eccleſiæ Catholicæ. II. Quia ut alibi ait: *Dandum eſt Deum aliquid poſſe quod fateamur nos inveſtigare non poſſe, in talibus enim rebus tota ratio facti, eſt ipſa potentia facientis.* III. Quia tot ſignis & argumentis fidei Catholicæ veritas confirmatur, *ut nolle ei primas dare, vel ſumma profecto impietatis ſit vel præcipitii arrogantiæ*, & poſſimus uſurpare illud Rich. de S. Victore: *Domine, ſi error eſt quod credimus, a te decepti ſumus: iſta enim in nobis iis ſignis & prodigiis confirmata ſunt, quæ non niſi a te fieri potuerunt.*

C. 1. de utilit. cred.

Epiſt. 3.

L. 1. de Trin. 6.

2. Sicut S. D. optime colligit Deum nullo modo fuiſſe tributurum tam excellentem Scripturæ per omnes terras autoritatem, *niſi & per ipſam credi, & per ipſam ſe quæri voluiſſet*, ita nec Eccleſiam Catholicam tot ſignis ac argumentis veræ fidei illuſtraſſet, niſi ea vera eſſet. Unde Scripturæ expoſitionem ab eo merito petendam eſſe, concludit, & egregie alibi ait: *Cur non igitur diligentiſſime apud eos* (Catholicos) *requiram, quid Chriſtus præceperit, quorum autoritate commotus, Chriſtum aliquid utile præcepiſſe jam credidi? Tunc melius mihi expoſiturus es, quid ille dixerit, quem fuiſſe aut eſſe non putarem, ſi abs te hoc mihi commendaretur eſſe credendum*, & non in Scripturis ab Eccleſia Catholica traditis contineretur?

de util. cred. c. 14.

CAP.

CAP. VI.

Laudes Imperatori recitaturus: viſo mendico ſaturo jocante, ambitionis æruminas omnis lætitiæ ſteriles deploravit.

1. INhiabam honoribus, lucris, conjugio, & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amariſſimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus ſinebas mihi dulceſcere, quod non eras tu. Vide cor meum Domine, qui voluiſti, ut hoc recordarer, & confiteter tibi. Nunc tibi inhæreat anima mea, quam de viſco tam tenaci mortis exuiſti. Quam miſera erat, & ſenſum vulneris tu pungebas: ut relictis omnibus converteretur ad te, qui es ſuper omnia, & ſine quo nulla eſſent omnia: converteretur & ſanaretur! Quam ergo miſer eram! & quomodo egiſti, ut ſentirem miſeriam meam die illo, quo (*a*) cum pararem recitare Imperatori laudes, quibus plura mentirer, & mentienti faveretur ab ſcientibus: eaſque curas anhelaret cor meum & cogitationum tabificarum febribus æſtuaret: tranſiens per quendam vicum Mediolanenſem, animadverti pauperem mendicum, jam credo ſaturum, jocantem atque lætantem: & ingemui, & locutus ſum cum amicis, qui mecum erant, multos dolores inſaniarum noſtrarum: qui omnibus talibus conatibus noſtris (qualibus tunc laborabam, ſub ſtimulis cupiditatum

tum trahens infelicitatis meæ ſarcinam, & trahendo exaggerans) nihil vellemus aliud, niſi ad ſecuram lætitiam pervenire, quo nos mendicus ille jam præceſſiſſet, nunquam illuc fortaſſe venturos. Quod enim jam ille pauculis, & emendicatis nummulis adeptus erat, ad hoc ego tam ærumnoſis anfractibus & circuitibus ambiebam, ad lætitiam ſcilicet temporalis felicitatis.

2. Non enim verum gaudium habebat, ſed & ego illis ambitionibus multo falſius quærebam. Et certe ille lætabatur, ego anxius eram: ſecurus ille, ego trepidus. Et ſi quiſquam percunctaretur me, utrum mallem exultare an metuere? reſponderem exultare. Rurſus, ſi interrogaret, utrum me talem mallem, qualis ille, an qualis ego tunc eſſem? meipſum curis timoribuſque confectum eligerem, ſed perverſitate, nunquid veritate? Neque enim eo me præponere illi debebam, quo doctior eram: quoniam non inde gaudebam, ſed placere inde quærebam hominibus, non ut eos docerem, ſed tantum ut placerem. Propterea & tu baculo diſciplinæ tuæ confringebas oſſa mea.

3. Recedant ergo ab anima mea, qui dicunt ei: Intereſt, unde quis gaudeat. Gaudebat mendicus ille vinolentia, tu gaudere cupiebas gloria. Qua gloria Domine? Quæ non eſt in te. Nam ſicut verum gaudium illud non erat, ita nec illa vera gloria: & amplius evertebat mentem meam. Et ille ipſa nocte digeſturus erat ebrietatem ſuam: ego autem

cum

cum mea dormieram & ſurrexeram, & dormiturus & ſurrecturus eram. Vide quot diebus! Intereſt vero, unde quis gaudeat. Scio; & gaudium ſpei fidelis incomparabiliter diſtat ab illa vanitate; ſed & tunc diſtabat inter nos. Nimirum quippe ille fœlicior erat, non tantum quod hilaritate perfundebatur, cum ego curis eviſcerarer: verum etiam, quod ille bene optando acquiſiverat vinum, ego autem mentiendo quærebam typhum. Dixi tunc multa in hac ſententia caris meis, & ſæpe advertebam in his quomodo mihi eſſet: & inveniebam male mihi eſſe, & dolebam, & conduplicabam ipſum male. Et ſi quid arriſiſſet proſperum, tædebat apprehendere: quia pene, priuſquam teneretur, avolabat.

NOTÆ.

(a) *Cum pararem recitare Imperatori laudes*) ſive Panegyricum *Kalendis Januariis, cum Bauto Mediolani, Arcadius vero Imperator Conſtantinopoli conſulatum inirent*, ut S.D. alibi teſtatur. Ea oratione laudes in primis ipſius Imperatoris, tum Bautonis complexus eſt, quod contigit teſte Baronio A.C. 385. *l. 3. adverſus literas Petil. c. 25.*

USUS.

1. Signum eſt futuræ converſionis, in voluptatibus & vanitatibus conſcientiæ ſtimulis agitari, & experiri, quam *amarum ſit relinquere Dominum Deum, ac foœre ſibi ci ſternas diſſipatas in creaturis*. Hoc ſentit S. D. qui vero tranquille in bonis hujus vitæ degunt, cum Auguſtino peccant, non vero cum illo convertuntur. *Jerem. 2, 19. 13.*

2. Omne gaudium de creaturis vanum eſt & miſerum, imo tanto miſerius, quanto hominum judicio majus eſt, quod hoc cap. egregie declarat S. D. Ubi oſtendit ſe vanæ ambi-

ambitionis nauſeam concepiſſe, tum ob inordinati affectus acerbitatem, tum *quia eſſi quid arriſiſſet proſperum, pene priuſquam teneretur, avolabat*, quæ ſane cauſa generoſo animo ſufficit ad contemptum rerum humanarum.

CAP. VII.

Quomodo non cogitans, Alipium mordaci irriſione a Circenſium inſania revocarit, & Manichæorum ſuperſtitione involverit.

1. COngemiſcebamus in his, qui ſimul amice vivebamus; & maxime ac familiariſſime cum Alipio, & Nebridio, iſta colloquebar; quorum Alipius ex eodem erat quo ego, ortus municipio, parentibus primatibus municipalibus, meminor natu. Nam & ſtuduerat apud me, cumin noſtro docere cœpi oppido, & poſtea Carthagine. Et diligebat me multum, quod ei bonus & doctus vîderer: & ego illum propter magnam virtutis indolem, quæ in non magna ætate, ſatis eminebat. Gurges tamen morum Carthaginenſium, quibus nugatoria fervent ſpectacula, abſorbuerat eum (*a*) inſania Circenſium. Sed cum in eo miſerabiliter volveretur, ego autem Rhetoricam ibi profeſſus, publica ſchola uterer, nondum me audiebat ut magiſtrum, propter quandam ſimultatem, quæ inter me & patrem ejus erat exorta. Et compereram, quod Circum exitiabiliter amaret: & graviter angebar, quod tantam ſpem perditurus, vel etiam per-

perdidiſſe mihi videbatur . Sed monendi eum, & aliqua coercitione revocandi nulla erat copia , vel amicitiæ benevolentia, vel jure magiſterii . Putabam enim eum de me, cum patre ſentire : ille vero non ſic erat . Itaque poſtpoſita in hac re patris voluntate, ſalutare me cœperat, veniens in auditorium meum, & audire aliquid atque abire. Sic enim de memoria mihi lapſum erat agere cum illo , ne vanorum ludorum cæco & præcipiti ſtudio , tam bonum interimeret ingenium.

2. Verum autem Domine , tu qui præſides gubernaculis omnium , quæ creaſti , non eum oblitus eras futurum inter filios tuos, (*b*) antiſtitem ſacramenti tui. Et ut aperte tibi tribueretur ejus correctio , per me quidem illam , ſed neſcientem , operatus es : Nam quodam die cum ſederem loco ſolito , & coram me adeſſent diſcipuli , venit, ſalutavit, ſedit : atque in ea , quæ agebantur, animum intendit . Et forte lectio in manibus erat , quam dum exponerem, opportune mihi videbatur adhibenda ſimilitudo Circenſium : quo illud, quod inſinuabam, & jucundius & planius fieret , cum irriſione mordaci eorum , quos illa captivaſſet inſania . Tu ſcis Deus noſter , quod tunc de Alipio ab illa peſte ſanando non cogitaverim . At ille in ſe rapuit, meque illud non niſi propter ſe dixiſſe credidit . Et quod alius acciperet ad ſuccenſendum mihi, accepit honeſtus adoleſcens ad ſuccenſendum ſibi , & ad

me ardentius diligendum . Dixeras enim tu jam olim , & innexueras literis tuis : *Corripe ſapientem , & amabit te* .

Prov. 9. 8

3. At ego illum jam non corripueram . Sed uteris tu omnibus & ſcientibus , & neſcientibus , ordine quo noſti , & ille ordo juſtus eſt . De corde & lingua mea carbones ardentes operatus es , quibus mentem ſpei bonæ adureres tabeſcentem , ac ſanares . Taceat laudes tuas , qui miſerationes tuas non conſiderat , quæ tibi de medullis meis confitentur . Etenim ille poſt illa verba , proripuit ſe ex fovea tam alta , qua libenter demergebatur , & cum miſerabili voluptate cæcabatur : & excuſſit animum forti temperantia , & reſiluerunt omnes Circenſium ſordes ab eo , ampliuſque illuc non acceſſit . Deinde patrem reluctantem evicit , ut me magiſtro uteretur . Ceſſit ille , atque conceſſit . Et audire me rurſus incipiens , illa mecum ſuperſtitione involutus eſt : amans in Manichæis oſtentationem continentiæ , quam veram & germanam putabat . (*c*) Erat autem illa vecors & ſeductoria , precioſas animas captans , nondum virtutis altitudinem ſcientes tangere , & ſuperficie decipi faciles , ſed tamen adumbratæ ſimulatæque virtutis .

NOTÆ.

(a) *Inſania Circenſium*) Hos ludos Romæ primus fecit Romulus quarto menſe ab urbe condita , quo die Sabinas rapuit . Locus Circus appellabatur , inde nomen Circenſium ; pugnabant in iis equi & pugiles . Ex Urbe

in

in provincias hi ludi migrarunt. Eos ſpectandi inſano amore captus fuit Alipius adoleſcens, Carthagine Auguſtini familiaris, & in Rhetorica auditor.

(b) *Antiſtitem Sacramenti tui*) Creatus eſt enim poſtea Alipius Epiſcopus Tagaſtenſis, & patriæ ſuæ paſtor A. C. 394. ut cenſet Bar. & colligi poteſt ex ep. 8. S. Auguſt. quam hoc anno ad S. Hieronymum dedit. Per Sacramentum intelligit myſteria fidei Catholicæ, quæ explicare & prædicare proprium eſt Epiſcoporum.

(c) *Erat autem illa vecors & ſeductoria*) Fallacem & ſimulatam Manichæorum, etiam eorum, qui Electos ſe nominant, probitatem, alibi egregie depingit. *Novem annos tectos*, inquit, *magna cura & diligentia eos audivi, nullus mihi Electorum innoteſcere potuit, qui ſecundum hæc præcepta* (prius enumerata) *non aut deprehenſus in peccato, aut certe ſuſpicioni ſubditus fuerit. Multi in vino & carnibus* (quas Electis contingere nefas erat) *multi lavantes in balneis inventi ſunt*, &c. Larvata nimirum hæreticorum non ſolum eſt doctrina, verum & vita. *Lib. de moribus Manichæ. c. 19.*

U S U S.

1. Quam multi adoleſcentes ſtudio vanorum ludorum bonum ingenium interimunt, nec tamen Auguſtinos inſtar Alipii audiunt, utinam diſcerent ab ipſo bene monentibus obtemperare.

2. Expende divinæ providentiæ erga electos ſuos Sapientiam, quæ utitur omnibus & ſcientibus, & neſcientibus, ad eorum profectum & emendationem, ordine mirabili & juſto. Ita Auguſtinus veluti joco ſanavit minorem Alipii inſaniam, quem tamen in majorem poſtea conjecit, dum illum Manichæorum ſuperſtitione involvit.

Digitized by Google

CAP. VIII.

Eundem Alipium Romæ, cum familiari violentia ad Amphitheatrum pertractus esset, repente insano ludorum gladiatoriorum amore fuisse correptum.

1. NOn sane relinquens incantatam sibi a parentibus (*a*) terrenam viam, Romam præcesserat, ut jus disceret; & ibi (*b*) gladiatorii spectaculi hiatu incredibili, & incredibiliter abreptus est. Cum enim aversaretur & detestaretur talia, quidam ejus amici & condiscipuli, cum forte de prandio redeuntibus obvius esset: recusantem vehementer & resistentem, familiari violentia duxerunt in amphitheatrum crudelium & funestorom ludorum diebus, hæc dicentem: *Si corpus meum in eum locum trahitis & ibi constituitur: numquid & animum, & oculos meos, in illa spectacula potestis intendere? Adero itaque absens, ac sic & vos, & illa superabo.* Quibus auditis, illi nihilo segnius eum adduxerunt secum, idipsum forte explorare cupientes, utrum posset efficere. Quo ubi ventum est, & sedibus, quibus potuerunt, locati sunt, fervebant omnia immanissimis voluptatibus.

2. Ille autem clausis foribus oculorum, interdixit animo, ne in tanta mala procederet, atque utinam & aures obturavisset! Nam quodam pugnæ casu,

ſu, cum clamor ingens totius populi vehementer eum pulſaſſet, curioſitate victus, & quaſi paratus quicquid illud eſſet, etiam viſum contemnere & vincere, aperuit oculos: & percuſſus eſt graviore vulnere in anima, quam ille in corpore, quem cernere concupivit: ceciditque miſerabilius, quam ille, quo cadente, factus eſt clamor, qui per ejus aures intravit, & reſeravit ejus lumina, ut eſſet, qua feriretur & dejiceretur: audax adhuc potius, quam fortis animus, & eo infirmior, quo de ſe præſumpſerat, qui debuit de te. Ut enim vidit illum ſanguinem, immanitatem ſimul ebibit, & non ſe avertit: ſed fixit aſpectum, & hauriebat furias, & neſciebat: & delectabatur ſcelere certaminis, & cruenta voluptate inebriabatur. Et non erat jam ille, qui venerat, ſed unus de turba, ad quam venerat, & verus eorum ſocius, a quibus adductus erat. Quid plura? Spectavit, clamavit, exarſit, abſtulit inde ſecum infaniam, qua ſtimularetur redire: non tantum cum illis, a quibus prius abſtractus eſt, ſed etiam præ illis, & alios trahens. Et inde tamen manu validiſſima & miſericordiſſima eruiſti eum Tu! & docuiſti eum non ſui habere, ſed tui fiduciam: ſed longe poſtea.

NOTÆ.

(a) *Terrenam viam*) Honoris & vanitatis, quam parentes filio ſuo vaniores, a puero *incantaverant* & perſuaſerant, ut non cæleſtia, ſed terrena ſaperet, more etiam hodie plurimis parentum ſolenni.

(b) *Gladiatorii ſpectaculi*) Immanis era horûm ſpectaculorum crudelitas; nam in iis ſe Gladiatores mutuo jugulabant, in id educati & ſaginati: ut adeo tales ludos dare & ſpectare ſcelus eſſet, quos denique Theodoricus Gothorum Rex ſuſtulit. Ab iis ſpectandis Chriſtianos vehementer abhorrere debebant.

V. Ter. in ll. l. de Spectaculis c. de munere.

USUS.

1. Inſigne documentum præbet Alipius, quam neceſſe ſit adoleſcenti probo, reſiſtere improbis ſociorum poſtulatis. Nec ſponte, nec ſolus ludos gladiatorios acceſſiſſet Alipius. Certe multi, poſtquam cauponam aliaque loca noxia, in ſociorum gratiam adeunt, *non redeunt tales inde, quales venerant, ſed veri eorum ſocii a quibus adducti erant*, &c.

V. l. 2. c. 8. & 9.

2. Doctus a Deo Alipius, docet Adoleſcentes non ſui, ſed Dei habere fiduciam, nec ſe periculis temere exponere. Vana eſt illa vox, & falſa: *Adero turpibus verbis, aut rebus abſens: ac ſic & vos, & illa ſuperabo*; audacis potius, quam fortis animi eſt iſta præſumptio: Spectavit miſer Alipius; elamavit, exarſit, abſtulit ſecum inſaniam, qui memor eſſe debuit infirmitatis ſuæ, quam Carthagine in ludis Circenſibus expertus erat.

CAP. IX.

Ut idem Alipius Carthagine pro fure comprehenſus ſit, & tandem furti ſuſpicione liberatus.

1. VEruntamen, jam hoc ad medicinam futuram, in ejus memoria reponebatur. Nam & illud, quod (cum adhuc ſtuderet, jam me audiens apud Carthaginem, & medio die cogita-

Digitized by Google

taret in foro, quod recitaturus erat, ſicuti exerceri ſcholaſtici ſolent) ſiniſti eum comprehendi (*a*) ab ædituis fori, tanquam furem: non arbitror aliam ob cauſam te permiſiſſe Deus noſter, niſi ut ille vir tantus futurus, jam incipe-ret diſcere, quam non facile in cogno ſcendis cauſis, homo ab homine damnandus eſſet temeraria credulitate. Quippe ante tribunal deambulabat ſolus [*b*] cum tabulis ac ſtylo; cum ecce adoleſcens quidam ex numero ſcholaſticorum fur verus, ſecurim clanculo apportans, illo non ſentiente, ingreſſus eſt ad cancellos plumbeos, qui vico argentario deſuper præminent, & præcidere plumbum cœpit. Sono autem ſecuris audito, ſubmurmuraverunt argentarii, qui ſubter erant: & miſerunt, qui apprehenderent, quem forte inveniſſent. Quorum vocibus auditis, relicto inſtrumento ille diſceſſit, timens ne cum eo teneretur.

2. Alipius autem, qui non viderat intrantem, exeuntem ſenſit, & celeriter vidit abeuntem. Et cauſam ſcire cupiens, ingreſſus eſt locum, & inventam ſecurim ſtans atque admirans conſiderabat. Cum ecce illi, qui miſſi erant, reperiunt eum ſolum ferentem ferrum, cujus ſonitu excitati venerant. Tenent, attrahunt, congregatis inquilinis fori, tanquam furem manifeſtum ſe comprehendiſſe gratulabantur; & inde offerendus judici ducebatur. Sed hactenus docendus fuit. Statim enim Domine ſubveniſti innocentiæ, cujus

teſtis eras tu ſolus. Cum enim duceretur, vel ad cuſtodiam, vel ad ſupplicium: fit eis obviam quidam architectus, cujus maxima erat cura publicarum fabricarum. Gaudent illi eum potiſſimum occurriſſe, cui ſolebant in ſuſpicionem venire ablatarum rerum, quæ periſſent de foro: ut quaſi tandem jam ille cognoſceret, a quibus hæc fierent.

3. Verum autem viderat homo ſæpe Alipium in domo cujuſdam Senatoris, ad quem ſalutandum ventitabat. Statimque cognitum, manu apprehenſa ſemovit a turbis, & tanti mali cauſam quærens, quid geſtum eſſet, audivit. Omneſque tumultuantes, qui aderant, & minaciter frementes, juſſit venire ſecum. Et venerunt ad domum illius adoleſcentis, qui rem commiſerat. Puer vero erat ante oſtium: & tam parvus erat, ut nihil exinde Domino ſuo metuens, facile poſſet totum indicare. Cum eo quippe in foro fuit pediſſequus. Quem poſtea quam recoluit Alipius, architecto intimavit. At ille ſecurim demonſtravit puero, quærens ab eo, cujus eſſet? Qui confeſtim noſtra, inquit. Deinde interrogatus, aperuit cætera. Sic in illam domum translata cauſa, confuſiſque turbis, quæ de illo triumphare jam cœperant, futurus diſpenſator verbi tui, & multarum in Eccleſia tua cauſarum examinator, experientior inſtructiorque diſceſſit.

NO-

NOTÆ.

(a) *Ab ædituis fori*) Ædituus paſſim ſumitur pro *cuſtode ſacræ ædis*, ipſa tamen vocis derivatio, convenit cuſtodibus quarumvis ædium etiam profanarum; ſic *ædituentes*, apud Gellium dicuntur, qui ædes & loca tuentur. Quo ſenſu ædituos hic accipi crediderim pro cuſtodibus ædificiorum fori, ſive forte Ædilibus. *L. 12. c. 10.*

(b) *Cum tabulis & ſtylo*) Utebantur ea ætate etiamnum tabellis cera inductis, iiſque ſtylo æreo, vel ex altero metalio, in. ſcribebant. Sic Alipius orationem in ſcholis recitandam ſcriptitabat, vel emendabat.

USUS.

1. Uſum ipſe S. D. exprimit, ut nempe Alipius diſceret, & nos ſuo exemplo doceret, quam non facile in cognoſcendis cauſis homo ad homine damnandus ſit, temeraria credulitate judicii, ſive publici, ſive privati.

2. Salubre eſt infortunia & afflictiones experiri, *qui enim non eſt tentatus, quid ſcit?* hinc aliis remedium & conſilium ferre diſcimus, ac commiſerationis affectum indulmus: ſine quo nemo recte imperat, vel judicat. *Eccl. 34. 4.*

CAP. X.

Alipium juſtitiæ amantiſſimum fuiſſe, & una tum Nebridio Mediolanum veniſſe, ut ſecum pariter veritati indagandæ vacarent.

1. HUnc (*a*) ergo Romæ inveneram, & adhæſit mihi fortiſſimo vinculo, mecumque Mediolanum profectus eſt, ut nec me deſereret, & de jure, quod didicerat, aliquid ageret,

Digitized by Google

ſecundum votum parentum magis, quam ſuum. Et inter hæc (*b*) jam aſſederat mirabili continentia ceteris, cum ille magis miraretur eos, qui aurum innocentiæ præponerent. Tentata eſt quoque ejus indoles, non ſolum illecebra cupiditatis, ſed etiam ſtimulo timoris. Romæ aſſidebat (*c*) Comiti largitionum Italicarum.

2. Erat eo tempore quidam potentiſſimus ſenator, cujus & beneficiis obſtricti multi, & terrori ſubditi erant. Voluit ſibi licere neſcio quid ex more potentiæ ſuæ, quod eſſet per leges illicitum. Reſtitit Alipius; promiſſum eſt præmium, irriſit animo; prætentæ minæ calcavit: mirantibus omnibus inuſitatam animam, quæ hominem tantum, & innumerabilibus præſtandi nocendique modis ingenti fama celebratum, vel amicum non optaret, vel non formidaret inimicum. Ipſe autem Judex, cui conſiliarius erat, quamvis & ipſe fieri nollet, non tamen aperte recuſabat: ſed in iſtum cauſam transferens, ab eo ſe non permitti aſſerebat; quia revera, ſi ipſe faceret, iſte diſcederet. Hoc ſolo autem pene jam illectus erat ſtudio literario, ut pretiis prætorianis codices ſibi conficiendos curaret. Sed conſulta juſtitia, deliberationem in melius vertit: utiliorem judicans æquitatem, qua prohibebatur, quam poteſtatem, qua ſinebatur. Parvum eſt hoc; *Sed qui in parvo fidelis eſt, & in magno fidelis eſt*. Nec ullo modo erit inane, quod de tuæ veritatis

Luc. 16. 10. 11. 12.

ore

ore proceſſit : *Si in injuſto mammona fideles non fuiſtis, quod verum eſt, quis eredet vobis? Et ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit vobis?* Talis ille tunc inhærebat mihi, mecumque nutabat in conſilio, quiſnam eſſet tenendus vitæ modus.

3. Nebridius etiam (qui relicta patria vicina Carthagini, atque ipſa Carthagine, ubi frequentiſſimus erat : relicto rure paterno optimo, relicta domo, & non ſequtura matre, nullam ob aliam cauſam Mediolanum venerat, niſi ut mecum viveret, in flagrantiſſimo ſtudio veritatis atque ſapientiæ) pariter ſuſpirabat, pariterque fluctuabat : beatæ vitæ inquiſitor ardens, & quæſtionum difficillimarum ſcrutator acerrimus. Et erant ora trium egentium, & inopiam ſuam ſibimet invicem anhelantium, & a te expectantium, *ut dares eis eſcam in tempore opportuno*. Et in omni amaritudine, quæ noſtros ſeculares actus de miſericordia tua ſequebatur, intuentibus nobis finem, cur ea pateremur, occurrebant tenebræ. Et averſabamur gementes, & dicebamus : quamdiu hæc? Et hoc crebro dicebamus : & dicentes, non relinquebamus ea ; quia non elucebat certum aliquid, quod illis relictis apprehende remus. *Pſ.* 144. 15.

N O T Æ.

(a) *Hunc ergo Romæ inveneram*) Tandem redit ad ſeriem vitæ Mediolani actæ, in conſuetudine Alipii & Nebridii. Quæ enim cap. 7. 8. 9. & initio hujus narrat : ea Alipio partim Carthagine, partim Romæ evenerunt.

(b) *Jam assederat*) Id est, *assessorem*, sive *consiliarium* egerat. Est in jure titulus *de officio assessorum*, ex quo apparet illos fuisse consiliarios judicum, eorumque, qui provinciis præerant. *Constat autem officium assessoris*, ut ibi habetur, *in cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistolis.*

l.1.ff.t. 22.

l. 1. omne offic.

(c) *Comiti largitionum Italicarum*) Quem paulo infra, judicem appellat. Erat autem *Comes largitionum*, teste Cassiodoro *gubernator privatæ Substantiæ principis*, sive *qui thesauris sacris*, id est, *Imperatoriis & Augustalibus pecuniis præerat: vel qui liberalitatis & donorum curam gerebat*. Dictus etiam est Comes *sacrarum largitionum*, hic vero *Italicarum*, quia per Italiam hoc munus exercebat.

lib.6.in formulis.

U S U S.

1. Egregium justitiæ exemplum munerumque contemptum ostendit Alipius, quem utinam imitarentur omnes consiliarii, nec tam loculis suis, quam saluti suæ, & alienæ miseriæ consulerent! & potius principi injusta facienti vel permittenti, renunciarent obsequium, quam Deo!

2. Politica vafritie comes ille usus est; invidiam enim sententiæ contra Senatorem prolatæ, in Alipium transtulit, causans *eum a se discessurum si aliter pronuntiasset*. Sic non raro Magistratus qui homines magis quam Deum reverentur, severiores leges & bono publico necessarias, viris religiosis ac piis adscribunt, maluntque hominum invidiam, quam Dei indignationem declinare.

3. Alterum integerrimi animi specimen edidit Alipius, quod nollet *prætorianis pretiis amplius codices sibi conficiendos curare*, quia nempe metuebat ea pretia ex iniquis forte sententiis collecta, aut suspicioni vel cupiditati occasionem præbitura, ne plura æquo vel appeteret, vel acciperet librorum parandorum obten-

Digitized by Google

tentu . Expendant hoc exemplum , qui pecuniæ plus ſtudent, quam juſtitiæ .

4. Videtur Deus reſpexiſſe S Auguſtinum , ejuſque ſocios ob deſiderium Veritatis , & Sapientiæ . Quia enim tam ardenter eſuriebant & ſitiebant juſtitiam, ideo ſaturati tandem fuerunt dulcedine rerum cæleſtium , poſt amaritudinem , quæ ſequebatur actus illorum ſeculares .

CAP. XI.

Recenſet ſuum hucuſque in ſtudio Sapientiæ progreſſum , a quo vana ſpe , & concupiſcentia carnis , maxime retradabatur .

1. ET ego maxime mirabar , ſatagens & recolens , quam longum tempus eſſet ab undeviceſimo anno ætatis meæ , quo fervere cœperam ſtudio ſapientiæ : diſponens ea inventa , relinquere omnes vanarum cupiditatum ſpes inanes & inſanias mendaces . Et ecce jam (*a*) tricenariam ætatem gerebam , in eodem luto hæſitans ! aviditate fruendi præſentibus , fugientibus & diſſipantibus me , dum dico : Cras inveniam ; ecce manifeſtum apparebit , & tenebo ; & ecce Fauſtus veniet , & exponet omnia . O magni viri Academici , nihil ad agendam vitam certi comprehendi poteſt ! Imo quæramus diligentius , & non deſperemus . Ecce jam non ſunt abſurda in libris eccleſiaſticis , quæ abſurda videbantur , & poſſunt aliter atque honeſte intelligi . Figam pedes in eo gradu , in quo puer a parentibus poſitus eram , donec inveniatur perſpicua veritas .

2. Sed

2. Sed ubi quæretur? quando quæretur? Non vacat Ambroſio; non vacat legere. Ubi ipſos codices quærimus? Unde aut quando comparamus, a quibus ſumimus? Deputentur tempora; diſtribuantur horæ pro ſalute animæ. (*b*) Magna ſpes oborta eſt. Non docet catholica fides, quod putabamus, & vani accuſabamus. Nefas habent docti ejus, credere Deum figura humani corporis terminatum; & dubitamus pulſare, quo aperiantur cetera? Antemeridianas horas diſcipuli occupant; ceteris quid facimus? Cur non id agimus? Sed quando ſalutamus amicos majores, quorum ſuffragiis opus habemus? (*c*) Quando præparamus, quod emant ſcholaſtici? Quando reparamus nos ipſos, animum relaxando ab intentione curarum? Pereant omnia, & dimittamus hæc vana & inania; conferamus nos ad ſolam inquiſitionem veritatis. Vita hæc miſera eſt, mors incerta. Si ſubito obrepat: quomodo hinc exibimus? Et ubi nobis diſcenda ſunt, quæ hic neglexímus? an non potius hujus negligentiæ ſupplicia luenda ſunt? Quid ſi mors ipſa omnem curam cum ſenſu amputabit, & finietur? Ergo & hoc quærendum. Sed abſit, ut ita ſit. Non vacat, non eſt inane, quod tam eminens culmen autoritatis Chriſtianæ fidei, toto orbe diffunditur. Nunquam tanta & talia, pro nobis divinitus agerentur, ſi morte corporis etiam vita animæ conſumeretur. Quid cunctamur igitur relicta

licta ſpe ſeculi, conferre nos totos ad quærendum Deum, & vitam beatam?

3. Sed expecta, jucunda ſunt etiam iſta, habent non parvam dulcedinem ſuam. Non facile ab eis præcidenda eſt intentio, quia turpe eſt ad ea rurſum redire. Ecce jam quantum eſt, ut impetretur aliquis honor! & quid amplius in his deſiderandum? ſuppetit amicorum majorum copia, ut nihil aliud, & multum feſtinemus; vel præſidatus dari poteſt; & ducenda uxor cum aliqua pecunia, ne ſumptum noſtrum gravet: & ille erit modus cupiditatis. Multi magni viri & imitatione digniſſimi, ſapientiæ ſtudio cum conjugibus dediti fuerunt.

4. Cum hæc dicebam, & alternabant hi venti, & impellebant huc atque illuc cor meum; tranſibant tempora, & tardabam converti ad Dominum Deum; & differebam de die in diem vivere in te, & non differebam quotidie in memetipſo mori. Amans beatam vitam, timebam illam in ſede ſua, & ab ea fugiens, quærebam eam. Putabam enim me miſerum fore nimis, ſi feminæ privarer amplexibus: & medicinam miſericordiæ tuæ, ad eandem infirmitatem ſanandam, non cogitabam, quia expertus non eram. Et propriarum virium credebam eſſe continentiam, quarum mihi non eram conſcius: cum tam ſtultus eſſem, ut neſcirem, ſicut ſcriptum eſt: *Neminem eſſe poſſe continentem,* Sap. 8. 21.

vem, nisi tu dederis. Utique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida in te jactarem curam meam.

NOTÆ.

(a) *Tricenariam ætatem gerebam*) Apparet eum hoc libro complecti acta ætatis suæ anno trigesimo, uti libro priore annum undetricesimum descripserat.

(b) *Magna spes suborta est*) Reperiendæ scilicet veritatis, cui jam in secundo gradu, agnoscens veteres scripturas, proximior erat, ac inde conjecturam non vanam faciebat, se cetera quoque ad salutem necessaria, in Ecclesia Catholica reperturum, quæ ipsi Manichæorum fallacias contra veteres Scripturas detexerat.

(c) *Quando præparamus, quod emant Scholastici*) Lectiones nempe Rhetoricas, quas Augustinus vendebat discipulis: quia non dabat gratis, quod gratis acceperat, sed pro salario docebat eos, quibus placeret emere eloquentiam.

USUS.

1. S. D. argumentum validum visum fuit pro immortalitate animæ, *eminens culmen Christianæ fidei toto orbe diffusæ*. Et sane demonstrant animo non obstinato, tot ac tanta, quæ in Ecclesia Catholica, & pro illa gesta sunt ac geruntur, eam a Dei providentia gubernari.

2. Augustino continentia intolerabilis erat, quia propriis eam viribus nanciscí conabatur, mox facilem experturus, si a Deo petiisset: sic multa sæpe nostris viribus impossibilia apparent, quæ oratione & fiducia in Deum facilia redduntur.

CAP.

CAP. XII.

Cælibem vitam ſibi viſam intolerabilem, Alipium vero autoritate ſua motum, in deſiderium conjugii veniſſe.

1. PRohibebat me ſane Alipius ab uxore ducenda, cauſans nullo modo nos poſſe ſecuro ocio, ſimul in amore ſapientiæ vivere, ſicut jam diu deſideraveramus, ſi id feciſſem. Erat enim ipſe in ea re etiam tunc caſtiſſimus, ita ut mirum eſſet: quia vel experientiam concubitus cœperat in ingreſſu adoleſcentiæ ſuæ, ſed non hæſerat, magiſque doluerat, & ſpreverat; & deinde jam continentiſſime vivebat. Ego autem reſiſtebam illi exemplis eorum, qui conjugati coluiſſent ſapientiam, & promeruiſſent Deum, & habuiſſent fideliter, ac dilexiſſent amicos. A quorum ego quidem granditate animi, longe aberam: & delectatus morbo carnis, & mortifera ſuavitate trahebam catenam meam, ſolvi timens: & quaſi concuſſo vulnere, repellens verba bene ſuadentis, tanquam manum ſolventis.

2. Inſuper etiam per me, ipſe quoque Alipio loquebatur ſerpens: & innectebat atque ſpargebat per linguam meam, dulces laqueos in via ejus, quibus illi honeſti & expediti pedes implicarentur. Cum enim me ille miraretur, quem non parvipenderet, ita hærere

rere viſco illius voluptatis, ut me affirmarem, quotieſcunque inde inter nos quæreremus, cœlibem vitam nullo modo poſſe degere: atque ita me defenderem, cum illum mirantem viderem, ut dicerem multum intereſſe inter illud, quod ipſe raptim & furtim expertus eſſet, quod pene jam nec meminiſſet quidem, atque ideo nulla moleſtia facile contemneret, & delectationes conſuetudinis meæ: ad quas ſi acceſſiſſet honeſtum nomen matrimonii, non eum mirari oportere, cur ego illam vitam nequirem ſpernere. Cœperat & ipſe deſiderare conjugium, nequaquam victus libidine talis voluptatis, ſed curioſitatis. Dicebat enim ſcire ſe cupere, quidnam eſſet illud, ſine quo vita mea, quæ illi ſic placebat, non mihi vita, ſed pœna videretur.

3. Stupebat enim liber ab illo vinculo animus ſervitutem meam, & ſtupendo ibat in experiendi cupidinem, venturus in ipſam experientiam: atque inde fortaſſe lapſurus in eam, quam ſtupebat ſervitutem, quoniam ſponſionem volebat facere cum morte; & *qui amat periculum, incidet in illud*. Neutrum enim noſtrum, ſi quod eſt conjugale decus, in officio regendi matrimonii, & ſuſcipiendorum liberorum ducebat, niſi tenuiter. Magna autem ex parte, atque vehementer conſuetudo ſatiandæ inſatiabilis concupiſcentiæ, me captum excruciabat, illum autem admiratio capiendum trahebat. Sic eramus, donec tu altiſſime (*a*) non deſe-

Eccl. 3. 27.

rens

rens humum noſtram, miſeratus miſeros, ſubvenires miris & occultis modis.

NOTÆ.

(a) *Non deſerens humum noſtram*) Corpus de limo & humo ſive terra factum, quod niſi divinæ gratiæ rore identidem aſpergatur, exareſcit, & exardeſcit in pravas libidines.

USUS.

Rurſus argumentum ſe offert deteſtandi periculoſam amicitiam, quæ caſtum Alipium prope præcipitaſſet in compedes uxorios. Tanto periculoſior eſt amicus improbus, quanto majoris eſt autoritatis & opinionis, ut apparet in Alipio.

CAPUT XIII.

Matrem ſibi uxorem ſolicite procuraſſe, nullum tamen de matrimonio futuro a Deo viſum ei obtigiſſe.

1. ET inſtabatur impigre, ut ducerem uxorem. Jam petebam, jam ipromittebatur, maxime matre dante operam, quo me jam conjugatum baptiſmus ſalutaris ablueret: quo me in dies gaudebat aptari, & vota ſua ac promiſſa tua, in mea fide compleri animadvertebat. Cum ſane & rogatu meo, & deſiderio ſuo, forti clamore cordis abs te deprecaretur quotidie, ut ei per viſum oſtenderes aliquid de futuro matrimonio meo, nunquam voluiſti.

2. Et videbat quædam vana & phantaſtica, quo cogebat impetus de hac re ſa-

ſatagentis humani ſpiritus : & narrabat mihi , non cum fiducia qua ſolebat , cum tu demonſtrabas ei ; ſed contemnens ea . Dicebat enim diſcernere ſe neſcio quo ſapore , quem verbis explicare non poterat , quid intereſſet inter revelantem te , & animam ſuam ſomniantem . Inſtabatur tamen , & puella petebatur , cujus ætas ferme biennio minor , quam nubilis erat . Et qnia ea placebat , expectabatur .

U S U S.

Pſ. 32. 10, 11. 1. *Diſſipat Dominus* non ſolum *conſilia principum , & cogitationes populorum* , verum & parentum ac propinquorum . *Conſilium autem illius manet in aternum* , quo Electis ſuis certa media ad ſalutem præordinavit . Qua in re S. Monica quoque , etſi animo bono , erravit , filium conjugio deſtinans , quem Deus ſublimiori ſtatui præparabat .

De probat. ſpirit. De diſting. ver. a falſ. viſion.

2. Inter alia ſigna , quibus veræ revelationes a falſis diſcernuntur , præcipuum eſt , interna inſpiratio , qua certior fit anima , utrum ex Deo ſit aliquid , an ex Diabolo . Et hic eſt ille ſapor , quem S. Monica explicare non poterat , ut obſervat Gerſon , qui plura indicia affert , & alibi revelationes ad ſimilitudinem monetæ aureæ quinque indiciis dijudicandas cenſet . I. *Pondere* , II. *Flexibilitate* , III. *Durabilitate* , IV. *Conſiguratione* . V. *Colore* . *Pondus revelationi dat humilitas* , *diſcretio flexibilitatem* , *patientia durabilitatem* , *veritas configurationem* , *caritas colorem* , qui viſioni Monicæ de matrimonio filii ſane defuit , nam humanum & carnalem Spiritum ſapiebat .

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIV.

Statuiſſe ſe cum quibuſdam amicis in communi vivere, verum id conſilium conjugalis vitæ cauſa, diſſipatum.

1. ET multi amici agitaveramus animo, & colloquentes ac deteſtantes turbulentas humanæ vitæ moleſtias, pene jam firmaveramus remoti a turbis otioſe vivere: id otium ſic moliti, ut ſi quid habere poſſemus, conferremus in medium, unamque rem familiarem conflaremus ex omnibus; ut per amicitiæ ſyncéritatem, non eſſet aliud hujus, & aliud illius; ſed quod ex cunctis fieret unum, & univerſum ſingulorum eſſet, & omnia omnium: cum videremur nobis eſſe poſſe decem ferme homines in eadem ſocietate, eſſentque inter nos prædivites, (a) Romanianus maxime communiceps noſter, quem tunc graves æſtus negociorum ſuorum ad comitatum attraxerant, ab ineunte ætate mihi familiariſſimus. Qui maxime inſtabat huic rei, & magnam in ſuadendo habebat autoritatem; quod ampla res ejus multum ceteris anteibat.

2. Et placuerat nobis, ut bini annui, tanquam magiſtratus, omnia neceſſaria curarent, ceteris quietis. Sed poſteaquam cœpit cogitari, utrum hoc mulierculæ ſinerent, quas & alii noſtrum jam habebant, & nos habere volebamus: totum illud placitum, quod bene formabamus, diſſiluit in manibus,

bus, atque confractum, & abjectum eſt. Inde ad ſuſpiria, & gemitus, & greſſus ad ſequendas latas & tritas vias ſeculi, quoniam multæ cogitationes
Pſ. 32. 11. erant in corde noſtro, *conſilium autem tuum manet in æternum*. Ex quo conſilio deridebas noſtra, & tua præparabas: nobis daturus eſcam in opportunitate, & aperturus manum tuam, at
Pſ. 144. 16. que *impleturus* animas noſtras *benedictione*.

NOTÆ.

(a) *Romanianus communiceps noſter*) Ad quem ſcripſit libros tres *Contra Academicos*, item lib. *de vera religione*. Ejus egregias dotes commemorat initio lib. 1. & 2. *contra Academicos*, ubi ad veram Sapientiam ſectandam eum ardenter cohortatur, & ſtudiorum ſuorum Mecænatem prædicat.
L. 2. c. 2. *Tu me adoleſcentulum*, ait, *pauperem, ad peregrina ſtudia pergentem, & domo, & ſumptu, & quod plus eſt, animo excepiſti*, &c.

USUS.

Multum conducit ad veræ Sapientiæ ſtudium rei familiaris & uxoriæ abdicatio. Expertus eſt hoc S. D. cum ſuis, cum quibus in vitam communem conſpiraſſet, niſi Feminæ interceſſiſſent. Vere dixit
1. Cor. 7. 33. S. Paulus, *qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori* (quomodo procuret rem familiarem) *& diviſus eſt*.

CAP.

CAP. XV.

Loco concubinæ diſcedentis, ex qua filium ſuſceperat, aliam urgente libidine ſe procuraſſe.

1. INterea peccata mea multiplicabantur: & avulſa a latere meo, tanquam impedimento conjugii, cum qua cubare ſolitus eram, cor ubi adhærebat, conciſum & vulneratum mihi erat, & trahebat ſanguinem. Et illa in Africam redierat, vovens tibi alium ſe virum neſcituram, relicto apud me (*a*) naturali ex illa filio meo. At ego infelix, nec feminæ imitator, dilationis impatiens, tanquam poſt biennium accepturus eam, quam petebam; quia non amator conjugii, ſed libidinis ſervus eram, procuravi aliam, non utique conjugem, qua tanquam ſuſtentaretur & perduceretur, vel integer vel auctior morbus animæ meæ, ſatellitio perdurantis conſuetudinis in regnum uxorium. Nec ſanabatur vulnus illud meum, quod prioris præciſione factum fuerat, ſed poſt fervorem doloremque acerrimum putreſcebat, & quaſi frigidius, ſed deſperatius dolebat.

NOTÆ.

(a) *Naturali ex illa filio meo*) Cui Adeodatus nomen erat: de quo infra. *L.9.c.6*

USUS.

Digitized by Google

U S U S.

1. Concubina Auguſtini vovit Deo, ſe alium virum neſcituram, unde colligere potes, viguiſſe in antiqua Eccleſia conſuetudinem vovendi continentiam & caſtitatem, ut pluribus explicat S. D. in illud Davidis, *Vovete & reddite, Domino Deo veſtro omnes &c.* Pſ. 75. 12.

Alius, inquit, *vovet Deo caſtitatem conjugalem, ut prater uxorem non noverit aliam. Alii etiam vovent, etſi experti tale conjugium, ultra nihil tale pati, nihil tale concupiſcere, aut ſuſtinere; & ipſi voverunt aliquid majus quam illi. Alii virginitatem ipſam ab ineunte ætate vovent, ut nihil tale experiantur, quale illi experti ſunt, & reliquerunt; & iſti voverunt plurimum. Alii vovent domum ſuam eſſe hoſpitalem omnibus ſanctis advenientibus; magnum votum vovent. Alius relinquere omnia ſua diſtribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in Societatem Sanctorum; magnum votum vovit*, &c. Ita S. D. illuſtri veteris Eccleſiæ teſtimonio refellit Sectariorum audaciam, qui vota damnarunt, quia violarunt: plerique ex monaſteriorum Apoſtatis prognati.

2. Mira Dei longanimitas, in electorum converſione exſpectanda. Diſceſſit concubina prior ab Auguſtino, nec tamen ille diſceſſit ab animo peccandi: alteram quæſivit conſuetudine libidinis urgente, nec prioris pœnitentiam imitatus eſt. Sed non omnibus hanc Deus exhibet patientiam, in Auguſtino miſericors, in aliis ſeverus, nemini injurius.

CAP.

CAP. XVI.

Solo metu mortis & judicii, se aliquatenus coercitum in voluptatibus carnalibus: alioqui Epicuro palmam daturum & voluptati, quæ extra Deum vera non est.

1. TIbi laus, tibi gloria, fons misericordiarum. Ego fiebam miserior, & tu propinquior. Aderat jam jamque dextera tua, ereptura me de cœno, & ablutura, & ignorabam. Nec me revocabat a profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis & futuri judicii tui, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen recessit de pectore meo. Et disputabam cum amicis meis Alipio & Nebridio, de finibus bonorum & malorum, (*a*) Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit.

2. Et quærebam, si essemus immortales, & in perpetua corporis voluptate, sine ullo amissionis terrore viveremus, cur non essemus beati, aut quid aliud quæreremus? Nesciens idipsum ad magnam miseriam pertinere, quod ita demersus & cæcus, cogitare non possem lumen honestatis, & gratis amplectendæ pulcritudinis, quam non videt oculus carnis, & videtur ex intimo. Nec considerabam miser, ex qua vena mihi manaret, quod ista ipsa, fœ-

da tamen, cum amicis dulciter conferebam : nec esse sine amicis poteram beatus, etiam secundum sententiam, quam tunc habebam in quantalibet affluentia carnalium voluptatum. Quos utique amicos gratis diligebam, vicissimque ab eis me diligi gratis sentiebam.

3. O tortuosas vias ! Væ animæ audaci, quæ speravit, si a te recessisset, se aliquid melius habituram : Versa & reversa, in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia. Et tu solus requies. Et ecce ades ; & liberas a miserabilibus erroribus, & constituis nos in via tua, & consolaris, & dicis: Currite, ego feram, & ego perducam, & ibi ego feram.

N O T Æ.

Vtrad. de Epicureis & Stoicis to. 6.

(a) *Epicurum*) Est hic Philosophus passim infamis, ob suam de beatitudine sententiam, quam, ut communis opinio fert, in voluptate carnis constituit, ut sæpe alibi asserit S. D. quamvis non nemo censeat illum intellexisse voluptatem animi omni dolore vacantis. Sed damnatur communi omnium sensu, ita ut & Poeta quoque appellet, *Epicuri de grege porcum*, voluptatis Sectatorem.

U S U S.

1. *Memorare novissima tua ; & in æternum non peccabis*, aut certe minus peccabis, si memoria sit minus seria, qualis fuit in Augustino Manichæo. Credidisse vero Manichæos supplicia improborum post mortem testis est S. D. asserens illos docere *suisse tiam mali finito isto sæculo, post conflagrationem mundi in globo quodam, tanquam carcere sempiterno esse victuram. Cui globo affirmabant accessurum semper & adhæsurum*, quasi

Eccl. 7. 36.

Hæresi 46. ad Quodvult.

quaſi coopertorium atque tectorium ex animabus, natura quidem binis, ſed tamen, quæ non potuerant a contagione mali purgari.

2. Recte deplorat ſtultitiam ſuam, quod putaverit beatitudinem in voluptate carnis poſſe conſiſtere, cum ea ipſa ſine amicorum ſolatiis ei jucunda non eſſet, major ergo delectatio eſt amicitiæ, quam libidinis. Certe belluini animi eſt, lutum pro beatitudine amplecti. *V. Leſſ. l. 1. de ſum. bono c. 4.*

3. Hæc eſt concluſio, quam omnes carnis voluptates pervagatus fecit Auguſtinus, *Verſa & reverſa in tergum & in latera, & in ventrem, & dura ſunt omnia, & tu* (Domine) *ſolus requies*, beatus qui hoc agnoſcit, nec alibi quieſcit.

Digitized by Google

LIBER VII.

Explicat animi ſui æſtum laborantis in mali inveſtigatione. Quomodo item nullam ſubſtantiam malam eſſe deprehenderit; & in Platonicorum libris agnitionem quidem incorporeæ veritatis & verbi divini: non autem ejus exinanitionem & humilitatem repererit.

CAPUT I.

Deum incorruptibilem, inviolabilem, & incommutabilem eſſe agnovit, non tamen incorporeum: quia quod corpus non eſſet, nihil eſſe putabat.

1. IAm mortua erat adoleſcentia mea mala & nefanda, & ibam in juventutem: quanto ætate major, tanto vanitate turpior, qui cogitare aliquid ſubſtantiæ ſi, niſi tale non poteram, quale per hos oculos videri ſolet. Non te cogitabam Deus in figura corporis humani; ex quo audire aliquid de ſapientia cœpi, ſemper hoc fugi: & gaudebam me hoc reperiſſe, in fide ſpiritualis matris noſtræ catholicæ tuæ: Sed quid te aliud cogitarem, non occurrebat. Et conabar cogitare te homo, & talis homo, ſummum, & ſolum, & verum Deum: & te incorruptibilem, & inviolabilem, & incommutabilem, totis medullis credebam. Quia neſciens unde & quomodo: pla-

plane tamen videbam, & certus eram, id quod corrumpi poteſt, deterius eſſe, quam id quod non poteſt: & quod violari non poteſt, incunctanter præponebam violabili: & quod nullam patitur mutationem, melius eſſe, quam id quod mutari poteſt, clamabat violenter cor meum, adverſus omnia phantaſmata mea.

2. Et hoc uno ictu, conabar abigere circumvolantem turbam immunditiæ, ab acie mentis meæ: & vix dimota in ictu oculi, ecce conglobata rurſus aderat, & irruebat in aſpectum meum, & obnubilabat eum: ut quamvis non forma humani corporis, corporeum tamen aliquid cogitare cogeret, per ſpacia locorum, ſive infuſum mundo, ſive etiam extra mundum per infinita diffuſum: etiam ipſum incorruptibile, & inviolabile, & incommutabile, quod corruptibili, & violabili, & commutabili præponebam. Quoniam quicquid privabam ſpaciis talibus, nihil mihi eſſe videbatur. Sed prorſus nihil, ne inane quidem; tanquam ſi corpus auferatur loco, & maneat locus omni corpore vacuatus, & terreno, & humido, & aereo, & cœleſti: ſed tamen ſit locus inanis, tanquam ſpacioſum nihil.

3. Ego itaque incraſſatus corde nec mihimetipſi vel ipſe conſpicuus, quicquid non per aliquanta ſpacia tenderetur, vel diffunderetur, vel conglobaretur, vel tumeret, vel tale aliquid caperet, aut capere poſſet, nihil prorſus eſſe arbitrabar. Per quales enim formas

ſre ſolent oculi mei, per tales imagines ibat cor meum: nec videbam hanc eandem intentionem, qua illas ipſas imagines formabam, non eſſe tale aliquid: quæ tamen ipſas non formaret, niſi eſſet magnum aliquid. Ita etiam te vita vitæ meæ grandem per infinita ſpacia, undique cogitabam penetrare totam mundi molem; & extra eam quaquaverſum, per immenſa ſine termino: ut haberet te terra, haberet cœlum, haberent omnia; & illa finirentur in te, tu autem nuſquam.

4. Sicut autem luci ſolis non obſiſteret corpus aeris hujus, qui ſupra terram eſt, quo minus per eum trajiceretur, penetrans eum, non dirumpendo aut concidendo, ſed implendo eum totum: ſic tibi putabam non ſolum cæli, & aeris, & maris, ſed etiam terræ corpus pervium: & ex omnibus maximis minimiſque partibus penetrabile, ad capiendam præſentiam tuam: occulta inſpiratione intrinſecus, & extrinſecus adminiſtrantem omnia, quæ creaſti. Ita ſuſpicabar, quia cogitare aliud non poteram, nam falſum erat. Illo enim modo major pars terræ majorem tui partem haberet, & minorem minor: atque ita te plena eſſent omnia, ut amplius ~~tui~~ caperet elephanti corpus, quam paſſeris, quo eſſet iſto grandius, grandioremque occuparet locum: atque ita fruſtatim partibus mundi, magnis magnas, brevibus breves partes tuas præſentes faceres. Non es autem ita. Sed nondum illuminaveras tenebras meas.

USUS.

USUS.

Ipſo naturæ lumine S. D. agnovit immutabile & incorruptibile melius eſſe eo, quod eſt mutabile & corruptibile, ſicque *Tertium gradum* ad veram fidem fecit, illum Manichæorum errorem deponens, quo fateri cogebantur *Dei ſubſtantiam eſſe mutabilem, quia ſubſtantia mali permixta, errare vel invita cogeretur.*

CAP. II.

Proponit Nebridii dilemma, quo ſubſtantiam mali bono Deo contrariam, evidenter refellebat.

1. SAt erat mihi Domine, adverſus deceptos illos, & deceptores, & loquaces mutos (quoniam non ex eis ſonabat verbum tuum) ſat erat ergo illud, quod jamdiu ab uſque Carthagine (*a*) a Nebridio proponi ſolebat: & omnes, qui audieramus, concuſſi ſumus. Quid erat tibi factura neſcio quæ gens tenebrarum, quam ex adverſa mole ſolent opponere, ſi tu cum ea pugnare noluiſſes? Si enim reſponderetur, aliquid fuiſſe nocituram, violabilis tu & corruptibilis fores. Si autem nihil ea nocere potuiſſe diceretur, nulla afferretur cauſa pugnandi, & ita pugnandi, ut quædam portio tua & membrum tuum, vel proles de ipſa ſubſtantia tua miſceretur adverſis poteſtatibus, & non a te creatis naturis: atque intantum ab eis corrumperetur & commutaretur in deterius, ut a beatitudine in miſeriam

verteretur ; & indigeret auxilio , quo erui purgarique poſſet ; & hanc eſſe animam , (*b*) cui tuus ſermo ſervienti liber , & contaminatæ purus , & corruptæ integer ſubveniret : ſed & ipſe corruptibilis , quia ex una eademque ſubſtantia .

2. Itaque , (*c*) ſi te quicquid es , id eſt , ſubſtantiam tuam , quaſi incorruptibilem dicerent , falſa eſſe illa omnia & execrabilia . Si autem corruptibilem , idipſum jam falſum , & prima voce abominandum . Sat ergo erat iſtud adverſus eos omnino evomendos a preſſura pectoris ; quia non habebant , qua exirent ſine horribili ſacrilegio cordis & linguæ , ſentiendo de te iſta , & loquendo .

N O T Æ.

(a) *A Nebridio proponi ſolebat*) Hoc nimirum dilemma , *Vel ſubſtantia mali , potuit nocere Deo , vel non : ſi prius , Deus eſt mutabilis & violabilis : ſi poſterius , non eſt cauſa , cur Deus pugnaverit cum ſubſtantia mali .*

(b) *Cui tuus ſermo*) Chriſtus , quem ex lucidiſſima ſubſtantiæ divinæ parte conflabant Manichæi .

(c) *Itaque ſi te , &c.*) Alterum Dilemma eſt , *vel incorruptibilis eſt divina ſubſtantia , vel corruptibilis : ſi prius , cadunt figmenta Manichæorum , præſertim de duplici ſubſtantia anima in eodem homine : ſi poſterius , repugnat lumen naturæ , quod dictat Deum eſſe incorruptibilem , cum ſit optimus , melius autem eſt incorruptibile corruptibili* , ut inf. c. 4. dicit .

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

Deprehendit liberum arbitrium esse causam peccati, unde autem voluntas male vellet & bene nollet, nesciebat.

1. SEd & ego adhuc, quamvis inconstaminabilem, & inconvertibilem & nulla ex parte mutabilem dicerem, firmeque sentirem Dominum nostrum Deum verum, qui fecisti non solum animas nostras, sed etiam corpora, nec tantum animas nostras & corpora, sed omnes & omnia, non tenebam explicitam & enodatam causam mali. Quæcunque tamen esset, sic eam quærendam videbam, ut non per illam constringerer, Deum incommutabilem, mutabilem credere, ne ipse fierem, quod quærebam. Itaque securus eam quærebam, & certus non esse verum, quod illi dicerent, quos toto animo fugiebam, quia videbam quærendo unde malum, repletos malitia: qua opinarentur tuam potius substantiam, etiam male pati, quam suam male facere. Et intendebam, ut cernerem, quod audiebam, liberum voluntatis arbitrium causam esse, ut male faceremus: & rectum judicium tuum, ut pateremur: & eam liquide cernere non valebam.

2. Itaque aciem mentis de profundo educere conatus, mergebar iterum, & sæpe conatus, mergebar iterum atque iterum (a) Sublevabat enim me in

lucem tuam, quod jam tam ſciebam me habere voluntatem, quam me vivere. Itaque, cum aliquid vellem aut nollem, non aliud quam me velle ac nolle certiſſimus eram: & ibi eſſe cauſam peccati mei, jam jamque animadvertebam. (*b*) Quod autem invitus facerem, pati me potius, quam facere videbam, & id non culpam ſed pœnam eſſe judicabam, qua me non injuſte plecti, te juſtum cogitans, cito fatebar.

3. Sed (*c*) rurſus dicebam: Quis fecit me? nonne Deus meus, non tantum bonus, ſed ipſum bonum? Unde igitur mihi male velle: & bene nolle: ut eſſet, cur juſte pœnas luerem? Quis in me hoc poſuit, & inſeruit mihi plantarium amaritudinis, cum totus fierem a dulciſſimo Deo meo? Si diabolus autor, unde ipſe diabolus? Quod ſi & ipſe perverſa voluntate, ex bono angelo diabolus factus eſt: unde & in ipſo voluntas mala, qua diabolus fieret, quando totus angelus a conditore optimo factus eſſet bonus? Et his cogitationibus deprimebar iterum, & ſuffocabar. Sed non uſque ad illum *infernum* ſubducebar erroris, ubi *nemo confitebitur tibi*; dum tu potius pati, quam homo male facere putatur.

NOTÆ.

(a) *Sublevabat enim*) Excluſo illo errore, *quod ſubſtantia mali in homine ſuperans ſubſtantiam boni, ſit cauſa peccati*, ipſum liberum arbitrium eſſe cauſam cur male faciamus, hoc argumento deprehendit: *Cum aliquid volo aut nolo, me velle aut nolle certiſſi-*

sissimus sum per voluntatem, quam ita scio me habere, ut vivere; sed cum pecco, aliquid nolo, aut volo: ergo meum velle aut nolle, sive voluntas mea est causa peccati mei, non aliqua in me latens substantia mali, de qua ſæpe. *Quartus* itaque *gradus* ad converſionem fuit S. D. agnoſcere: *Liberum arbitrium esse causam peccati.*

(b) *Quod autem invitus facerem*) Significat motus concupiſcentiæ, ejuſque rebellionem, eſſe pœnam peccati originalis, quos motus nos non operamur, ſed *habitans in nobis peccatum*, ſive potius *fomes peccati*, quem ſentire nec conſentire pœna eſt, non culpa. *Rom. 7. 18.*

(c) *Sed rursus dicebam, quis fecit me?*) Graviter & diu luctatus fuit cum hoc argumento: *Deus summum bonum fecit me, unde ergo potest male velle, & nolle voluntas mea, quam fecit bonus Deus?* Sed quæſivit S. D. & tandem invenit.

USUS.

Salubriter Deus S. Auguſtino initio oſtendit *Liberum arbitrium nos habere, idque causam peccati esse, & quod inviti facimus, sive quod voluntarium non est, peccatum non esse.* Ita ille principio veritatem fidei Catholicæ invenit & adverſus hæreticos ſtabilivit, qui liberum arbitrium tollunt; cauſam peccati, ſi non omnes, certe multi Deo attribuunt; motus concupiſcentiæ etſi involuntarios, peccata eſſe mentiuntur. Seque hoc ipſo non a Deo converſos cum Auguſtino ad Eccleſiæ utilitatem oſtendunt, ſed contraria plane via a Diabolo perverſos, in Eccleſiæ deſtructionem.

Digitized by Google

CAP. IV.

Deum, cum ſit ſummum bonum, neceſſario eſſe incorruptibilem, & hinc inveſtigari deberi cauſam mali, nec poſſe Deum cogi.

1. SIc enim nitebar cetera invenire, ut jam inveneram melius eſſe incorruptibile quam corruptibile: & ideo te, quicquid eſſes, eſſe incorruptibilem confitebar. (*a*) Neque enim ulla anima unquam potuit, poteritve cogitare aliquid, quod ſit te melius, qui ſummum & optimum bonum es. Cum autem veriſſime atque certiſſime incorruptibile corruptibili præponatur, ſicut jam ego præponebam, poteram jam cogitatione aliquid attingere, quod eſſet melius Deo meo, niſi tu eſſes incorruptibilis. Ubi igitur videbam incorruptibile corruptibili eſſe præferendum, ibi te quærere debebam, atque inde advertere, unde ſit malum; id eſt, unde ſit ipſa corruptio, qua violari ſubſtantia tua nullo modo poteſt.

2. Nullo (*b*) enim prorſus modo violat corruptio Deum noſtrum, nulla voluntate, nulla neceſſitate, nullo improviſo caſu. Quoniam ipſe eſt Deus, & quod ſibi vult, bonum eſt: & ipſe eſt idem bonum; corrumpi autem non eſt bonum. Nec cogeris invitus ad aliquid, quia voluntas tua non eſt major potentia tua: eſſet autem major, ſi teipſo tu ipſe major eſſes; voluntas enim

enim, & potentia Dei, Deus ipſe eſt. Et quid improviſum tibi, qui noſti omnia: & nulla natura eſt, niſi quia noſti eam? Et, ut quid multa dicimus, cur non ſit corruptibilis ſubſtantia, quæ Deus eſt, quando ſi hoc eſſet, non eſſet Deus?

NOTÆ.

(a) *Neque enim ulla anima &c.*) Omnes ut S. D. alibi dicit, *pro excellentia Dei certatim dimicant, nec quiſquam inveniri poteſt, qui non hoc credat, Deum eſſe, quo melius non eſt. Itaque hoc omnes conſentiunt Deum eſſe, quod ceteris rebus omnibus anteponunt.* Hoc ergo principium primum eſt Fidei noſtræ, imo & Spei, ac Caritatis: *Deus ſummum bonum eſt.* L. 1. de doctrin. Chriſt.

(b) *Nullo enim prorſus modo violat corruptio*) Incorruptibilis & inviolabilis, & immutabilis eſt ſolus Deus, omnis vero creatura eſt corruptibilis, aut ſaltem violabilis & mutabilis, non ergo *ex Deo, vel in Deo, ſed ex creatura, & in illa eſt corruptio, ſive malum, corrumpi enim malum eſt.* Atque hæc eſt *prima radix culpæ & pœnæ peccati*, quam hic S. D. tangit, & alibi explicat. Quia enim anima ejuſque voluntas *mutabilis* & *violabilis* eſt, ideo peccare poteſt, & pati quod non vult. Deus autem immutabilis, ideoque ejus voluntas *non deficit in malum*, & inviolabilis, ideoque *cogi non poteſt ad pœnam*: non ab alio, quia omnibus fortior: non a ſeipſo, quia non eſt potentia ejus major, quam voluntas, ut poſſit invita pati a potentia. Recte ergo S. D. ait, *ſe in eo quod incorruptibilis Deus tranſcendit omne corruptibile, debuiſſe deprehendere corruptionis, ſive mali primum fontem eſſe ipſam corruptibilitatem, & mutabilitatem creaturæ.* Quomodo vero Deus quoque ſit autor mali, dicam inf. ad c. 13.

CAP.

CAP. V.

Omnem creaturam inſtar ſpongiæ, in immenſo mari, Deo plenam eſſe, & omnia bona a ſummo bono facta agnoſcebat, anxie quærens, unde malum irrepſerit.

1. ET quærebam, unde malum, & male quærebam: & in ipſa inquiſitione mea, non videbam malum. Et conſtituebam in conſpectu ſpiritus mei univerſam creaturam, quicquid in ea cernere poſſumus, ſicuti eſt terra, & mare, & aer, & ſidera, & arbores, & animalia mortalia: & quicquid in ea non videmus, ſicut firmamentum cœli, inſuper & omnes angelos, & cuncta ſpiritualia ejus: ſed etiam ipſa quaſi corpora eſſent, locis & locis ordinavit imaginatio mea; & fecit unam maſſam grandem diſtinctam generibus corporum creaturam tuam, ſive quæ revera corpora erant, ſive quæ ipſe pro ſpiritibus finxeram. Et eam feci grandem, non quantum erat, quod ſcire non poteram, ſed quantum libuit, undique verſum ſane finitam. Te autem Domine ex parte ambientem & penetrantem eam, ſed uſquequaque infinitum. Tanquam ſi mare eſſet ubique, & undique per immenſum infinitum ſolum mare: & haberet intra ſe ſpongiam quamlibet magnam, ſed finitam tamen: plena eſſet undique ſpongia illa ex omni ſua parte, ex immenſo mari: ſic creaturam

tuam

tuam finitam, te infinito plenam putabam. Et dicebam: ecce Deus, & ecce quæ creavit Deus! & bonus eſt Deus, atque his validiſſime longiſſimeque præſtantior; ſed tamen bonus bona creavit, & ecce quomodo ambit atque implet ea?

2. Ubi (*a*) ergo malum, & unde, & qua huc irrepſit? Quæ radix ejus? & quod ſemen ejus? An omnino non eſt? Cur ergo timemus & cavemus, quod non eſt? Aut ſi inaniter timemus, certe vel timor ipſe malum eſt, quo incaſſum ſtimulatur, & excruciatur cor. Et tanto gravius malum, quanto non eſt, quod timeamus, & timemus. Idcirco aut eſt malum, quod timemus: aut hoc malum eſt, quia timemus. Unde eſt igitur? Quoniam Deus fecit hæc omnia, bonus bona. Majus quidem & ſummum bonum, minora fecit bona: ſed tamen & creans, & creata, bona ſunt omnia. Unde eſt malum? Aut unde fecit ea? Materies aliqua mala erat, & formavit atque ordinavit eam; ſed reliquit aliquid in illa, quod in bonum non converteret? Cur & hoc? an impotens erat totam vertere & commutare, ut nihil mali remaneret, cum ſit omnia potens? Poſtremo, cur inde aliquid facere voluit: ac non potius eadem omnipotentia fecit, ut nulla eſſet omnino? Aut vero exiſtere poterat, contra ejus voluntatem? Aut ſi æterna erat, cur tamdiu per infinita retro ſpacia temporum, ſic eam ſivit eſſe, ac tanto poſt placuit aliquid ex ea facere?

3. Aut

3. Aut jam ſi aliquid ſubito voluit agere, hoc potius ageret omnipotens, ut illa non eſſet: atque ipſe ſolus eſſet totum verum, & ſummum, & infinitum bonum? Aut ſi non erat bene, ut non aliquid boni etiam fabricaretur & conderet, qui bonus erat: illa ſublata & ad nihilum redacta materia, quæ mala erat, bonam ipſe inſtitueret, unde omnia crearet? Non enim eſſet omnipotens, ſi condere non poſſet aliquid boni, niſi ea, quam ipſe non condiderat, adjuvaretur materia. Talia volvebam pectore miſero, ingravidato curis mordaciſſimis de timore mortis: & non inventa veritate, ſtabiliter tamen (*b*) hærebat in corde meo, in Catholica Eccleſia fides Chriſti tui, & Domini, & Salvatoris noſtri; in multis quidem adhuc informis, & præter doctrinæ normam fluctuans: ſed tamen non eam relinquebat animus, imo in dies magis magiſque imbibebat.

NOTÆ.

(a) *Ubi ergo malum, & unde &c.*) Hærebat in ea ſalebra: Bonus eſt Deus & omnia bona ſunt, quæ fecit, unde ergo malum? Non ex materia, quia & hæc ab illo, & ſubjecta illi. Unde ergo?

(b) *Hærebat in corde meo, in Catholica Eccleſia fides Chriſti, &c.*) Jam credebat S. Auguſtinus, non alibi reperiri veram Eccleſiam, quam apud Catholicos. Agnoſcebat I. Scripturas veteres. II. Deum eſſe incorruptibilem. III. Liberum arbitrium eſſe cauſam peccati. Solum reſtabant duæ ex hæreſi Manichæorum reliquiæ. I. Nondum intelligebat Deum eſſe incorporeum. II. Quomodo malum eſſet, nec ulla tamen creatu-

ra

ra mala eſſet. Ideoque *fidem ſuam* vocat *in multis informem*, nondum ſcilicet Catholicus, ſed Catechumenus inter Catholicos.

CAP. VI.

Genethliacorum divinationes ſe rejeciſſe, quod videret ſub eadem conſtellatione Dominos, & ſervos, imo & geminos diverſiſſimæ conditionis naſci.

1. JAm etiam Mathematicorum fallaces divinationes, & impia deliramenta rejeceram. Confiteantur etiam hinc tibi de intimis viſceribus animæ meæ, miſerationes tuæ Deus meus. Tu enim, tu omnino (nam quis alius a morte omnis erroris revocat nos, niſi vita, quæ mori neſcit: ſapientia mentes indigentes illuminans nullo indigens lumine, qua mundus adminiſtratur, uſque ad arborum volatica folia?) (*a*) Tu procuraſti pervicaciæ meæ, qua obluctatus ſum Vindiciano acuto ſeni, & Nebridio adoleſcenti mirabilis animæ, illi vehementer affirmanti, huic cum dubitatione quidem aliqua, ſed tamen crebro dicenti, non eſſe ullam artem futura prævidendi: conjecturas autem hominum habere ſæpe vim ſortis, & multa dicendo, dici pleraque ventura, neſcientibus eis qui dicerent, ſed in ea non tacendo incurrentibus.

2. Procuraſti ergo tu hominem amicum, non quidem ſegnem conſultorem Mathematicorum, nec eas literas bene cal-

callentem, ſed (ut dixi) conſultorem curioſum : & tamen ſcientem aliquid, quod a patre ſuo ſe audiſſe dicebat : quod quantum valeret ad illius artis opinionem evertendam, ignorabat. Is ergo vir nomine Firminus, liberaliter inſtitutus, & excultus eloquio, cum me tanquam chariſſimum, de quibuſdam ſuis rebus, in quas ſecularis ſpes ejus intumuerat, conſuleret, quid mihi ſecundum ſuas, quas conſtellationes appellant, videretur: ego autem, qui jam de hac re in Nebridii ſententiam flecti cœperam, non quidem abnuerem conjicere ac dicere, quod nutanti occurrebat : ſed tamen ſubjicerem, prope jam mihi eſſe perſuaſum, ridicula eſſe illa & inania.

3. Tum ille mihi narravit patrem ſuum fuiſſe librorum talium curioſiſſimum, & habuiſſe amicum æque illa ſimul ſectantem, qui pari ſtudio & collatione flagrabant in eas nugas igne cordis ſui; ita ut mutorum quoque animalium ſi quæ domi parerent, obſervarent momenta naſcentium: atque ad ea poſitionem cœli notarent, unde illius quaſi artis experimenta colligerent. Itaque dicebat, audiſſe ſe a patre ſuo, quod cum eundem Firminum prægnans mater eſſet, etiam illius paterni amici famula quædam, pariter utero grandeſcebat : quod latere non potuit dominum, qui etiam canum ſuarum partus, examinatiſſima diligentia noſſe curabat. Atque ita factum eſſe, ut cum iſte conjugis,

jugis, ille autem ancillæ dies, & horas minutioresque horarum articulos, cautissima observatione numeraret, enixæ essent ambæ simul: ita ut easdem constellationes, usque ad easdem minutias, utrique nascenti facere cogerentur, iste filio, ille servulo. Nam cum mulieres parturire cœpissent, indicaverunt sibi ambo, quid in sua cujusque domo ageretur: & paraverunt, quos ad se invicem mitterent, simul ut natum quod parturiebatur esset, cuique nunciatum: quod tamen ut continuo nunciaretur, tanquam (*b*) in regno suo facile effecerant. Atque ita qui ab alterutro missi sunt, tam ex paribus Domorum intervallis sibi obviam factos esse dicebat: ut aliam positionem siderum, aliasque particulas momentorum, neuter eorum notare sineretur. Et tamen Firminus amplo apud suos loco natus, (*c*) dealbatiores vias seculi cursitabat, augebaturque divitiis, sublimabatur honoribus: servus autem ille, conditionis jugo nullatenus relaxato, dominis serviebat, ipso indicante, qui noverat eum.

4. His itaque auditis & creditis, talis quippe narraverat, omnis illa reluctatio mea resoluta concidit, & primo Firminum ipsum conatus sum ab illa curiositate revocare. Cum dicerem constellationibus ejus inspectis ut vera prænuntiarem, debuisse me utique videre ibi, parentes suos esse primarios, nobilem familiam propriæ civitatis, natales ingenuos, honestam educationem, libe-

beraleſque doctrinas. At ſi me ille ſervus ex eiſdem conſtellationibus (quia & illius ipſæ eſſent) conſuluiſſet, ut eidem quoque vera proferrem: debuiſſe me rurſum ibi videre abjectiſſimam familiam, conditionem ſervilem, & cetera longe a prioribus aliena, longeque diſtantia. Unde autem fieret, ut eadem inſpiciens diverſa dicerem, ſi vera dicerem, ſi autem eadem dicerem, falſa dicerem: inde certiſſime collegi ea, quæ vera conſideratis conſtellationibus dicerentur, non arte dici, ſed ſorte: quæ autem falſa, non artis imperitia, ſed ſortis mendacio.

5. Hinc autem accepto aditu, ipſe mecum talia ruminando, ne quis eorum delirorum (qui talem quæſtum ſequerentur, quos jam jamque invadere atque irriſos refellere cupiebam) mihi ita reſiſteret, quaſi aut Firminus mihi, aut illi pater falſa narraverit: intendi conſiderationem in eos, qui gemini naſcuntur, quorum plerique ita poſt invicem funduntur ex utero, ut parvum ipſum temporis intervallum, quantamlibet vim in rerum natura habere contendant, colligi tamen humana obſervatione non poſſit, literiſque ſignari omnino non valeat, quas Mathematicus inſpecturus eſt, ut vera pronunciet. Et non erunt vera, quia eaſdem literas inſpiciens, eadem debuit dicere de Eſau & Jacob. Sed
Gen.25. non eadem utrique acciderunt; falſa ergo diceret. Aut ſi vera diceret, non eadem diceret, at eadem inſpi-

ce-

ceret. Non ergo arte, ſed ſorte vera diceret. Tu enim Domine juſtiſſime, moderator univerſitatis, conſulentibus conſultiſque neſcientibus, occulto inſtinctu agis: ut dum quiſque conſulit, hoc audiat, quod oportet eum audire occultis meritis animarum, ex abyſſo juſti judicii tui: cui non dicat homo, quid eſt hoc? aut, ut quid hoc? non dicat, non dicat; homo eſt enim.

NOTÆ.

(a) *Tu procuraſti pervicacia me*) Dudum a Vindiciano & Nebridio admonitus de relinquendis divinationibus Genethliacis, denique a Firmino ionge aliud agente, ad illam artem penitus repudianaam impulſus eſt; & noxium errorem poſuit non ſolum hæreticis, verum & Catholicis non paucis communem. *La' c. 3.*

(b) *Tanquam in regno ſuo*) Regnum quoddam eſt familia; pater familias regis imaginem gerit; ut huic ſubditi, ita illi liberi, famuli, famulæ, uxor obediunt.

(c) *Dealbatiores vias ſeculi*) Splendidiores, honoratiores, & hominum judicio feliciores: cum ſæpe in oculis Dei melior, adeoque & felicior ſit Servus, quam Dominus.

USUS.

Valida duo argumenta indicat S. D. quæ cum ipſum expugnarint, cuivis ſapienti ſufficere debent, ad ſtultitias Aſtrologorum damnandas. I. Sub eadem conſtellatione, vel differentia ſiderum tam parva, ut notari non poſſit, naſcitur ſæpe Dominus & Servus. II. Quod validius ſtringit, eundem horoſcopum habent aliquando gemini, diverſiſſimæ poſtea futuri conditionis, ut in Jacob & Eſau apparet, ergo falſa & vana eſt ars ju-

judiciaria. Quia vel ex eadem conſtellatione deberent diverſa prædici, cum eadem ſiderum poſitura non ſignificet niſi eadem; vel prænuntiantur eadem, & ſæpe neceſſario falſa ſunt, ut exemplum Firmini, item Jacob & Eſau docet.

V. l. 4. cap. 3.

CAP. VII.

Deum incommutabilem noſtri curam gerere, & in Chriſto ac Scripturis, viam ſalutis eſſe credebat: neſciens interim, unde malum, & quid Spiritus eſſet, merito Superbiæ & duræ cervicis ſuæ.

1. JAm itaque me adjutor meus illis vinculis ſolveras; & quærebam unde malum, & non erat exitus. Sed me non ſinebas ullis fluctibus cogitationis auferri ab ea fide, qua credebam & eſſe te, & eſſe incommutabilem ſubſtantiam tuam, & eſſe de hominibus curam & judicium tuum, & in Chriſto filio tuo Domino noſtro, atque in Scripturis ſanctis, quas Eccleſiæ tuæ Catholicæ commendaret autoritas, viam te poſuiſſe ſalutis humanæ, ad eam vitam, quæ poſt hanc mortem futura eſt. (*a*) His itaque ſalvis, atque inconcuſſe roboratis in animo meo, quærebam æſtuans, unde ſit malum? Quæ illa tormenta parturientis cordis mei, qui gemitus, Deus meus! Et ibi erant aures tuæ, neſciente me. Et cum in ſilentio fortiter quærerem, magnæ voces erant ad miſericordiam tuam, tacitæ contritiones animi mei.

2. Tu ſciebas, quid patiebar, & nullus hominum. Quantum enim erat, quod

inde

inde digerebatur per linguam meam, in aures familiariſſimorum meorum. Nunquid totus tumultus animæ meæ cui nec tempora, nec os meum ſufficiebat, ſonabat eis? Totum tamen ibat in auditum tuum, quod *rugiebam a gemitu cordis mei*, & *ante te erat deſiderium meum*, & *lumen oculorum meorum non erat mecum*. (b) Intus enim erat, ego autem foris. Nec in loco illud: at ego intendebam in ea, quæ locis continentur, & non ibi inveniebam locum ad requieſcendum. Nec recipiebant me iſta, ut dicerem, ſat eſt, & bene eſt, nec dimittebant redire, ubi mihi ſatis eſſet bene. Superior enim eram iſtis, te vero inferior. Et tu gaudium verum mihi ſubdito tibi, & tu mihi ſubjeceras, quæ infra me creaſti. *Pſ.* 37. 9. 10. 11.

3. Et hoc erat rectum temperamentum, & media regio ſalutis meæ, ut manerem ad imaginem tuam, & tibi ſerviens dominarer corpori. Sed cum ſuperbe contra te ſurgerem, & *currerem adverſus dominum in cervice craſſa* ſcuti mei, etiam iſta infima ſupra me facta ſunt: & premebant, & nuſquam erat laxamentum, & reſpiramentum. Ipſa occurrebant undique acervatim & conglobatim cernenti, cogitanti imagines corporum, ipſæ opponebantur redeunti, quaſi diceretur: Quo is indigne & ſordide? Et hæc de vulnere meo creverant, quia humiliaſti tanquam vulneratum ſuperbum: & tumore meo, *Job.* 5. 26.

ſe-

ſeparabar abs te; & nimis inflata facies mea, claudebat oculos meos.

NOTÆ.

(a) *His itaque ſalvis*) Repetit ea fidei Catholicæ principia, quibus jam fidem adhibebat, & unde brevi perventurus erat ad plenitudinem veritatis. *Fides in Chriſtum*, tanquam ſalutis noſtræ viam, *quintus S. D. gradus* cenſeri poteſt. Nam etſi Manichæus quoque in eum credidiſſet, putabat tamen eum non veram carnem aſſumpſiſſe, ut ſupra dictum eſt, quem errorem ſenſim ponebat, & præſertim lectione S. Pauli corrigebat.

V. infra, c. 21.

(b) *Intus enim erat, ego autem foris*) Deus lumen animæ noſtræ intus loquitur per mentis illuſtrationes & inſpirationes, quem Auguſtinus nec videbat nec audiebat: quia per oculos & ſenſus foris vagabatur in corporibus, quod enim corporeum & quantum non eſſet, nihil ſe putaſſe ſupra faſſus eſt.

Cap. 1.

USUS.

1. Deſiderium veritatis, & rugitus cordis in oratione ante Deum, via eſt ad ipſum Inveniendum, ſalutaris eſt iſte animi tumultus & indicium ſecuturæ tranquillitatis. Sic certe Deus internis ſtimulis Auguſtinum impulit, ut inveniret veritatem, quam quærebat. De illis qui ad veritatem per orationem non aſpirant, nec ſimiles ſtimulos ſentiunt, parum ſperari poteſt; *computreſcere enim ſolent in hæreſi, ut jumenta in ſtercore ſuo.*

2. Superbia & libido animum opprimit, ne poſſit aſſurgere ad veritatem, & Dei cognitionem. Expertus hoc eſt Auguſtinus, qui ſaluberrimum principium nobis inſinuat, ut nimirum memores ſimus *Deo nos ſubditos eſſe debere, qui creaturas nobis ſubdidit.* Iſta eſt *media velut regio, in qua infra Solem & ſidera, ſupra terram & terrena ſuſpenſi, Deum ama-*

Digitized by Google

amare ac timere, inferiora contemnere debemus. Quod ſi dura cervice Deo reſiſtimus, merito carnis rebellione opprimimur.

CAPUT VIII.

Stimulis internis ſe a Deo agitatum, donec de ipſo certus eſset.

1. TU vero Domine in æternum manes, & non in æternum iraſceris nobis: quoniam miſeratus es terram & cinerem, & placuit in conſpectu tuo, reformare deformia mea. Et ſtimulis internis agitabas me, ut impatiens eſſem, donec mihi per interiorem aſpectum certus eſſes. Et ſic reſidebat tumor meus, ex occulta manu medicinæ tuæ; acieſque conturbata & contenebrata mentis meæ, (*a*) acri collyrio ſalubrium dolorum meorum, de die in diem ſanabatur.

NOTÆ.

(a) *Acri collyrio ſalubrium dolorum*) Collyrium proprie ſignificat medicamentum oculorum. S. D. per translationem ita appellat internos ſtimulos, & æſtum animi aſpirantis ad veritatem, his enim Deus ſenſim ſanavit ejus *ſuperbiam*, *propriis viribus aſpirantem ad notitiam rerum divinarum*, & impedientem, quo minus eas recte intelligeret. Hoc caput rectius conjungeretur ſuperiori, continet enim periodum ſuperioribus connexam.

Digitized by Google

CAP. IX.

Se in quibuſdam Platonicorum libris, Chriſti divinitatem, non vero humilitatem reperiſſe, ac inde velut Ægypti ſpolia collegiſſe.

1. ET primo volens oſtendere mihi, quam *reſiſtas ſuperbis, humilibus autem des gratiam*: & quanta miſericordia tua demonſtrata ſit hominibus via humilitatis, quod *Verbum tuum caro factum eſt, & habitavit inter homines*, procuraſti mihi per quendam hominem, immaniſſimo typho turgidum, (*a*) quoſdam Platonicorum libros ex Græca lingua in Latinam verſos. Et ibi legi, non quidem his verbis, ſed hoc idem omnino, multis & multiplicibus ſuaderi rationibus: quod (*b*) *in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum; hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt in eo, vita eſt. Et vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Et quia hominis anima, quamvis *teſtimonium perhibeat de lumine, non eſt* tamen ipſa *lumen*, ſed verbum Dei. Deus eſt enim *lumen verum, quod illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Et quia in hoc mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit.* Quia vero *in ſua propria venit, & ſui eum*

Jac. 4. 6.

Jo. 1. 14.

Jo. 1. 1.

eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus: non ibi legi.

2. Item ibi legi; Quia Deus verbum, *non ex carne, non ex ſanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo natus eſt.* Sed quia *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*: non ibi legi. *Phil. 2.* Indagavi quippe in illis litteris varie dictum, & multis modis, quod ſit *filius in forma patris, non rapinam abitratus eſſe æqualis Deo*, quia naturaliter idipſum eſt. Sed quia *ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, & in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit ſe factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod Deus exaltavit eum a mortuis, & donavit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Jeſu omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus in gloria eſt Dei patris*: non habent illi libri.

3. Quod enim ante omnia tempora, & ſupra omnia tempora, incommutabiliter manet unigenitus filius tuus coæternus tibi, & quia *de plenitudine ejus accipiunt* animæ, ut beatæ ſint: & quia participatione manentis in ſe ſapientiæ renovantur, ut ſapientes ſint: eſt ibi. *Jo. 1. 16.* Quod autem *ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt*: & *filio unico tuo non* *Rom. 5. 8.*

Rom. 8. 32. *pepercisti , sed pro nobis omnibus tradidisti eum* : non est ibi . *Abscondisti* Matth. 11. 1. *enim hæc a sapientibus , & revelasti ea parvulis* : ut *venirent ad eum laborantes & onerati , & reficeret eos , quo-* Ps. 24. 9. *niam mitis est & umilis corde* : & *dirigit mites in judicio , & docet mansuetos vias suas* , videns humilitatem nostram , & laborem nostrum , & dimittens omnia peccata nostra . Qui autem cothurno , tanquam doctrinæ sublimioris elati , non audiunt dicentem , Matth. 11. 28. *Discite a me quoniam mitis sum & humilis corde , & invenietis requiem animabus vestris* : *etsi cognoscunt Deum* Rom. 1. 25. *non sicut Deum glorificant , aut gratias agunt* : *sed evanescunt in cogitationibus suis & obscuratur insipiens cor eorum , dicentes se esse sapientes , stulti facti sunt* .

4. Et ideo legebam ibi etiam *immutatam gloriam incorruptionis tuæ , in idola & varia simulachra , in similitudinem imaginis corruptibilis hominis* , Gen. 25. 5. *& volucrum , & quadrupedum , & serpentum* ; (*c*) videlicet Ægyptium cibum , quo Esau perdidit primogenita sua , quoniam caput quadrupedis pro te honoravit populus primogenitus , *con-* Exod. 39. 9. *versus corde in Ægyptum* , & curvans imaginem tuam , animam suam ante Ps. 105. 20. *imaginem vituli manducantis fœnum* ; inveni hæc ibi , & non manducavi . Placuit enim tibi Domine auferre (*d*) opprobrium diminutionis ab Jacob , ut major serviret minori : & vocasti gentes in hæreditatem tuam.

5. Et

5. Et ego ad te veneram ex gentibus, & intendi in aurum, quod ab Ægypto voluisti, ut auferret populus tuus, quoniam tuum erat, ubicunque erat. Et dixisti Athenienſibus per Apoſtolum tuum, *quod in te vivimus, & movemur, & ſumus, ſicut & quidam ſecundum eos dixerunt*. Et utique inde erant illi libri. Et non attendi in idola Ægyptiorum, quibus de auro tuo miniſtrabant, *qui tranſmutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potius, quam creatori*. *Exod.* 32. & 11. *Act.* 17. 29. *Rom.* 1. 25.

NOTÆ.

(a) *Quoſdam Platonicorum libros*) Hos Philoſophos reliquis S. D. antepoſuit, quia philoſophantes de SS. Trinitate, & præcipue verbo divino, non longe a veritate Chriſtiana abjerunt, ut S. D. alibi oſtendit; illud etiam aſſerens, Platonicos paucis mutatis poſſe facillime fieri Chriſtianos, in quo cum aliis quoque Pl. convenit. Cur vero ab 800. amplius annis, Peripatetici cum Ariſtotele Academias Chriſtianas occuparint pulſis Platonicis cauſas juſtas afferunt Lipſius & Fonſeca. *L.* 10. *de civ. Dei c.* 1. & 29. *l.* 8. *l.* 1. *c.* 4. *Manud. ad phil. Stoic. in proœmio met. c.* 5.

(b) *In principio erat verbum*) *Quod initium S. Evangelii, quod eſt ſecundum Joannem, quidam Platonicus (ſicut a ſanct. ſene Simpliciano, qui poſtea Mediolanenſi Eccleſiæ præſedit Epiſcopus, ſolebamus audire) aureis literis conſcribendum, & per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis, proponendam eſſe dicebat*, ut ait S. D. *l.* 10. *de civ. c.* 29.

(c) *Videlicet Ægyptium cibum*) Intelligit allegorice, doctrinam Platonicorum de diis pluribus colendis, qua inſtar Eſau primogenita Sapientiæ vendiderunt, imitantes Iſrae-

litas adorantes vitulum. Hanc itaque coctionem non rufam, ſed ſtygiam, in libris Platonicorum rupertam, ait ſe non manducaſſe, ſed rejeciſſe.

V.l.8.de civ.c.12. & 13.& l.10.c.1.

(d) *Opprobrium diminutionis a Jacob*) Abſtulit Chriſtus contemptum a filiis Jacob Chriſtianis ſuis, ut ſervirent majores minoribus: ſuperbi Philoſophi humilibus fidelibus, quos Deus vocavit non ſolum ex Judæis, verum & Gentibus.

U S U S.

1. Sola ſuperbia excæcavit Platonicos, ne Verbum carnem factum crederent, quod Deum eſſe cum Chriſtianis recte credebant. *Ideo* inquit alibi S. D. *viluit ſuperbis Deus ille Magiſter, quia Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: ut parum ſit miſeris, quod ægrotant, niſi ſe in ipſa etiam ægritudine extollant, & de medicina, qua ſanari poterant, erubeſcant.* Sed non ſoli Platonici, aliiquoque *cothurno doctrinæ ſublimioris elati, non audiunt dicentem; Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde, &c.*

L.10.de civ.c.29.

2. Diſcamus ex philoſophis gentilibus colligere aurum *Doctrinæ & Sapientiæ, & inſtar Iſraelitarum auro Ægyptios ſpoliare: ſic tamen, ut non intendamus, nec miniſtremus idolis eorum, utilia amplectentes, noxia rejicientes.* Hoc S.D. ſe egiſſe in lectione Platonicorum teſtatur, & ad idem hortatur alibi, exemplo SS. PP. qui ingentem eruditionem ex libris gentilium collectam, ad Fidem Chriſtianam attulerunt, cum magno Eccleſiæ bono. Hic exemplum quoque S. Pauli affert, qui verſibus Poetarum uſus reperitur.

L.2. de doctrin. Chriſt.

CAP.

CAP. X.

Æternam veritatem omnium artificem, mole magnam non esse, & Deum ipsum esse, divina inspiratione tandem didicit.

1. ET inde admonitus redire ad memetipsum, intravi in intima mea duce te: & potui, quoniam factus es adjutor meus. Intravi, & vidi qualicunque oculo animæ meæ, supra eundem oculum animæ meæ, supra mentem meam, lucem Domini incommutabilem: non hanc vulgarem & conspicuam omni carni, nec quasi ex eodem genere grandior erat, tanquam si ista multo multoque clarius clarescceret, totumque occuparet magnitudine. Non hoc illa erat, sed aliud, aliud valde ab istis omnibus. Nec ita erat supra mentem meam, sicut oleum super aquam, nec sicut cœlum super terram, sed superior, quia ipsa fecit me, & ego inferior, quia factus sum ab ea. Qui novit veritatem, novit eam, & qui novit eam, novit æternitatem. (*a*) Caritas novit eam.

2. O æterna veritas, & vera caritas, & cara æternitas! Tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte. Et cum te primum cognovi, tu assumpsisti me, ut viderem esse, quod viderem, & nondum me esse, qui viderem. Et reverberasti infirmitatem aspectus mei, radians in me vehementer, & contremui amore & horrore. Et inveni me longe

esse a te in regione dissimilitudinis, tanquam audirem vocem tuam de excelso: (*b*) Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me: nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Et cognovi, quoniam *propter iniquitatem erudisti hominem, & tabescere fecisti, sicut araneam, animam meam.* Et dixi: Nunquid nihil est veritas, quoniam neque per finita, neque per infinita locorum spacia diffusa est? Et clamasti de longinquo: *Imo vero, ego sum, qui sum.* Et audivi, sicut auditur in corde, & (*d*) non erat prorsus, unde dubitarem. Facilius que dubitarem vivere me, quam non esse veritatem, quæ *per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicitur.*

Psal. 38. 12.

Exod. 3. 14.

Rom. 1. 20.

NOTÆ.

(a) *Caritas novit eum*) Plus enim quavis ingenii subtilitate, ad notitiam Dei confert amor Dei. Hac quia carebat Augustinus, longe a gratia divina, in regione peccati exulans: ideo hoc solum vidit, se non esse dignum, qui videret lucem inaccessibilem. Contremuit tamen amore quodam imperfecto tantæ bonitatis, & tremore majestatis, quam peccatis suis offensam merito timebat. *Beati mundo corde*, illi enim apti sunt ad Deum videndum.

(b) *Cibus sum grandium*) Qui generoso animo voluptatem spernunt, & vanitatem calcant (*Cresce*) amore & proposito melioris vitæ, (*& manducabis me*) per cognitionem mei. (*Nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuæ*) quo alitur corpus (*sed tu mutaberis in me*) per imitationem & similitudinem amoris. Eadem sane voce alloquitur Deus

Digitized by Google

Deus corda omnium, qui veritatem ſciunt, & nondum faciunt.

(c) *Nunquid nihil eſt veritas?*) Tandem poſt tenebras longiſſimi & capitalis erroris, quo S. D. Deum putabat eſſe corporeum, lux illi incorporeæ veritatis affulſit, dum ſic adverſus omnia ſenſuum phantaſmata concluſit, Deus *veritas eſt* (id enim ab ipſo Deo Auguſtinus audivit, ſicut auditur in corde) *Veritas per nulla locorum ſpatia diffunditur*, ergo *Deus mole magnus non eſt. Si veritas corporea eſt, erit & divinitas.*

(d) *Non erat prorſus unde dubitarem*) Et hic *Sextus eſt gradus S. D. ad perfectam veritatis Catholicæ agnitionem: intelligere Deum eſſe incorporeum.* Aſſentior autem Cornelio Lancelloto, internum illud Dei reſponſum: *Imo vero ego ſum, qui ſum*; fuiſſe veram revelationem, divinitus Auguſtino factam; quæ non aliter corporea phantaſmata, quam ſol nebulam diſcuſſit: & nec dubium quidem, de incorporea ſummæ veritatis ac divinitatis natura, reliquit. *l. 1. vi. te S. D. c. 26.*

USUS.

1. Advertens S. D. evanuiſſe ſuperbos Platonicos, indeſad ſeipſum rediit, ſpreta ſuperba illorum ſapientia. Quare Deus elevavit illius mentem ad lucem incorpoream & increatam, qualem nunquam nec ſenſu, nec intellectu perceperat. Ita nempe contemptus ſapientiæ humanæ attollit ad divinam.

CAP. XI.

Creaturas nec omnino eſſe, quia Deus non ſunt, nec omnino non eſſe, quia a Deo ſunt.

1. ET inſpexi cætera infra te, & vidi nec omnino eſſe, nec omnino non eſſe. Eſſe quidem, quoniam

abs te ſunt: non eſſe autem, quoniam id, quod es, non ſunt. Id enim vere eſt, quod incommutabiliter manet. *Mihi autem inhærere Deo bonum eſt*: quia ſi non manebo in illo, nec in me potero. Ille autem *in ſe manens innovat omnia*. Et *Dominus meus es, quoniam bonorum meorum non eges*.

Pſ. 7. 25. 28. Sap. 7. 27. Pſ. 15. 2.

U S U S.

Vere Deus bonorum noſtrorum non eget, nihil enim & nihili ſumus nos, & omnia noſtra, quia mutabilia & inſtabilia: quibus non eget Deus immutabilis magis, quam fons rivulis, & ſol noſtris oculis.

CAP. XII.

Omnem ſubſtantiam corruptibilem bonam eſſe, quia niſi bona eſſet, corrumpi non poſſet.

1. ET manifeſtatum eſt mihi, quoniam bona ſunt, quæ corrumpuntur; quæ neque currumpi poſſent, ſi ſumma bona eſſent: neque niſi bona eſſent, corrumpi poſſent. Quia ſi ſumma bona eſſent, incorruptibilia eſſent: ſi autem nulla bona eſſent, quod in eis corrumperetur, non eſſet. (*a*) Nocet enim corruptio, & niſi bonum minueret, non noceret. Aut igitur nihil nocet corruptio, quod fieri non poteſt: aut, quod certiſſimum eſt, omnia quæ corrum puntur, privantur bono. Si autem omni bono privabuntur, omnino non erunt. Si enim erunt, & corrumpi jam non poterunt: meliora erunt, quia incorruptibiliter permanebunt.

2. Et

2. Et quid monſtroſius, quam ea dicere omni bono amiſſo facta meliora? Ergo ſi omni bono privabuntur, omnino nulla erunt. Ergo quandiu ſunt, bona ſunt. Ergo quæcunque ſunt, bona ſunt. Malumque illud, quod quærebam, unde eſſet, non eſt ſubſtantia: quia ſi ſubſtantia eſſet, bonum eſſet. Aut enim eſſet incorruptibilis ſubſtantia, magnum utique bonum; aut ſubſtantia corruptibilis eſſet, quæ niſi bona eſſet, corrumpi non poſſet. Itaque vidi, & manifeſtatum eſt mihi, quia omnia bona tu feciſti, & prorſus nullæ ſubſtantiæ ſunt, quas tu non feciſti. Et quoniam non æqualia omnia feciſti, ideo ſunt omnia, quia ſingula bona ſunt, & ſimul omnia valde bona, quoniam feciſti Deus noſter omnia bona valde.

N O T Æ.

(a) *Nocet enim corruptio*) Supponit S. D. tanquam principium per ſe notum, idque ſæpius alibi repetit. *Malum eſt corruptio, ſive privatio alicujus boni*, nec aliter nocet, quam privando aliquo bono, id cui nocet. Unde evidenter deducit, nihil corrumpi poſſe, niſi quod bonum eſt, quia corrumpi nihil aliud eſt, quam bono privari. Nulla ergo ſubſtantia mala eſt, non incorruptibilis, quia hæc magnum bonum eſt; non corruptibilis, quia hæc niſi bona eſſet, corrumpi non poſſet, nec mali capax eſſet, *quia malum non eſt, niſi in bono*, ut ait S. D. *V. l. de moribus Manich. c. 7. 3. 4. 5. l. 3. de liber arb. c. 13.* *Enchir. c. 14.*

CAP. XIII.

Etsi quædam quibusdam non conveniant, Deo tamen & universo nihil malum esse, Deum vero in omnibus laudandum, in cælo & terra.

1. ET (*a*) tibi omnino non est malum; non solum tibi, (*b*) sed & universæ creaturæ tuæ; quia extra te non est aliquid, quod irrumpat, & corrumpat ordinem, quem posuisti ei. (*c*) In partibus autem ejus, quædam quibusdam, quia non conveniunt, mala putantur: & eadem ipsa conveniunt aliis, & bona sunt, & in semetipsis bona sunt. Et omnia hæc, quæ sibimet invicem non conveniunt, conveniunt inferiori parti rerum, quam terram dicimus, habentem cœlum suum nubilosum atque ventosum, congruum sibi.

2. Et absit jam, ut dicerem non esse nisi ista: quia etsi sola ista cernerem, desiderarem quidem meliora, sed jam etiam (*d*) de solis istis laudare te deberem. Quoniam laudandum te ostendunt *de terra, dracones & omnes abyssi.* Ps. 148. *Ignis, grando, nix glacies, spiritus tempestatis: quæ faciunt verbum tuum. Montes & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri. Bestiæ & omnia pecora, reptilia & volatilia pennata. Reges terræ & omnes populi, principes & omnes judices terræ. Juvenes & virgines, seniores cum junioribus, laudent nomen tuum.* Cum vero etiam de

cæ-

cœlis te laudent, laudent te Deus noſter *in excelſis omnes angeli tui, omnes virtutes tuæ, ſol & luna, omnes ſtellæ, & lumen, cœli cœlorum & aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen tuum.* Non jam deſiderabam meliora, quia omnia cogitabam, & meliora quidem ſuperiora, quam inferiora: ſed meliora omnia, quam ſola ſuperiora, judicio ſaniore pendebam.

NOTÆ.

(a) *Et tibi omnino non eſt malum*) Malum enim eſt, *quod nocet per privationem alicujus boni*. Deus autem nullo bono privari poteſt, quia inviolabilis & immutabilis eſt; nihil ergo ipſi malum eſt, nec ullum malum in ipſo eſt, nam ſummo bono non poteſt deeſſe ullum bonum.

(b) *Sed & univerſæ creaturæ tuæ*) Nam ad univerſi decorem aç perfectionem, ipſa quoque mala pertinent, quæ nullo modo omnipotens Deus ſineret eſſe in operibus ſuis: niſi uſque adeo eſſet omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo. Cum ergo nihil poſſit corrumpere & irrumpere ordinem providentiæ divinæ, cui ſubjacent mala & bona; nihil poteſt eſſe malum univerſitati rerum, quia nihil poteſt nocere ordini divinæ Sapientiæ, qui pulcherrimus eſt, quantacunque, & qualiacunque ſint mala. *V. II. ec. l. 11. de civ. Dei cap. 22. & 11. Enchir.*

(c) *In partibus autem ejus, &c.*) Quædam creaturæ quibuſdam rebus comparatæ malæ putantur, quia illis non conveniunt; cum tamen conveniant ipſi univerſo, & aliis ejus partibus. Ita, *ut venena ipſa* teſte S. D. *quç per inconvenientiam pernicioſa ſunt, convenienter adhibita, in ſalubria medicamenta vertantur. Quamquam a contrario etiam hæc, quibus delectamur, ſicut cibus & potus, & iſta luxæ, immoderato & importuno uſu noxia ſentian-* *L. 11. de civ. c. 22.*

stantur. Unde nos admonet divina providentia, non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere: & ubi nostrum ingenium, vel infirmitas deficit, ita credere occultam: sicut erant quædam, quæ vix potuimus invenire, quia & ipsa utilitatis occultatio, aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio. Cum omnino natura nulla sit malum, nomenque hoc non sit, nisi privationis boni: & a visibilibus, usque ad invisibilia, sint aliis bonis alia bona meliora, ad hoc inæqualia, ut essent omnia. Bona sunt ergo, quæ putantur in rebus naturalibus mala. I. Quia conveniunt ordini totius universi. II. Etsi non omnibus, aliquibus tamen illius partibus congruunt. III. Quia bona sunt in semetipsis, nam, *si venenum Scorpionis malum esset per seipsum, eundem Scorpionem magis priusque interimeret, quod si ei penitus detrahatur, interibit scorpio*, ut argumentatur S. D.

l. de moribus Manic. c. 8.

(d) *De solis istis laudare te deberem*) Etsi enim creaturæ corporales, inferioribus & vilissimis universi partibus conveniant, ex terra ortæ & in terram redituræ: nec ad superiorem ordinem creaturarum intellectualium unquam perventuræ: prædicant tamen & ipsæ bonitatem, potentiam, ac sapientiam sui Conditoris, sufficientemque laudibus illius materiam præbent.

CAP. XIV.

Quod sibi aliquæ creaturæ displicerent, ideo se aliquando ivisse in opinionem duarum substantiarum.

1. NOn (*a*) est sanitas eis, quibus displicet aliquid creaturæ tuæ: sicut mihi non erat, cum displicerent multa, quæ feciſti. Et quia non audebat anima mea, ut ei displiceret Deus meus, nolebat esse tuum, quicquid

quid ei displicebat. Et inde ierat in opinionem duarum substantiarum, & non requiescebat, & aliena loquebatur: & inde rediens, fecerat sibi Deum per infinita spatia locorum omnium, & eum putaverat esse te, & eum collocaverat in corde suo & facta erat rursus templum idoli sui, abominandum tibi. Sed posteaquam fovisti caput nescientis, & *clausisti oculos meos, ne viderent vanitatem*, cessavi de me paululum, & consopita est insania mea. Et evigilavi in te, & vidi te infinitum aliter: & visus iste non a carne trahebatur. *Ps.* 118. 37.

NOTÆ.

(a) *Non est sanitas eis, &c.*) Ex eo, quod Manichæi aliquas creaturas malas putabant, inde occasionem turpissimi erroris arripuerunt, ut duo principia ponerent. *Quia scilicet*, ut egregie declarat S. Th: *non consideraverunt causam universalem totius entis, sed particulares tantum causas particularium effectuum. Propter hoc enim, si aliquid viderunt esse nocivum alicui rei, per virtutem suæ naturæ, æstimaverunt naturam illius rei esse malam. Puta si quis dicat naturam ignis esse malam, quia combussit domum alicujus pauperis. Judicium autem de bonitate alicujus rei, non est accipiendum secundum ordinem ad aliquid particulare: sed secundum seipsum, & secundum ordinem ad totum universum, in quo qualibet res suum locum ordinatissime tenet, etsi mala sit, ut fuse docet S. Aug.* *V. l.* 11. *de civ. c.* 22. 1. *p. q.* 45. *a.* 3. L. 3. *de lib. arb. c.* 9. *& seq.*

CAP.

CAP. XV.

Omnia Deus veritate ſua, tanquam manu ſua continet, ideoque omnia veru ſunt, & convenientia.

1. ET reſpexi alia, & vidi tibi debere, quia ſunt. Et in te cuncta finita: ſed aliter, non quaſi in loco; ſed quia tu es (*a*) omnitenens manu veritate. Et (*b*) omnia vera ſunt, in quantum ſunt: nec quicquam eſt falſitas, niſi cum putatur eſſe, quod non eſt. (*c*) Et vidi, quia non ſolum locis ſua quæque ſuis conveniunt, ſed etiam temporibus. Et quia tu, qui ſolus æternus es, (*d*) non poſt innumerabilia ſpacia temporum cœpiſti operari: quia omnia ſpacia temporum, & quæ præterierunt, & quæ præteribunt, nec abirent, nec venirent, niſi te operante, & manente.

NOTÆ.

(a) *Omnitenens manu veritate*) Intelligo per *veritatem*, conceptionem divinam, quam *ideam* ſive *exemplar* vocamus. Concepit enim Deus intra ſe, naturas omnium creaturarum, eaque conceptio eſt *regula ac menſura creaturarum, quæ omnes ſunt verę unæ primæ veritate, cui unumquodque aſſimilatur: ſecundum ſuam entitatem*, ut ait S. Th. Quia vero Veritas Dei eſt practica (Deus enim per Ideam ſuam, & ſecundum illam operatur) recte vocatur *manus*, & quidem *omnitenens*. Eſt enim exemplar non ſolum aliquorum, ſed omnium entium, quæ in Deo ſunt, *non tanquam in loco, ſed tanquam in archetypo*; quomodo domus eſt in mente architecti, imago in mente pictoris.

1. p. q. 16. a. 6.

(b) *Om-*

(b) *Omnia vera ſunt , in quantum ſunt*) Quia ut ſic , ſunt *conformia Ideæ divinæ* , quæ eſt ſuprema regula omnis naturæ ac eſſentiæ . Veritas autem conſiſtit *in conformitate rei , cum ſua regula ac menſura* .

(c) *Et vidi , quia non ſolum locis quaque ſuis* , &c.) Intellexit S. D. *bonitatem* quoque rerum omnium , non minus quam veritatem a Deo provenire . Sicut enim omnis res dicitur vera , ex conformitate cum ſua cauſa exemplari , ita dicitur bona ex congruentia cum ſua cauſa finali . Deus autem eſt ultimus finis rerum omnium , ad quem cum omnia , ſive bona ſive mala , ſuis locis & temporibus convenientiſſime ordinentur : ſequitur omnia bona eſſe , quia conveniunt ſemper cum fine ultimo , etſi aliquando non conveniant cum fine proximo . Sic monſtra quoque bona ſunt , quæ eveniunt contra intentionem naturæ , non autem autoris naturæ .

(d) *Non poſt innumerabilia ſpatia temporum*) Nullum enim tempus erat , antequam Deus faceret tempus , quod multis explicat infra . L. 11.

U S U S .

Attingit S. D. triplicem habitudinem , quam omnes res creatæ habent ad Deum , tanquam cauſam univerſalem . I. *Efficientem* , cui omnia debent ſuum eſſe . II. *Exemplarem* , reſpondent enim omnia veritati divinæ , tanquam ſuæ menſuræ . III. *Finalem* , ad Dei gloriam enim , tanquam finem ſuum omnia ordinantur . Hinc triplex oritur debitum . I. *Gratitudinis* , quia omnia a Deo accepimus . II. *Puritatis conſcientiæ* , ne ab exemplari deficiamus ad peccatum . III. *Rectæ intentionis* , ut omnia referamus ad Dei gloriam , iſte enim eſt finis noſter .

CAP.

CAP. XVI.

Non omnia omnibus : quædam , ut iniqui , conveniunt inferioribus creaturæ partibus , non eſt autem iniquitas ſubſtantia , ſed ſummæ ſubſtantiæ derelictio .

1. ET (*a*) ſenſi , & expertus ſum , non eſſe mirum , quod palato non ſano pœna eſt panis , qui ſano ſuavis eſt : & oculis ægris odioſa lux , quæ puris amabilis eſt. Et juſtitia tua diſplicet iniquis , ne dum vipera & vermiculus , quæ bona creaſti , apta inferioribus creaturæ tuæ partibus , (*b*) quibus & ipſi iniqui apti ſunt , quanto diſſimiliores ſunt tibi : apti autem ſuperioribus , quanto ſimiliores fiunt tibi . Et quæſivi , quid eſſet iniquitas , (*c*) & non inveni ſubſtantiam : ſed a ſumma ſubſtantia te Deo , detortæ in infima voluntatis perverſitatem , projicientis intima ſua , & tumeſcentis foras.

NOTÆ.

(a) *Et ſenſi , & expertus ſum* , &c.) Non ideo aliquid malum eſt , quia non convenit cuivis rei : alioqui panis & lux mala eſſent , quia ægris odioſa ſunt , imo ipſa juſtitia Dei bona non eſſet, quia diſplicet iniquis , quos punit .

(b) *Quibus & ipſi iniqui apti ſunt*) Vipera & vermiculus , aliaque ſimilia bona ſunt , tum in ſemetipſis , tum quia conveniunt terræ , cui conſentaneum eſt talia gignere . Egregie vero addidit S. D. impios quoque aptos eſſe inferioribus partibus creaturæ , quod alibi pulcre explicat . *Habitationi ergo* , inquit , *cæleſti talis anima non congruit per peccatum , terreſtri autem congruit per ſupplicium :*

ut

ut quodlibet elegerit, ſemper ſit pulcra univerſitas, decentiſſimis partibus ordinata, cujus eſt conditor & adminiſtrator Deus. Namque opeima anima, cum in infimis creaturis habitant, non eas ornant miſeria ſua, quam non habent, ſed uſu earum bono: ſi autem peccatrices anima permittantur habitare in ſublimibus locis, inhoneſtum eſt, quibus nec bene uti poſſunt, necornamenti aliquid conferunt. Quare ſicut cruces & fures, rotæ & latrones, ſervus improbus & purgatio cloacæ, ornant turpitudine ſua urbem & domum, juſtæ gubernationis decorem demonſtrando: ita iniquitas peccatoris, & hujus alteriuſque vitæ tribulatio, ipſeque gehennæ ardor, *conjuncta & redacta in quandam ſui generis unitatem, ita creaturis reliquis coaptantur atque ſubtexuntur, ut univerſitati ordinatiſſimo decore conveniant*, quemadmodum S. D. diſſerit. Et ſane convenit impios in infima terrarum parte, nempe inferno, cruciari, quia noluerunt ad cœlum, ſupremam univerſi partem per virtutem aſpirare. Sic nempe Deus de malis facit bene, & de turpibus pulcre.

L. 3. de lib. arb. cap. 9.

(c) *Et non inveni ſubſtantiam*) Tandem S. D. cauſam mali culpæ invenit, nempe malam voluntatem; quæ peccat dum a Deo ſe avertit, & ad bona creata convertit, ordine perverſo. Unde clarum eſt. I. Iniquitatem ſive peccatum, non eſſe ſubſtantiam, ſed *ſummæ ſubſtantiæ derelictionem*. II. Voluntatem dum peccat, non eſſe cauſam efficientem, ſed *deficientem; deficere namque ab eo, quod ſummum eſt, ad id, quod minus eſt, hoc eſt habere malam voluntatem, ſive peccare.* III. Deum eſſe quidem cauſam actus mali, quantum ad id, quod habet *entitatis & perfectionis, non autem, quantum ad id, quod habet de defectu. Sicut, quidquid eſt motus in claudicatione, cauſatur a virtute motiva, ſed quod eſt obliquitatis in ea, non ex virtute motiva, ſed ex curvitate cruris. Et ſimiliter, quidquid eſt entitatis & actionis in actione mala, reduci-*

V. l. 12. de civ. c. 7.

tur

tur in Deum ſicut in cauſam, ſed quod eſt ibi
1.par.q. *defectus, non cauſatur a Deo, ſed ex cauſa ſe-*
49. a.3. *cunda deficiente*, ut ait S. Th.
ad 2. Quamvis vero Deus non ſit autor mali culpæ nec poſſit eſſe, *quia ſuppovit defectum in agente, in Deo autem nullus defectus eſt, ſed ſumma perfectio. Malum tamen pœnæ & naturæ, quod in corruptione formæ & integritatis rei conſiſtit, reducitur in Deum tanquam in cauſam. Ad ordinem enim univerſi pertinet ordo juſtitiæ, qui requirit, ut peccatoribus pœna inferatur. Ordo item univerſi requirit, quod quædam ſint, quæ deficere poſſint, & interdum deficiant. Et ſic Deus cauſando bonum ordinis univerſi, ex conſequenti, & quaſi per accidens*
V.l.1.de *cauſat corruptiones rerum*, ut docet S. Tho-
lib.arb. mas l. c. ex mente S. Auguſtini II. cc. Qui
cap. 1. agnovit tandem malum culpæ, non aliunde irrepſiſſe in univerſum, quam ex mala voluntate; reliqua vero quæ putantur mala, aut non eſſe mala, aut aliarum rerum generationes. Atque hic *Septimus & poſtremus eſt gradus S. D. quo ad veritatis Catholicæ culmen conſcendit.*

USUS.

1. Conemur Deo eſſe ſimiles per gratiam & caritatem, ut apti ſimus *ſuperioribus partibus univerſi, id eſt cœlo*: & caveamus, ne per diſſimilitudinem peccati, *apti fiamus ei parti terræ, quæ mala eſt & peſſima, nempe inferno.*

2. Sicut Deus cuncta quæ fecit, vidit eſſe valde bona, ita nos utamur omnibus creaturis tanquam bonis, & idoneis ad proſecutionem finis noſtri ultimi, qui eſt Deus.

CAP.

CAP. XVII.

Se gradatim a corporibus ad animam ſentientem, inde ad ſenſum internum, ab hoc ad potentiam ratiocinantem & intelligentiam, ac demum ad cognitionem divinitatis, aliquatenus attigiſſe.

1. ET mirabar, (*a*) quod jam te amabam, non pro te phantaſma. Et non ſtabam frui Deo meo, ſed rapiebar ad te decore tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in iſta cum gemitu: & pondus hoc, conſuetudo carnalis. Sed mecum erat memoria tui; neque ullo modo dubitabam eſſe, cui cohærerem, ſed nondum eſſe me, qui cohærerem: quoniam *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem*. Eramque certiſſimus, quod *inviſibilia tua a conſtitutione mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus & divinitas tua*. *Sap. 9. 15.* *Rom. 1. 20.*

2. Quærens enim unde approbarem pulcritudinem corporum, ſive cœleſtium, ſive terreſtrium: & quid mihi præſto eſſet integre de mutabilibus judicanti & dicenti, hoc ita eſſe debet, illud non ita. Hoc ergo quærens, unde judicarem, cum ita judicarem inveneram (*b*) incommutabilem & veram veritatis æternitatem, ſupra mentem meam commutabilem. Atque ita gradatim a corporibus ad ſentientem per cor-

corpus animam: atque inde ad ejus interiorem vim, cui ſenſus corporis exteriora nunciaret, quouſque poſſunt beſtiæ. Atque inde rurſus ad ratiocinantem potentiam, ad quam refertur ad judicandum, quod ſumitur a ſenſibus corporis.

3. Quæ ſe quoque in me comperiens mutabilem, [c] erexit ſe ad intelligentiam ſuam, & abduxit cogitationem a conſuetudine, ſubtrahens ſe a contradicentibus turbis phantaſmatum, ut inveniret, quo lumine aſpergeretur: cum ſine ulla dubitatione clamaret, incommutabile præferendum eſſe mutabili, unde noſſet ipſum incommutabile. Quod niſi aliquo modo noſſet, nullo modo illud mutabili certo præponeret: ut perveniret ad id quod eſt (*d*) in ictu trepidantis aſpectus: Tum vero *inviſibilia tua, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpexi*, ſed aciem figere non valui: & repercuſſa infirmitate redditus ſolitis, non mecum ferebam niſi amantem memoriam, & quaſi olfacta deſiderantem, quæ comedere nondum poſſem.

NOTÆ.

(a) *Et mirabar, quod jam te amabam &c,*) Repetit, qua ratione ad cognitionem Dei aſſurrexerit per quoſdam veluti gradus.

(b) *Incommutabilem, & veram veritatis æternitatem*) *Judicat enim anima ſecundum primam veritatem de omnibus: in quantum per participationem divini luminis omnia cognoſcit & dijudicat: ſicut omnia ſenſibilia videmus & judicamus ſole*, ut ait S. Th. etſi ipſum ſolem non videamus. Quare recte ſupra dixit

S. D.

Digitized by Google

S. D. *neminem præter Deum esse Doctorem veri, ubicumque & undecunque claruerit*, q. d. solum lumen solis reddere res omnes aspectabiles; *sic Deus solus luminis sui sigillatione intellectum nostrum illustrat ad percipiendum verum*, juxta illud Psalmi 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, teste S. Thom. 1. p. q. 12. a. 11. ad 3. l. 5. c. 6. 1. p. q. 84. a. 5. c.

(c) *Erexit se ad intelligentiam suam*.) Appellat Sanctus Doctor, intellectum intelligentiam, in quantum cognoscit prima principia: & ea, quæ solum sunt intelligibilia, *quæ resultant ex prima veritate in anima, sicut in speculo*, ut ait S. Th. 1. p. q. 16. a. 6. ad 1.

(d) *In ictu trepidantis aspectus*.) Cum aliquid vehementer lucidum, verbi gratia, Solem aspicimus, oculi in eo splendore hærere non possunt, sed ubi unico ictu debilem aciem figere tentarunt, mox reverberantur. Idem expertus est S. D. dum supra sensum, rationem & intellectum, se attollens, illud lumen quæsivit, quo illustratus intellexit, incommutabile præferendum esse commutabili. Quid autem, & quantum illud incommutabile lumen esset, non magis assequi valuit, quam nos splendorem Solis intueri.

U S U S.

Mirum est, quomodo consuetudo carnalis, animum conantem assurgere ad contemplationem Dei, mox pondere suo diripiat, & retrahat ad solitas nugas. Qua in miseria consultissimum est cum S. D. vilitatem suam agnoscere, & se indignum quidem æstimare rerum divinarum meditatione: nihilominus tamen *retinere amantem memoriam, & mentem quasi olfacta cum gemitu desiderantem* quo pacto mendicus ante fores divitis, ubi nidorem epularum percepit, cum suspirio eas delicias olfacit, ad quas fortuna sua & vilitas eum non admittit.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVIII.

Viam ad fruendum Deo, Chriſtum ſe nobis præbuiſſe, per humilitatis magiſterium.

1. ET quærebam viam comparandi roboris, quod eſſet idoneum ad fruendum te: nec inveniebam, donec amplecterer *mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Jeſum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula*, vocantem & dicentem: *Ego ſum via, veritas, & vita*. Et cibum, cui capiendo invalidus eram, (*a*) miſcentem ſe carni; quoniam *verbum caro factum eſt*, ut infantiæ noſtræ lacteſceret ſapientia tua, per quam creaſti omnia. Non enim tenebam dominum meum Jeſum Chriſtum humilis humilem: nec cujus rei magiſtra eſſet ejus infirmitas, noveram. Verbum enim tuum æterna veritas, ſuperioribus creaturæ tuæ partibus ſupereminens, ſubditos erigit ad ſeipſam. In inferioribus autem ædificavit ſibi humilem domum de limo noſtro, per quam ſubdendos deprimeret a ſeipſis, & ad ſe trajiceret, ſanans tumorem, & nutriens amorem. Ne fiducia ſui progrederentur longius, ſed potius infirmarentur, videntes ante pedes ſuos infirmam divinitatem, ex participatione tunicæ pelliceæ noſtræ: & laſſi proſternerentur in eam, illa autem ſurgens levaret eos.

1. Tim. 2. 5. Rom. 9. 5. Joan. 14. 6. Joan. 1. 14.

NO-

Digitized by Google

NOTÆ.

(a) *Miſcentem ſe carni &c.*) Miſcuit Chriſtus divinitatem ſuam, cui capiendæ invalidi eramus, carni noſtræ, ut nobis, quemadmodum ait S. Leo *& humilitate congrueret, & divinitate præcelleret: niſi enim eſſet Deus verus, non adferret remedium, niſi eſſet homo verus, non præberet exemplum.* Lac nobis præbuit divina ſapientia, & per humanitatis humilitatem depreſſit ſuperbiam noſtram: ut nos erigeret ad divinitatis amorem in terris, & perduceret ad ejus fruitionem in cœlis. *Serm. 1. de nat.*

CAP. XIX.

In Chriſto ſe primum excellentis Sapientiæ autoritatem, item corpus & animam, non vero divinitatem agnoviſſe, quam Chriſti animam eſſe Alipius cum Apollinariſtis credidit.

1. (a) EGo vero aliud putabam, tantumque ſentiebam de Domino Chriſto meo, quantum de excellentis ſapientiæ viro, cui nullus poſſet æquari; præſertim, quia mirabiliter natus ex virgine, ad exemplum contemnendorum temporalium pro adipiſcenda immortalitate, divina pro nobis cura, tantam autoritatem magiſterii meruiſſe videbatur. Quid autem ſacramenti haberet; *verbum caro factum*, ne ſuſpicari quidem poteram. Tantum cognoveram ex iis, quæ de illo ſcripta traderentur (quia manducavit, bibit, dormivit, ambulavit, exhilaratus eſt, contriſtatus eſt, ſermocinatus eſt) non hæ- *Joan. 1. 14.*

fisse carnem illam verbo tuo, nisi cum anima & mente humana. Novit hoc omnis, qui novit incommutabilitatem verbi tui, quam ego jam noveram, quantum poteram, nec omnino quicquam inde dubitabam. Etenim nunc movere membra corporis per voluntatem, nunc non movere: nunc aliquo affectu affici, nunc non affici: nunc proferre per signa sapientes sententias, nunc esse in silentio: propria sunt mutabilitatis animæ & mentis. Quæ si falsa de illo scripta essent, etiam omnia periclitarentur mendacio: neque in illis literis, ulla fidei salus generi humano remaneret.

2. Quia itaque vera scripta sunt, totum hominem in Christo agnoscebam; non corpus tantum hominis, aut cum corpore, sine mente animum, sed ipsum hominem: non persona veritatis, sed magna quadam naturæ humanæ excellentia, & perfectiore participatione sapientiæ, præferri ceteris arbitrabar. [b] Alipius autem Deum carne indutum, ita putabat credi a Catholicis, ut præter Deum & carnem, non esset in Christo anima, mentemque hominis non existimabat in eo prædicari. Et quoniam bene persuasum tenebat, ea quæ de illo memoriæ mandata sunt, sine vitali & rationali creatura non fieri, ad ipsam Christianam fidem pigrius movebatur. Sed postea hæreticorum Apollinaristarum hunc errorem esse cognoscens, Catholicæ fidei collætatus & contemperatus est. Ego autem aliquanto posterius

rius didiciſſe me fateor, in eo quod *verbum caro factum eſt*, quomodo Catholica veritas a Photini falſitate dirimatur. Improbatio quippe hæreticorum facit eminere, quid Eccleſia tua ſentiat, & quid habeat ſana doctrina. *Oportuit enim & hæreſes eſſe; ut probati manifeſti fierent inter infirmos.* Jo. 15. 14. 1. Cor. 11. 19.

NOTÆ.

(a) *Ego vero aliud putabam*) Antequam S. D. myſterium incarnationis, & unionem humanæ naturæ cum divina agnoſceret, in Photini errore aliquandiu hæſit: exiſtimans *Chriſtum purum hominem eſſe, & ſola magna quadam humanæ naturæ excellentia, & perfectiore participatione Sapientiæ præferri ceteris.* De hæreſi autem Photini V. eundem & S. Epiphanium. *Hæreſi 45. ad Quodvult. d.*

(b) *Alipius autem Deum carne indutum &c.*) hærebat nempe in errore Apollinariſtarum, qui de anima Chriſti a Catholica diſſenſerunt, Deum Chriſtum carnem ſine anima ſuſcepiſſe docentes: divinitatem vero ei loco animæ fuiſſe, ut tradit S. D. efficaciter eos redarguens, ex incommurabilitate divini verbi, animam autem Chriſti variis actionibus, affectibus, mutationibus fuiſſe obnoxiam teſtatur Scriptura; fuit ergo creata & diſtincta a divinitate. *Hæreſi. 55. Ibid.*

USUS.

1. Regulam utilem tradit S. D. Nihil nempe Scripturis falſum contineri; *ſi enim admitteretur aliqua falſa ibi ſcripta eſſe, omnia periclitarentur mendacio, & nulla in illis literis fidei ſalus, humano generi remaneret.* Quod alibi quoque ſentit. Solis autem Scripturis ſacris, hanc inconcuſſæ veritatis autoritatem tribuit. *Ego enim*, ait, *fateor caritati meæ, ſolis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici* *l. 1. de doct. Chriſt.* *Ep. 19. ad S. Hieron.*

*nonici appellantur, didici hunc timorem honorem*que *deferre, ut nullum eorum autorem scribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam. Ac ſi in eis aliquid offendero literis, quod videatur contrarium veritati: nihil aliud, quam vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe, quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe non ambigam. Alios autem ita lege., ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt: ſed quia mihi vel per illos autores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.*

2. Oſtendit utilitatem hæreſum ex eo, quod improbatio hæreticorum doctrinam Catholicam magis illuſtret, melius enim veritas ex falſorum comparatione fulget, ut alibi ait. *Nam ſi doctrina Eccleſiaſtica ſimplex eſſet, & nullis extrinſecus hæreticorum dogmatum aſſertionibus cingeretur, non poterat tam clara, & tam examinata videri fides noſtra. Sed idcirco fidem Catholicam contradicentium obſidet impugnatio, ut fides noſtra non otio torpeſcat, ſed multis exercitationibus elimetur. Propter hoc denique & Apoſtolus dicebat: Oportet autem hæreſes eſſe, ut probati quique manifeſti fiant inter vos.* Triplex itaque eſt hæreſum utilitas. I. Illuſtrant doctrinam Catholicam. II. Excutiunt torporem & otium Catholicis. III. Manifeſtant & probant veros fideles.

Ser. 93. de temp. tom. 10.

1. Cor. 11.

CAP. XX.

Ex Platonicorum libris admonitum ſe eſſe ad quærendam incorpoream veritatem, non autem ad humilitatem: id ſibi profuiſſe, quod ante Scripturam eos legerit.

1. SEd tunc lectis Platonicorum illis libris, poſteaquam inde admonitus,

tus, quærerem incorpoream veritatem, *invisibilia tua per ea quæ facta sunt, intellecta conspexi*, & repulsus sensi, quid per tenebras animæ meæ contemplari non sinerer: certus esse te, & infinitum esse, nec tamen per locos finitos infinitosve diffundi, & vere te esse, qui semper idem ipse esses, ex nulla parte nulloque motu aliter aut aliter: cetera vero ex te esse omnia, hoc solo firmissimo documento, quia sunt. Certus quidem in istis eram, nimis tamen infirmus ad fruendum te. Garriebam plane quasi peritus: & nisi in Christo Salvatore nostro viam tuam quærerem, non peritus sed periturus essem. Jam enim cœperam velle videri sapiens, plenus pœna mea: & non flebam, insuper & inflabar scientia. *Rom.* 1. 21.

2. Ubi enim erat illa ædificans Caritas a fundamento humilitatis, quod est Christus Jesus? Aut quando illi libri me docerent eam? In quos me propterea, priusquam scripturas tuas considerarem, credo voluisti incurrere: ut imprimeretur memoriæ meæ, quomodo ex eis affectus essem. Et cum postea in libris tuis mansuefactus essem, & curantibus digitis tuis contrectarentur vulnera mea: discernerem atque distinguerem, quid interesset inter præsumptionem & confessionem; inter videntes quo eundum sit, nec videntes qua, & viam ducentem ad beatificam patriam, non tantum cernendam, sed & inhabitandam. Nam si primo sanctis tuis literis informatus essem, & in earum familia-

ritate obdulcuisses mihi, & post in illa volumina incidissem, fortasse aut abripuissent me a solidamento pietatis: aut si in affectu, quem salubrem imbiberam, perstitissem, putarem etiam ex illis libris eum posse concipi, si eos solos quisquam didicisset.

USUS.

1. Etsi magno adiumento Augustino fuerint libri Platonicorum, ad cognoscendam substantiam Dei incorpoream, triplex tamen periculum in illis advertit. I. *Superbiæ*, incepit enim velle videri sapiens & inflari scientia, qua Philosophi evanuerunt. II. *Seductionis*, possunt enim incautum avertere a solidamento veræ pietatis ac fidei. III. *Falsæ opinionis*, quasi ex illis salus possit addisci. In quæ duo posteriora pericula S. D. putat se fuisse venturum, si post Scripturas sacras legisset libros Platonicos.

2. In hæc eadem præsertim 1. & 3. incidunt illi, qui Dei amorem, mundi contemptum, perfectionis studium, ex Plutarcho, Seneca, Epicteto, Platone, aliisque Philosophis moralibus conantur addiscere, & alios docere, non parvo suo & aliorum malo. Stoicum enim fastum, & spiritualium librorum contemptum, nimiamque Ethnicorum Scriptorum æstimationem inde colligunt, nec ad solidæ virtutis notitiam vel usum perveniunt. Ratio est, quia *fundamentum humilitatis in scriptis Ethnicorum deficit, quam primus Christus docuit*, hujus apud gentiles Philosophos mentio, & notitia est nulla.

CAP.

CAP. XXI.

In Scripturis ſanctis reperiſſe ſe humilitatem, & ſalutis viam ignotam Platonicis, qui oſtendunt patriam, non viam eo ducentem.

1. ITaque avidiſſime arripui venerabilem ſtylum ſpiritus tui, & præ ceteris Apoſtolum Paulum: & perierunt illæ quæſtiones, in quibus mihi aliquando viſus eſt adverſari ſibi, & non congruere teſtimoniis legis & prophetarum textus ſermonis ejus. (*a*) Et apparuit mihi una facies eloquiorum caſtorum, & exultare cum tremore didici. Et cœpi, & inveni, quicquid illic verum legeram. Hæc cum commendatione gratiæ tuæ didici, ut qui videt, *non ſic glorietur, quaſi non acceperit*; non ſolum id, quod videt, ſed etiam ut videat. Quid enim habet, quod non accepit? Et ut te, qui es ſemper idem, non ſolum admoneatur, ut videat: ſed etiam ſanetur, ut teneat. Et qui de longinquo videre non poteſt, viam tamen ambulet, qua veniat, (*b*) & videat, & teneat. Quia & ſi *condelectetur homo legi Dei ſecundum interiorem hominem*, quid faciet de alia *lege in membris ſuis repugnante legi mentis ſuæ, & ſe captivum ducente in lege peccati*, quæ eſt in membris ejus? *Quoniam juſtus es Domine, nos autem peccavimus, inique fecimus, impie geſſimus*, & gravata eſt ſuper nos

1. Cor. 4. 7.

Rom. 7. 23.

Dan. 3. 29.

manus tua, & juſte traditi ſumus antiquo peccatori (*c*) præpoſito mortis: quia perſuaſit voluntati noſtræ ſimilitudinem voluntatis ſuæ, qua *in veritate tua non ſtetit*.

Jo.8.44. Rom. 7. 23.

2. Quid faciet miſer homo? *Quis eum liberabit de corpore mortis hujus, niſi gratia tua, per Jeſum Chriſtum dominum noſtrum*, quem genuiſti coæternum, & creaſti *in principio viarum tuarum*, in quo *princeps hujus mundi non invenit quicquam morte dignum*, & occidit eum, & *evacuatum eſt* (*d*) *chirographum, quod erat contrarium nobis*? Hoc illæ literæ non habent. Non habent illæ paginæ vultum pietatis hujus, lacrymas confeſſionis, *ſacrificium tuum, ſpiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum*, populi ſalutem, ſponſam civitatem, (*e*) arram Spiritus Sancti, (*f*) poculum precii noſtri. Nemo ibi cantat: *Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum. Et enim ipſe eſt Deus meus, & ſalutaris meus, ſuſceptor meus, non movebor amplius*.

Prov.8. 22. Jo.14.16. Col. 2. 14. Pſ. 50. 19. Pſ.61.2.

3. Nemo ibi audit vocantem: *Venite ad me, qui laboratis*. Et dedignantur ab eo diſcere, quoniam *mitis eſt, & humilis corde. Abſcondiſti enim hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*: Et aliud eſt de ſilveſtri cacumine videre patriam pacis, & iter ad eam non invenire; & fruſtra conari per invia, circum obſidentibus & inſidiantibus fugitivis deſertoribus, cum principe ſuo leone & dracone. Et

Mat.11. 28. ibid.25.

aliud

aliud tenere viam illuc ducentem, cura cœleſtis imperatoris munitam : ubi non latrocinantur, qui cæleſtem militiam deſeruerunt. Vitant enim eam, ſicut ſupplicium. Hæc mihi inviſcerabantur miris modis, cum *minimum Apoſtolorum* tuorum legerem, & *conſideraveram opera tua, & expaveram*. 1. Cor. 15. Amos 3. 7.

NOTÆ.

(a) *Apparuit mihi una facies eloquiorum caſtorum*) Tota Scriptura humilitatem docet, nihil ſibi, omnia Deo tribuere, ſuis viribus diffidere, in ſola Dei gratia ſperare. Hoc omnes libri, & omnes paginæ ſonant.

(b) *Et videat & teneat*) viam mandatorum Dei; parum eſt enim ſcire, & non facere. Beati ſunt, qui ſciunt & faciunt, quod ſine gratia Chriſti fieri non poteſt.

(c) *Prepoſito mortis*) Diabolo, cujus invidia mors intravit in mundum.

(d) *Evacuatum eſt chirographum*) decreti divini, quo ob peccatum Adami omnes eramus rei mortis æternæ. Id Chriſtus per vitam & paſſionem ſuam, evacuavit & abolevit.

(e) *Arram Spiritus ſancti*) Spiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus Abba Pater, teſtimonium bonæ conſcientiæ, & ſpem ſalutis æternæ, qua carent Ethnici. Rom. 8. v. 15.

(f) *Poculum pretii noſtri*) Sanguinem Chriſti in cruce pro nobis effuſum, qui in Sacrificio Miſſæ quotidie, in pretium redemptionis noſtræ offertur.

USUS.

Oſtendunt libri gentilium Philoſophorum Deum & virtutem: ſed ex ſilveſtri cacumine

mine luminis naturalis, quod undique dumetis errorum, & pravorum affectuum obscuratur. Viam vero perveniendi ad Deum, & modum superandi malignum hostem, & acquirendæ virtutis non docent, quia de humilitate, oratione, & fiducia in Deum tacent. Non plus ergo prosunt, quam ut demonstrent naturali lumini studium virtutis congruere: viam vero, & ordinem gratiæ ac caritatis divinæ, non attingunt.

LI.

Digitized by Google

LIBER VIII.

Denique erroribus omnibus depulsis, consilio Simpliciani, exemplis Victorini, Antonii, duorum magnatum, aliorumque Dei Servorum, inflammatus: post gravem concupiscentiæ luctam, difficilemque deliberationem, voce divina admonitus, lectis S. Pauli verbis ad Rom. 13. V. 13. & 14. totus ad Deum convertitur, imitante Alipio, matre gratulante.

CAP. I.

De Deo & Fide Catholica certus, sed seculo adhuc ex femina tenaciter colligatus, Simplicianum de vitæ statu, sibi consulendum putavit.

1. DEus meus, recorder in gratiarum actione tibi, & confitear misericordias tuas super me. *Perfundantur ossa mea dilectione tua, & dicant: Dom ne quis similis tibi? Dirupisti, vincula mea, sacrificem tibi sacrificium laudis.* Quomodo dirupisti ea, enarrabo; & dicent omnes, qui adorant te, cum audient hæc: Benedictus Dominus in cœlo, & in terra, magnum & mirabile nomen ejus. Inhæserant præcordiis meis verba tua, & undique circumvallabar abs te. De vita tua æterna certus eram, quamvis eam *in ænigmate, & quasi per speculum* videram. Dubi-

Ps. 83. 2. Ps. 115. 17.

1. Cor. 13. 12.

tario tamen omnis de incorruptibili ſubſtantia, quod ab illa eſſet omnis ſubſtantia, ablata mihi erat: (*a*) nec certior de te, ſed ſtabilior in te eſſe cupiebam. De mea vero temporali vita nutabant omnia, & mundandum erat cor a fermento veteri: & placebat via ipſe ſalvator, & ire per ejus auguſtias adhuc pigebat.

2. Et immiſiſti in mentem meam, viſumque eſt bonum in conſpectu meo, pergere (*b*) ad Simplicianum: qui mihi bonus apparebat ſervus tuus, & lucebat in eo gratia tua. Audieram etiam, quod a juventute ſua devotiſſime tibi viveret. Jam vero tunc ſenuerat, & longa ætate in tam bono ſtudio ſectandæ viæ tuæ, multa expertus, multa edoctus mihi videbatur, & vere ſic erat. Unde mihi ut proferret volebam, conferenti ſecum æſtus meos, quis eſſet aptus modus ſic affecto, ut ego eram, ad ambulandum in via tua. Videbam enim plenam Eccleſiam: & alius ſic ibat, alius autem ſic. Mihi autem diſplicebat, quod agebam in ſeculo, & oneri mihi erat valde: non jam inflammantibus cupiditatibus, ut ſolebant, ſpe honoris & pecuniæ, ad tolerandam illam ſervitutem tam gravem: (jam enim me illa non
*Pſ.*25.8. delectabant, præ dulcedine tua, & *decore domus tuæ, quam dilexi*) ſed adhuc tenaciter colligabar ex femina. Nec
1.*Cor.*7. 7. me prohibebat, Apoſtolus conjugari, quamvis exhortaretur ad melius, maxime volens omnes homines ſic eſſe, ut ipſe erat.

3. Sed

3. Sed ego infirmior, eligebam molliorem locum. Et propter hoc unum, volvebar in ceteris languidus, & tabescens curis marcidis: quod & in aliis rebus, quas nolebam pati, congruere cogebar vitæ conjugali, cui deditus constringebar. Audieram ex ore veritatis esse *spadones, qui seipsos abscinderunt propter regnum cœlorum; sed qui potest* [inquit] *capere, capiat. Vani sunt certe omnes homines, quibus non inest Dei scientia: nec de his, quæ videntur bona, potuerunt invenire eum, qui est.* (c) At ego jam non eram in illa vanitate. Transcenderam eam, & contestante universa creatura tua, inveneram te creatorem nostrum, & Verbum tuum apud te Deum, tecumque cum Spiritu Sancto unum Deum, per quod creasti omnia.

Mat 19. 12. Sap. 13. 1.

4. Et est aliud genus impiorum, *qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* (d) In hoc quoque incideram, & *dextera tua Deus suscepit me*, & inde ablatum posuisti, ubi convalescerem, quia dixisti homini: *Ecce pietas est sapientia!* &, *noli velle videri sapiens, quoniam dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Et inveneram jam bonam *margaritam*, & *venditis omnibus, quæ haberem, emenda erat*, & dubitabam.

Rom. 1. 21. Ps. 17. 36. Job. 28. 28. Prov. 3. 7. Rom. 1. 22. Mat. 13.

NOTÆ.

(a) *Nec certior de te, sed stabilior in te*) Tandem S. Augustinus depulsis omnium errorum nebulis, Catholicam Fidem toto animo amplexus, nomen suum mox utique inter Catechumenos professus est: etsi baptismum in duos fere annos distulerit teste

ſte Baronio. Ubi obſerva duo eſſe genera
A. C. Catechumenorum, ut tradit Rabanus.
385. Unum eorum, qui audiunt Conciones, & volunt fieri Chriſtiani: ſed nondum petie-
l. 1. de runt baptiſmum, & ii dicuntur *Auditores*,
inſtit. ſive *Audientes*. Ex his cæpit eſſe S. Augu-
clericor. ſtinus, cum relictis Manichæis, ſtatuit tam diu eſſe Catechumenus in Catholica Eccleſia, donec aliquid certi eluceret, ut ait
l. 5. c. 14. ſupra. Alii petunt Baptiſmum, certi nimirum de fide amplectenda, & dicuntur *Competentes*, ſeu *Electi*. Inter hos S. Auguſtinum nomen ſuum mox profeſſum eſſe, ubi Catholicam veritatem penitus perſpectam habuit, veriſimile eſt. Videtur verò hæc ejus ad Fidem perfecta converſio, contigiſſe eodem anno, quo divinæ vocis admonitu, & lectione S. Pauli ad contemptum ſeculi, & amplectenda conſilia Evangelica, converſus fuit, de quo infra. Id vero con-
c. 12. c. tigit anno ætatis ejus trigeſimo primo,
7. Ba- Chriſti 385. Sirici Papæ 2. Valentin. 10.
ron. ib. Theodoſii 7.

(b) *Ad Simplicianum*) egregiæ eruditionis & ſpectatæ probitatis virum, Romanæ antehac Eccleſiæ presbyterum, quem S. Damaſus Papa decem annis ante converſionem S. Auguſtini, Mediolanum miſerat: ut S. Ambroſium recens e Catechumeno Eccleſiæ illius Epiſcopum electum, conſilio & doctrina adjuvaret, quem ideo *Patrem in accipienda gratia Epiſcopi Ambroſii, quia eum vere, ut Patrem diligebat*, S. Auguſtinus appellat. Cui eidem, cum S. Ambroſio in Epiſcopatu Mediolanenſi ſucceſſiſſet, duos libros de variis quæſtionibus
to. 4. ap. l. 1. ret. inſcripſit.

(c) *Jam non eram in illa vanitate*) Manichæorum, quorum ſomnia de Deo dudum abiecerat.

(d) *In hoc quoque incideram*) Platonicos, genus hominum ſuperbum V. dicta ſupra.

USUS.

USUS.

1. Excitat S. D. nos ad gratitudinem pro beneficio converſionis, quo erepti ſumus de profundo peccatorum. Ingratus eſt Deo, qui non quotidie, pro tanta gratia illi gratias agit.

2. Oſtendit ſuo exemplo: deliberationem de ſtatu vitæ, non eſſe ſine conſilio temere ſuſcipiendam. Qua in re conſultor ille eſt optimus, qui S. Simpliciano quam ſimilliſimus. Talis nempe, qui ſit *bonus Dei ſervus, in quo luceat gratia Dei, qui in ſtudio ſectandæ viæ crucis multa ſit expertus*. Tales non ſunt ſeculares & cognati, aliique homines vani, qui deterius de rebus ſpiritualibus & negotio vocationis judicant, quam cæci de coloribus.

3. S. Auguſtinus una cum veteri Eccleſia, non dubitabat conſilium Evangelicæ caſtitatis, datum eſſe a Chriſto, explicatum & commendatum ab Apoſtolo Paulo, melior veriorque Scripturæ interpres, quam Lutherus & Calvinus, Qui caſtitatem Evangelicam nimis impudenter auſi ſunt ex Eccleſia proſcribere. *Mat. 14. 1. Cor. 7.*

CAPUT II.

Simplicianum ſibi gratulatum, de lectis Platonicorum libris, & illuſtre exemplum Victorini illorum interpretis, ad perſuadendam Chriſti humilitatem propoſuiſſe.

1. PErrexi ergo ad Simplicianum, patrem in accipienda gratia tua tunc Epiſcopi Ambroſii, quem vere, ut patrem diligebat. Narravi ei circuitus erroris mei. Ubi autem commemoravi, legiſſe me quoſdam libros Platonicorum, quos (*a*) Victorinus quondam Rhetor urbis Romæ, quem Chriſtianum defunctum eſſe audieram, in la-

latinam linguam tranſtuliſſet : gratulatus eſt mihi, quod non in aliorum philoſophorum ſcripta incidiſſem, plena fallaciarum
Col.2.8. & deceptionum *ſecundum elementa hujus mundi* : in iſtis autem omnibus modis inſinuari Deum, & ejus verbum. Deinde, ut me exhortaretur ad humilitatem Chriſti ;
Mat.11. 25. *ſapientibus abſconditam, & revelatam parvulis*, Victorinum ipſum recordatus eſt, quem, Romæ cum eſſet, familiariſſime noverat ; deque illo mihi narravit, quod non ſilebo.

2. Habet enim magnam laudem gratiæ tuæ confitendam tibi, quemadmodum ille doctiſſimus ſenex, & omnium liberalium doctrinarum peritiſſimus : quique philoſophorum tam multa legerat, & dijudicaverat, & dilucidaverat : doctor tot nobilium ſenatorum, qui etiam ob inſigne præclari magiſterii, quod cives hujus mundi eximium putant, ſtatuam in Romano foro meruerat, & acceperat ; uſque ad illam ætatem venerator idolorum, ſacrorumque ſacrilegorum particeps, quibus tunc tota fere Romana nobilitas inflata ſpirabat, populuſque etiam, (*b*) omnigenum Deum monſtra, & Anubem latratorem, quæ aliquando contra Neptunum & Venerem, contraque Minervam tela tenuerant, & a ſe victis jam Roma ſupplicabat : quæ iſte ſenex Victorinus tot annos, ore terricrepo defenſitaverat : non erubuerit eſſe puer Chriſti tui, (*c*) & infans fontis tui, ſubjecto collo ad humilitatis jugum, & edomita fronte ad crucis opprobrium.

Pſ. 143. 6. 3. O Domine Domine, qui *inclinaſti cœlos, & deſcendiſti : tetigiſti montes, & fumi-*

fumigaverunt: quibus modis te insinuasti illi pectori? Legebat, sicut ait Simplicianus, Sacram Scripturam, omnesque Christianas scripturas investigabat studosissime, & perscrutabatur; & dicebat Simpliciano non palam, sed secretius & familiarius: *Noveris me jam esse Christianum*. Et respondebat ille: *Non credam, nec deputabo te inter Christianos, nisi in Ecclesia Christi te videro.* Ille autem irridebat eum, dicens: *Ergo parietes faciunt Christianos?* Et hoc sæpe dicebat, jam se esse Christianum. Et Simplicianus illud sæpe respondebat: & sæpe ab illo parietum irrisio repetebatur. Amicos enim suos verebatur offendere superbos dæmonicolas, quorum ex culmine Babylonicæ dignitatis, quasi ex *cedris Libani*, quas nondum contriverat Dominus, graviter ruituras in se inimicitias, arbitrabatur. *Ps.* 28. 5.

4. Sed posteaquam legendo & inhiando hausit firmitatem, timuitque *negari a Christo, coram Angelis sanctis, si eum timeret coram hominibus confiteri*, reusque sibi magni criminis apparuit, erubescendo de sacramentis humilitatis Verbi tui, & non erubescendo de sacris sacrilegis superborum dæmoniorum, quæ imitator superbus acceperat: depuduit vanitati, & erubuit veritati, subitoque & inopinatus ait, Simpliciano, ut ipse narrabat: *Eamus in Ecclesiam, Christianus volo fieri*. At ille non se capiens lætitia, perrexit cum eo. Ubi autem imbutus est primis institutionum sacramentis, non multo post etiam nomen dedit: ut per baptismum regeneraretur, mirante Roma, *Mat.* 10 32.

ma, gaudente Ecclesia. *Superbi videbant,*
Ps. 111. 10. *& irascebantur; dentibus suis stridebant, & tabescebant.* Servo autem tuo, Dominus Deus erat spes ejus, & *non respiciebat in vanitates & insanias mendaces.*
Ps. 39. 5.

5. Denique, ut ventum est ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis, conceptis retentisque, memoriter de loco eminentiore, in conspectu populi fidelis, Romæ reddi solet ab eis, qui accessuri sunt ad gratiam tuam: oblatum esse dicebat Victorino a presbyteris, ut secretius redderet, sicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat: illum autem maluisse salutem suam in conspectu sanctæ multitudinis profiteri. Non enim erat salus in Rhetorica, quam docebat, & tamen eam publice professus erat. Quanto minus ergo vereri debuit mansuetum gregem tuum, pronuncians Verbum tuum: qui non verebatur in verbis suis, turbas insanorum?

6. Itaque ubi ascendit, ut redderet, omnes sibimet invicem, quisque ut eum noverat, instrepuerunt nomen ejus strepitu congratulationis (quis autem ibi non eum noverat?) & sonuit presso sonitu per ora cunctorum collætantium, *Victorinus, Victorinus*. Cito sonuerunt exultatione, quia videbant eum: & cito siluerunt intentione, ut audirent eum. Pronunciavit ille fidem veracem præclara fiducia, & volebant eum omnes rapere intro in cor suum: & rapiebant amando, & gaudendo: Hæ rapientium manus erant.

NOTÆ.

(a) *Victorinus quondam Rhetor urbis Romæ*) de

de quo S. Hieronymus ſcribit *natione Afrum fuiſſe, & Romæ ſub Conſtantino Principe Rhetoricam docuiſſe, ac in extrema demum ſenectute Chriſtianum factum. Libros vero ab eo ſcriptos adverſus Arianos, & commentarios in Epiſtolas S. Pauli, ſed non ſatis dilucide ac plane, quia occupatus eruditione ſecularium literarum, Scripturas ſanctas ignorabat. Nemo vero, quamvis eloquens, de eo bene diſputare poteſt, quod neſcit*, ut ait idem S. Hieronymus, qui expreſſo prænomine, eum C. Marium Victorinum appellat. l. de Scriptor. Eccl.

(b) *Omnigenum Deum monſtra*,) nam ut ait S. Leo *cum Roma pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſerviebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem*. Quam autem imprudenter victis a ſe Diis Romani ſupplicarent, eleganter S. D. oſtendit Sonat vero *Anubis* lingua Ægyptia *canem*, ſub cujus forma illos coluiſſe Mercurium ſcribit Servius in illud Æncid. 8. *Omnigenumque Deum monſtra, & latrator Anubis*; alii aliter fabulantur. Diodorus enim l. 4. Filium Oſiridis facit, qui patrem, in peregrinatione ſecutus, canis imagine pro inſignibus uſus eſt. in epiſt. Pauli ad Gal. l. 1. de civ. Dei c. 3.

(c) *Infans fontis tui*) infantem vocat, quia velut recens natus infans, ex fonte ſacri baptiſmatis novus homo prodiit.

U S U S.

Docet Victorinus illuſtri exemplo, publicam fidei profeſſionem non erubeſcere, & potius Deum, quam homines timere.

C A P. III.

Majus gaudium eſſe inventis, aut redditis, aut periculo ereptis rebus caris, quam ſi nunquam amiſſæ, aut ſemper extra periculum fuiſſent.

1. DEus bone, quid agitur in homine, ut plus gaudeat de ſalute deſperatæ

ratæ animæ, & de majore periculo liberatæ: quam si spes ei semper affuisset, aut periculum minus fuisset! Etenim tu quoque misericors pater,(a)plus gaudes *de uno pœnitente, quam de nonaginta novem justis, quibus non est opus pœnitentia.* Et nos cum magna incunditate audimus, cum audimus, quam exultantis pastoris humeris reportetur ovis, quæ erraverat: & drachma referatur in thesauros tuos, collætantibus vicinis mulieri, quæ invenit: Et lacrymas excutit gaudium solennitatis domus tuæ, cum legitur in domo tua de minore filio, *quoniam mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est.* Gaudes quippe in nobis, & in Angelis tuis, sancta caritate sanctis. Nam tu semper idem, qui ea, quæ non semper, nec eodem modo sunt, eodem modo semper nosti omnia. Quid ergo agitur in anima, cum amplius delectatur inventis aut redditis rebus, quas diligit, quam si eas semper habuisset? Contestantur enim & cetera, & plena sunt omnia testimoniis clamantibus: ita est.

Luc.15. 7.

Luc.15. 24.

2. Triumphat victor Imperator: & non viciisset, nisi pugnavisset. Et quanto majus periculum fuit in prælio, tanto majus est gaudium in triumpho. Jactat tempestas navigantes, minaturque naufragium, omnes futura morte pallescunt. Tranquillatur cœlum & mare, & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger est carus, & vena ejus malum renuntiat: omnes qui eum salvum cupiunt, ægrotant simul animo. Fit ei recte, & nondum ambulat pristinis viribus: &

fit

fit jam tale gaudium, quale non fuit, cum antea ſalvus & fortis ambularet.

3. Eaſque ipſas voluptates humanæ vitæ, etiam non inopinatis, & præter voluntatem irruentibus, ſed inſtitutis & voluntariis moleſtiis, homines acquirunt. Edendi & bibendi voluptas nulla eſt, niſi præcedat eſuriendi & ſitiendi moleſtia. Et ebrioſi quædam ſalſiuſcula comedunt, quo fiat moleſtus ardor: quem dum extinguit potatio, fit delectatio. Et inſtitutum eſt, ut jam pactæ ſponſæ non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiraverit ſponſus dilatam. Hoc in turpi & execranda lætitia; hoc in ea, quæ conceſſa & licita eſt; hoc in ipſa ſinceriſſima honeſtate amicitiæ; hoc in eo, qui mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus eſt. Ubique majus gaudium, moleſtia majori præceditur. *Luc. 15. 35.*

4. Quid eſt hoc Domine Deus meus, cum tu æternum tibi tu ipſe ſis gaudium, & quædam de te circa te, ſemper gaudeant? Quid eſt, quod hæc rerum pars alternat defectu, & profectu, offenſionibus, & conciliationibus? An is eſt modus earum, & tantum dediſti eis, cum a ſummis cœlorum uſque ad ima terrarum, ab initio uſque in finem ſeculorum, ab Angelo uſque ad vermiculum, a motu primo uſque ad extremum: omnia genera bonorum, & omnia juſta opera tua, ſuis quæque ſedibus locares, & ſuis quæque temporibus ageres? Hei mihi, quam excelſus es in excelſis, & quam profundus es in profundis! & nuſquam recedis, & vix redimus ad te.

NO-

NOTÆ.

1.p.q.21. a.4. ad 4. (a) *Plus gaudes de Uno pœnitente*) pulcre S. Thomas, *sive sint innocentes* inquit, *sive pœnitentes: illi sunt magis* Deo *dilecti, qui plus habent de gratia. Ceteris tamen paribus innocentia dignior est, & magis dilecta. Dicitur tamen Deus plus gaudere de pœnitente quam de innocente, quia plerumque pœnitentes cautiores, humiliores, & ferventiores resurgunt. Unde Gregorius dicit: quod dux in prælio eum militem plus diligit, qui post fugam conversus fortiter hostem premit, quam qui nunquam fugit, nec unquam fortiter fecit. Vel alia ratione, quia æquale donum gratiæ, plus est comparatum pœnitenti, qui meruit pœnam, quam innocenti, qui non meruit. Sicut centum marcha majus donum est, si detur pauperi, quam si detur regi.*

homil. 34. in Evang. (b) *An is est modus earum?* Causam alternantis lætitiæ post pericula, & tristitiæ in periculis, S.D. bene refert in naturæ creatæ inutabilitatem. Cui illud addi potest, amorem qui securitate remittitur, periculis acui & intendi. Quare cum periclitari advertimus id, quod amamus, depulso periculo magis hilarescimus, majusque gaudium sentimus: quia vehemens metus, torpescentem veluti amorem excitavit.

CAP. IV.

Conversionem hominum magnæ autoritatis, qualis erat Victorinus, plus gaudij afferre, tum quia multis noti sunt, tum quia exemplo suo plus prosunt.

1. AGe Domine, & fac; excita & revoca nos; accende, & rape; flagra, dulcesce; jam amemus, & curramus. Nonne multi ex profundiore tartaro cæcitatis, quam Victorinus, redeunt ad te: & accedunt, & illuminantur recipientes lumen? quod si qui recipiunt, accipiunt a te potestatem,

ut

ut filij tui fiant. Sed ſi minus noti ſunt populis, minus de illis gaudent, etiam qui noverunt eos. Quando enim cum multis gaudetur, & in ſingulis uberius eſt gaudium: quia ferveſaciunt ſe, & inflammantur ex alterutro. Deinde quod multis noti, multis ſunt autoritati ad ſalutem, & præeunt ſecuturis. Ideoque multum de illis, & qui eos præceſſerunt lætantur: quia non de ſolis lætantur. Abſit enim, ut in tabernaculo tuo præ pauperibus accipiantur perſonæ divitum, aut præ ignobilibus nobiles: quando potius *infirma mundi elegiſti, ut confunderes fortia, & ignobilia hujus mundi elegiſti, & contemptibilia, & ea quæ non ſunt, tanquam quæ ſunt, ut ea, quæ ſunt evacuares.* 1.Cor.1.

2. Et tamen idem ipſe minimus Apoſtolorum tuorum, per cujus linguam tu iſta verba ſonuiſti, cum Paulus proconſul per ejus militiam debellata ſuperbia, ſub leve jugum Chriſti tui miſſus eſſet, regis magni provincialis effectus, ipſe quoque (*a*) ex priore Saulo, Paulus vocari amavit, ob tam magnæ inſigne victoriæ. Plus enim hoſtis vincitur in eo, quem plus tenet, & de quo plures tenet. Plus autem ſuperbos tenet nomine nobilitatis, & de his plures nomine auctoritatis. Quanto igitur gratius cogitabatur Victorini pectus, quod tanquam inexpugnabile receptaculum diabolus obtinuerat. Victorini lingua, quo telo grandi & acuto multos peremerat:

tan-

tanto abundantius exultare oportuit filios tuos, quia rex noster alligavit fortem: & videbant vasa ejus erepta mundari, & aptari in honorem tuum, & fieri utilia domino, ad omne opus bonum.

Mat.22.

NOTÆ.

(a) *Ex priore Saulo Paulus vocari amavit*) Varias sententias, cur Apostolus assumpserit nomen Pauli, cum ante vocaretur Saulus, vide apud Baron. S. Augustinus hic censet, id nomen ab Apostolo adscitum, tanquam insigne victoriæ, postquam Proconsulem Sargium Paulum, Christo adjunxerat. Certe cum ab illo tempore, primum inveniatur Paulus appellatus, nec posthac aliquando nomine alio, quam Pauli sit dictus, admodum verisimile est, tunc illi Pauli nomen fuisse inditum, in memoriam tam insignis conversionis Pauli Proconsulis, & in humilitatis documentum: nam Paulus idem est, quod parvus, & memoria tam nobilis victoriæ tum Apostolum ipsum, tum alios fideles ad Dei laudes excitare potuit.

to.1. A. C. 36.

Actor. 13.

USUS.

Ostendit S. D. inter Christianos nullam aliam esse debere causam, præponendi homines claros & nobiles, obscuris & plebeiis, quam quia exemplo & autoritate, tales plus prosunt Ecclesiæ Dei, quam alij.

CAP. V.

Exarsisse se in imitationem Victorini, sed violentiam concupiscentiæ & pravæ consuetudinis, nondum potuisse superare.

1. SEd ubi mihi homo tuus Simplicianus, de Victorino ista narravit, exarsi ad imitandum. Ad hoc enim & ille narraverat. Postquam vero & illud addidit, quod (*a*) Imperatoris Juliani temporibus, lege data prohibiti sunt

ſunt Chriſtiani docere literaturam & oratoriam : quam legem ille amplexus, loquacem ſcholam deſerere maluit, quam verbum tuum, quo *linguas infantium facis diſertas*, non mihi fortior, quam felicior viſus eſt', quia invenit occaſionem vacandi tibi. Cui rei ego ſuſpirabam ligatus, non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa, facta eſt libido: & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur; facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam, ſibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obſtrictum dura ſervitus. Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem Deus, ſola certa jucunditas! nondum erat idonea ad ſuperandam priorem, vetuſtate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova: illa carnalis, iſta ſpiritalis, confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam. *Sap.* 10.

2. Sic intelligebam, meo ipſo experimento, id quod legeram: quomodo *caro concupiſceret adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*. Ego quidem in utroque, ſed magis ego in eo, quod in me approbabam: quam in eo, quod in me improbabam. Ibi enim magis jam non ego, quia ex magna parte id patiebar invitus, quam faciebam volens. *Gal.* 7. 17.

lens . Sed tamen consuetudo adversus me pugnacior ex me facta erat : quoniam volens , quo nollem , perveneram . Et quis jure contradiceret , cum peccantem justa pœna sequeretur . Et non erat jam ulla excusatio , quia videri mihi solebam , propterea me nondum contempto seculo servire tibi , quia incerta mihi esset perceptio veritatis . Jam enim & ipsa certa erat . Ego autem adhuc obligatus , militare tibi recusabam : & impedimentis omnibus sic timebam expediri , quemadmodum impediri timendum est . Ita sarcina seculi , velut somno assolet , dulciter premebar , & cogitationes , quibus meditabar in te , similes erant conatibus expergisci volentium : qui tamen superati , soporis altitudine , remergunatur . Et sicut nemo est , qui dormire semper velit , omniumque sano judicio vigilare præstat : differt tamen plerumque homo somnum excutere , cum gravis torpor in membris est , eumque jam displicentem carpit libentius , quamvis surgendi tempus advenerit : Ita certum habebam , esse melius tuæ caritati me dedere , quam meæ cupiditati cedere .

3. Sed illud placebat , & vincebat : hoc libebat , & vinciebat . Non enim erat , quod tibi responderem dicenti mihi : *Surge , qui dormis , & exurge a mortuis , & illuminabit te Christus* . Eph. 5. & undique ostendenti vera te dicere : non erat omnino , quid responderem veritate convictus , nisi tantum verba len-

lenta, & ſomnolenta: Modo, ecce modo, ſine paululum. Sed modo & modo, non habebant modum: & ſine paululum, in longum ibat. Fruſtra *condelectabar legi tuæ ſecundum interiorem hominem, cum lex alia in membris meis repugnaret legi mentis meæ, & captivum me duceret in lege peccati, quæ in membris meis erat*. Lex enim peccati, eſt violentia conſuetudinis: qua trahitur & tenetur etiam invitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur. Miſerum ergo me, quis liberaret de corpore mortis hujus, niſi gratia tua, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum? *Rom. 7.*

N O T Æ.

(a) *Imperatoris Juliani temporibus lege data*) Qua vetuit ne Chriſtiani Rhetoricam & Grammaticam docerent teſte Baronio, qui ex ipſo decreti tenore evincere conatur, ſolum prohibitos Chriſtianos ab his literis docendis, non autem diſcendis. Verum cum graviſſimi autores, & ipſe quoque Auguſtinus affirment, utrumque Chriſtianis prohibitum: crediderim aliam præter eam legem a Juliano latam, qua a diſcendis his literis Chriſtiana juventus arceretur. Occaſione vero prioris edicti, plures egregii viri, & inter eos Victorinus, profeſſionem Rhetoricæ & Grammaticæ deſeruerunt amore Chriſti. *A. C. 262.* *L. 18. de civ. c. 52.*

U S U S.

1. Catena, quibus impii tenentur gravibus ſceleribus alligati, quatuor anſulis innectitur. I. Eſt *perverſa voluntas*, remiſſior tamen, cum primus actus peccati, v.g. luxuriæ patratur. II. Hinc fit *libido*, ſive incenditur pruritus concupiſcentiæ quæ poſt experientiam voluptatis, ad iterandum peccatum ſtimulat. III. Inde naſcitur *conſuetudo*, qua

animus inclinatur in vitium, quod frequentat. IV. Denique oritur *neceſſitas*, ſive tanta conſuetudinis violentia, ut inducat reſiſtendi deſperationem: quæ multos retinet in gravibus peccatis, luxuriæ, ebrietatis, acediæ. Et hoc illud *profundum eſt, in quod cum deveneris peccator, contemnit Deum & homines*, aut ſaltem fruſtra meliora probat, cum deteriora obſtinate ſequatur. Prov. 18. 3.

2. Etſi grandis ſit lucta concupiſcentiæ in eo, qui ex inveterata peccandi conſuetudine aſſurgere nititur: ea tamen non excuſat a peccato, quia homo volens in hanc difficultatem ſe conjecit, unde tenetur, & meretur eam pati. Nec abſolute invitus eſt, ſed ſolum aliquo modo, in quantum nollet peccare ac ſe inebriare, niſi illum traheret conſuetudo, occaſio, reſpectus.

3. Deterrere quemvis debet a conſuetudine gravium peccatorum, hæc ipſa miſerabilis catena: qua multi redduntur incorrigibiles, & trahuntur in infernum.

4. Ejuſmodi inveterata conſuetudo peccandi (quæ recte per antonomaſiam a S. D. *lex peccati* dicitur) non tollitur, niſi ſingulari Dei gratia: quæ ardentiſſimis precibus poſtulanda eſt ab ipſo peccatore, & illis, qui in eo corrigendo laborant.

5. Oſtendit S. D. *primum ad pœnitentiam, & emendationem gradum*, qui eſt *agnoſcere, melius eſſe Deo ſervire, quam cupiditati, & deſiderium illud faciendi concipere*. Saluberrimum erit hoc caput ſæpe perlegere; ſi quis velit ſerio pœnitere, & vitam emendare.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VI.

Ut Potitianus sibi & Alipio vitam S. Antonii, ejusque lectione duos ex aula Cæsaris conversos, item monasteriorum greges recensuerit.

1. ET de vinculo quidem desiderii concubitus, quo arctissimo tenebar: & secularium negociorum servitute, quemadmodum me exemeris, narrabo, & confitebor nomini tuo Domine, adjutor meus, & redemptor meus. Agebam solita crescente anxietudine, & quotidie suspirabam tibi. Frequentabam Ecclesiam tuam, quantum vacabat ab eis negociis, sub quorum pondere degebam. Mecum erat Alipius, ociosus ab opere jurisperitorum post assessionem tertiam, expectans quibus iterum consilia venderet: sicut ego vendebam dicendi facultatem, (*a*) si qua docendo præstari potest. Nebridius autem amicitiæ nostræ cesserat, ut omnium nostrum familiarissimo Verecundo Mediolanensi, & civi, & grammatico subdoceret, vehementer desideranti, & familiaritatis jure flagitanti, de numero nostro fidele adjutorium, quo indigebat nimis.

2. Non (*b*) itaque Nebridium cupiditas commodorum eo traxit, majora enim posset, si vellet de literis agere: sed officio benevolentiæ, petitionem nostram contemnere noluit amicus dulcissimus & mitissimus. Agebat au-

tem illud prudentiſſime, cavens innoteſcere perſonis, ſecundum hoc ſeculum majoribus: devitans in eis omnem inquietudinem animi, quem volebat habere liberum; & quam multis poſſet horis feriatum, ad quærendum aliquid, vel legendum, vel audiendum de ſapientia.

3. Quodam igitur die, non recolo cauſam, qua erat abſens Nebridius, cum ecce ad nos domum venit, ad me & Alipium, Potitianus quidam civis noſter, inquantum Afer, præclare in palatio militans, neſcio quid a nobis volebat. Et conſedimus, ut colloqueremur. Et forte ſupra menſam luſoriam, quæ ante nos erat attendit codicem, tulit, aperuit, invenit Apoſtolum Paulum inopinate ſane; putaverat enim aliquid de libris, quorum profeſſio me conterebat. Tum vero arridens, meque intuens gratulatorie, miratus eſt, quod eas, & ſolas præ oculis meis literas repente comperiſſet. Chriſtianus quippe & fidelis erat, & ſæpe tibi Deo noſtro proſternebatur in Eccleſia, crebris & diuturnis orationibus. Cui ego cum indicaſſem illis me Scripturis curam maximam impendere, ortus eſt ſermo ipſo narrante, (*c*) de Antonio Ægyptio monacho, cujus nomen excellenter olarebat apud ſervos tuos, nos autem uſque in illam horam latebat. Quod ille ubi comperit, immoratus eſt in eo ſermone, inſinuans tantum virum ignorantibus, & admirans eandem noſtram ignorantiam.

4. Stu-

4. Stupebamus autem audientes tam recenti memoria, & prope noſtris temporibus teſtatiſſima mirabilia tui, in fide recta, Catholica Eccleſia. Omnes mirabamur, & nos, quia tam magna erant, & ille, quia inaudita nobis erant. Inde ſermo ejus devolutus eſt ad monaſteriorum greges, & mores ſuaveolentiæ tuæ, & ubera deſerta eremi, quorum nos nihil ſciebamus. Et (*d*) erat Monaſterium Mediolani plenum bonis fratribus, extra urbis mœnia, ſub Ambroſio nutritore, & non noveramus. Pertendebat ille, & loquebatur adhuc, & nos intenti tacebamus. Unde incidit, ut diceret neſcio quando, ſe & tres alios contubernales ſuos, nimirum apud Treviros, cum Imperator pomeridiano Circenſium ſpectaculo teneretur, exiſſe deambulatum in hortos muris contiguos: atque illic, ut forte combinari ſpatiabantur, unum ſecum ſeorſum, & alios duos itidem ſeorſum, pariterque digreſſos, ſed illos vagabundos, irruiſſe in quandam caſam, ubi habitabant quidam ſervi tui *ſpiritu pauperes*, *qualium eſt regnum cœlorum*; & inveniſſe ibi codicem, in quo ſcripta erat vita Antonii. *Matth.* 5. 3.

5. Quam legere cœpit unus eorum, & mirari, & accendi: & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relicta militia ſeculari ſervire tibi. Erat autem ex eis, quos dicunt agentes in rebus. Tunc ſubito repletus amore ſancto & ſobrio pudore, iratus ſibi

conjecit oculos in amicum, & ait illi : Dic, quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris quo ambimus pervenire ? Quid quærimus ? Cujus rei cauſa militamus ? Major ne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quam ut amici Imperatoris ſimus ? Et ibi, quid non fragile, plenumque periculis ? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum ? Et quamdiu iſtud erit ? Amicus autem Dei, ſi voluero, Ecce nunc fio.

6. Dixit hoc, & turbidus parturitione novæ vitæ, reddidit oculos paginis, & legebat : & mutabatur intus, ubi tu videbas, & exuebatur mundo mens ejus, ut mox apparuit. Namque dum legit, & volvit fluctus cordis ſui, infremuit aliquando & diſcrevit, decrevitque meliora ; jamque tuus, ait amico ſuo : Ego jam abrupi me ab illa ſpe noſtra, & Deo ſervire ſtatui, & hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior : te ſi piget imitari, noli adverſari. Reſpondit ille, adhærere ſe ſocio tantæ mercedis tantæque militiæ. Et ambo jam tui, ædificabant turrim ſumptu idoneo, relinquendi omnia ſua, & ſequendi te. Tunc Potitianus, & qui cum eo per alias horti partes deambulabant, quærentes eos, devenerunt in eundem locum ; & invenientes admonuerunt, ut redirent, quod jam declinaſſet dies. At illi narrato placito, & propoſito ſuo, quoque modo in eis talis voluntas orta eſſet, atque firmata : petiverunt, ne ſibi moleſti eſſent, ſi ad-

adjungi recuſarent . Iſti autem nihilo mutati a priſtinis , fleverunt ſe tamen , ut dicebat , atque illis pie congratulati ſunt , & commendaverunt ſe orationibus eorum , & trahentes cor in terra , abierunt in palatium . Illi autem affigentes cor cœlo , manſerunt in caſa . Et ambo habebant ſponſas , quæ poſteaquam hoc audierunt dicaverunt etiam ipſæ virginitatem tibi . Narrabat hæc Potitianus .

N O T Æ.

(a) *Si qua docendo præſtari poteſt*) Nam ut S.D. alibi ait , *ſi deſit ingenium , nec illa Rhetoricæ præcepta capiuntur , nec ſi magno labore inculcata , quantulacunque ex parte capiantur , proſunt . Si vero acutum & fervens adſit ingenium , facilius adhæret eloquentia legentibus & audientibus eloquentes , quam eloquentiæ præcepta ſectantibus* . Refert ibid. S. D. Ciceronis ſententiam : hanc artem , niſi quis cito poſſit , nunquam omnino poſſe perdiſcere . *L.4. de doctrin. Chr.c.3.* *l.de oratore.*

(b) *Non itaque Nebridium*) Ardentiſſimus Sapientiæ & veritatis indagator fuit Nebridius , eique ſtudio tempus omne a negotiis vacuum dedit . Qui ut S. D. alibi ait , *cum eſſet rerum obſcurarum , ad doctrinam pietatis maxime pertinentium , diligentiſſimus & acerrimus inquiſitor , valde oderat de quæſtione magna reſponſionem brevem . Et quiſquis hoc propoſciſſet , ægerrime ferebat , eumque ſi ejus perſona pateretur , vultu indignabundus & voce cohibebat : indignum reputans , qui talia quæreret , cum de re tanta , quam multa dici poſſent deberent ve , neſciret* . *Ep. 23.*

(c) *De Antonio Ægyptio Monacho*) Qui nobili genere natus cum adoleſcens Eccleſiam ingreſſus ex Evangelio audiviſſet : *ſi vis perfectus eſſe , vade & vende omnia , quæ habes* &c. tanquam ſibi dicta eſſent , omnibus relictis Chriſtum nudum ſecutus eſt , & vitam *Matth. 19. 21.*

ſolitariam profeſſus. Ejus vitam ſcripſit S. Athanaſius.

(d) *Erat monaſterium Mediolani*) In quo Jovinianus cum collegis impietatis, aliquandiu delituit, ſub nomine Catholico, & habitu pietatis. Sed ſacroſanctum illud ſpectatæ diſciplinæ, laudatæque obſervantiæ habitaculum, brevi inſtar maris expuit, hæc latentia ibi cadavera, ut ait Baron.

A. C. 382.

U S U S.

1. Familiaritas & notitia magnatum, inquietudinem animi parit, & a ſtudio Sapientiæ avocat: ideoque cum Nebridio, aut omnino fugienda eſt, aut certe, quantum fieri poteſt, declinanda.

2. Qui cum S. Auguſtino in gravibus ſceleribus diu jacuerunt, diſcant ab illo frequentare Eccleſias, & ſuſpiria in ſuis orationibus ad Deum mittere, ut eruantur a deſideriis malis & ſervitute ſeculi.

3. Habent aulici quoque documenta, quibus ſalutem in aula reperiant. I. exemplo Potitiani ſæpe Deo proſternantur in Eccleſia, crebris & diuturnis orationibus. Nec putent a ſtatu ſuo alienum, frequentare templa. II. Cum eodem Potitiano pia colloquia miſceant: nec putent officii ſui eſſe ſcurrilia, noxia, vana, falſa in medium adducere. III. Meminerint ſe in aulis & palatiis majus ſperare nihil poſſe, quam ut amici principum ſint, eorumque gratia ad opes & honores perveniant. Caveantque ne per multa pericula rerum temporalium, incidant in majus periculum ſalutis æternæ. IV. Quando in obſequiis principum, multas ſæpe horas otioſi adſtare, vel obambulare coguntur; ſalutare ſibi negotium, ipſimet procurent lectione boni libelli, ut inde incitentur ad cor ſuum cœlo affigendum.

4. Admirare gratiæ divinæ efficaciam, quæ duos hos magnates tam repente immutavit, & judicii divini profunditatem, ſecundum quod, placitum & propoſitum illorum

au-

audiens Potitianus, cum ſuis illos ſecurus non eſt. Multi eadem audiunt, & diverſa faciunt.

5. Diſcite Sectarii Monaſteria & vitæ Monaſticæ profeſſionem jam olim in Eccleſia viguiſſe, temporibus Antonii, Ambroſii, Auguſtini. Non eſt commentum hoc Pontificiorum.

CAP. VII.

Hac Potitiani narratione ſe confuſum, quod duodecim annis, contemptum felicitatis terrenæ diſtuliſſet, & veritate agnita etiamnum cunctaretur.

1. TU autem Domine, inter verba ejus retorquebas me ad meipſum, auferens me a dorſo meo, ubi me poſueram, dum nollem me attendere: & conſtituebas me ante faciem meam, ut viderem, quam turpis eſſem, & quam diſtortus, ſordidus, & maculoſus, & ulceroſus. Et videbam, & horrebam, & quo a me fugerem, non erat. Et ſi conabar a me avertere aſpectum, narrabat ille, quod narrabat. Et tu me rurſus opponebas mihi, & impingebas me in oculos meos, ut invenirem iniquitatem meam & odiſſem. Noveram eam, ſed diſſimulabam, & connivebam, & obliviſcebar. Tunc vero, quanto ardentius amabam illos, de quibus audiebam ſalubres affectus, quod ſe totos tibi ſanandos dederant: tanto execrabilius me comparatum eis oderam. Quoniam multi mei anni mecum efluxerant, forte duodecim anni, ex quo

ab undeviceſimo anno ætatis meæ, lecto Ciceronis Hortenſio, excitatus eram ſtudio ſapientiæ: & differebam, contempta fœlicitate terrena, ad eam inveſtigandam vacare, cujus non inventio, ſed vel ſola inquiſitio jam præponenda erat, etiam inventis theſauris regniſque gentium, & ad nutum circunfluentibus corporis voluptatibus.

2. At ego adoleſcens miſer valde, miſer in exordio ipſius adoleſcentiæ, etiam petieram a te caſtitatem, & dixeram: Da mihi caſtitatem, & continentiam, ſed noli modo. Timebam enim ne me cito exaudires, & cito ſanares a morbo concupiſcentiæ: quam malebam expleri quam extingui. Et jeram per vias pravas ſuperſtitione ſacrilega, non quidem certus in ea, ſed quaſi præponens eam cæteris, quæ non pie quærebam, ſed inimice oppugnabam. Et propterea putaveram me differre de die in diem, contempta ſpe ſeculi te ſolum ſequi: quia non mihi apparebat certum aliquid, quo dirigerem curſum meum. Et venerat dies, quo nudarer mihi, & increparet me conſcientia mea.

3. Ubi es lingua? Nempe tu dicebas propter incertum verum, nolle te abjicere ſarcinam vanitatis. Ecce jam certum eſt, & illa te adhuc premit, humeriſque liberioribus pennas recipiunt, qui neque ita inquirendo attriti ſunt, nec decennio & amplius, iſta meditati. Ita rodebar intus, & confundebar pudore horribili vehementer, cum Poti-

tia-

tianus talia loqueretur. Terminato autem ſermone & cauſa, qua venerat, abiit ille. Et ego ad me: quæ non in me dixi? quibus ſententiarum verberibus non flagellavi animam meam, ut ſequeretur me conantem poſt te ire? Et renitebatur, recuſabat, & ſe non excuſabat. Conſumpta erant & convicta argumenta omnia. Remanſerat muta trepidatio, & quaſi mortem reformidabat, reſtringi a fluxu conſuetudinis, quo tabeſcebat in mortem.

USUS.

1. Elucet, quantam utilitatem habeat lectio & narratio eorum, quæ Sancti geſſerunt. Certe S. Auguſtinus ſeculi contemptum, & libidinis victoriam, exemplis Victorini, Antonii, & duorum illorum magnatum debet, his Deus facibus in illo amorem rerum cœleſtium accendit. *Et hunc ſecundum illius ad ſeculi contemptum, gradum* puto fuiſſe, *audire & admirari exempla Sanctorum.*

2. Recogita, quot tu annis differas vitæ emendationem, non ſolum duodecim cum S. Auguſtino, ſed triginta, quadraginta! non poſt lectionem Hortenſii, ſed Evangelii, poſt tot monita, tot ſtimulos, tot exempla & occaſiones. Erubeſce ac ingemiſce.

CAP. VIII.

In hortum una cum Alipio ſe diſceſſiſſe indignantem, quod nondum Deo vellet ſervire, cum ipſum hoc fortiter velle, ſit poſſe & facere.

1. TUm in illa grandi rixa interioris domus meæ, quam fortiter excitaveram cum anima mea, in cubiculo

lo noſtro, corde meo: tam vultu quam mente turbatus, invado Alipium, & exclamo: Quid patimur? Quid eſt hoc? quid audiſti? Surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce ubi volutamur in carne, & ſanguine? An quia præceſſerunt, pudet ſequi, & non pudet nec ſaltem ſequi? Dixi nescio quæ talia: & abripuit me ab illo æſtus meus, cum taceret, attonitus me intuens. Neque enim ſolita ſonabam: plus loquebantur animum meum, frons, genæ, oculi, color, modus vocis quam verba, quæ promebam.

2. Hortulus quidam erat hoſpitii noſtri, quo nos utebamur, ſicut tota domo. Nam hoſpes ibi non habitabat dominus domus. Illuc me abſtulerat tumultus pectoris, ubi nemo impediret ardentem litem, quam mecum aggreſſus eram, donec exiret, qua tu ſciebas, ego autem non. Sed tantum inſaniebam ſalubriter, & moriebar vitaliter: gnarus quid mali eſſem, & ignarus quid boni poſt paululum futurus eſſem. Abſceſſi ergo in hortum, & Alipius pedem poſt pedem. (Neque enim ſecretum meum non erat, ubi ille aderat; aut quando me ſic affectum deſereret? Sedimus, quantum potuimus, remoti ab ædibus. Ego fremebam ſpiritu, indignans turbulentiſſima indignatione, quod non irem in placitum & pactum tecum Deus meus, in quod eundum eſſe omnia oſſa clamabant, & in cœlum tol-

tollebant laudibus. Et non illuc ibatur navibus, aut quadrigis, aut pedibus, quantum ſaltem de domo in eum locum jeram, ubi ſedebamus.

3. Nam non ſolum ire, verum etiam pervenire illuc, nihil erat aliud, quam velle ire; ſed velle fortiter & integre; non ſemiſauciam hac atque hac verſare, & jactare voluntatem, hac parte aſſurgentem, cum alia parte cadente luctantem. Denique tam multa faciebam corpore, in ipſis cunctationis æſtibus, quæ aliquando volunt homines, & non valent, ſi aut ipſa membra non habeant, aut ea vel colligata vinculis, vel reſoluta languore, vel quoquo modo impedita ſint. Si evulſi capillum, ſi percuſſi frontem, ſi conſertis digitis amplexatus ſum genu, quia volui, feci. Potui autem velle, & non facere, ſi mobilitas membrorum non obſequeretur. Tam multa ergo feci, ubi non hoc erat velle, quod poſſe: & non faciebam, quod & incomparabili affectu amplius mihi placebat: & mox ut vellem, poſſem, quia mox, ut vellem, utique vellem. Ibi enim facultas ea, quæ voluntas, & ipſum velle, jam facere erat, & tamen non fiebat. Faciliuſque obtemperabat corpus tenuiſſimæ voluntati animæ, ut ad nutum membra moverentur, quam ipſa ſibi anima ad voluptatem ſuam magnam, in ſola voluntate perficiendam.

USUS.

USUS.

1. Cum legis vel audis vitam SS. ſæpe tibi inculca: Quid audiſti? quid legiſti? Surgunt indocti, ignobiles, pauperes, contempti, & cælum rapiunt: & nos cum doctrinis, familiis, divitiis, honoribus noſtris, ſine corde, ecce ubi voluramur?

2. Indignatio *animi frementis adverſus ſeipſum, quod non eat in placitum divinum*, indicium eſt bonæ mentis. Quæ incitanda eſt, tum hoc ipſo exemplo celerrimi obſequii, quod præſtat corpus animo, ut indignum ſit animum non obtemperare ſibi; tum alacritate, qua aulici ſuis principibus, ducibus milites, ad minimum nutum morem gerunt.

3. Fortiter velle & integre, eſt pervenire ad virtutem & perfectionem. Sed quia pauci ita volunt, ut non ſimul nolint, hinc pauci ſerio ſe convertunt ad ſtudium perfectionis. Tu Deus, qui inchoas velle noſtrum, conſuma illud, ut fiat integrum, & ſufficiat omnibus difficultatibus ſuperandis.

CAP. IX.

Idco ſtatim fieri, quod imperat voluntas corpori, quia ex toto vult; non autem fieri, quod ipſa imperat, quia non ex toto vult.

1. UNde hoc monſtrum? & quare iſtud? Luceat miſericordia tua, & interrogem, ſi forte mihi reſpondere poſſint latebræ pœnarum hominum, & tenebroſiſſimæ contritiones filiorum Adam. Unde hoc monſtrum, & quare iſtud? Imperat animus corpori, & paretur ſtatim: imperat animus ſibi, & reſiſtitur. Imperat animus, ut moveatur manus, & tanta eſt facilitas, ut vix a ſer-

a ſervitio diſcernatur imperium. Et animus animus eſt, manus autem corpus eſt. Imperat animus, ut velit animus, nec alter eſt, nec facit tamen. Unde hoc monſtrum, & quare iſtud? Imperat, inquam, ut velit, qui non imperaret, niſi vellet: & non fit, quod imperat.

2. Sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat. Nam in tantum imperat, in quantum vult: & in tantum non fit, quod imperat, in quantum non vult. Quoniam voluntas imperat, ut ſit voluntas, nec alia, ſed ipſa. Non utique plena imperat: ideo non eſt, quod imperat. Nam ſi plena eſſet, nec imperaret ut eſſet, quia jam eſſet. Non igitur monſtrum, partim velle, partim nolle: ſed ægritudo animi eſt, quia non totus aſſurgit veritate ſublevatus, conſuetudine prægravatus. Et ideo ſunt duæ voluntates, quia una earum tota non eſt, & hoc adeſt alteri, quod deeſt alteri.

U S U S

Rogandus medicus cæleſtis, ut ſanet ægritudinem voluntatis, partim volentis, partim nolentis. Volumus bonum, imo non volumus, ſed vellemus ſi arduum non eſſet: & hæc Velleitas, eſt voluntas inefficax. Non ſanatur vero hæc ægritudo niſi per gratiam Dei, meditationem rerum cæleſtium, & ingentem violentiam. Tunc voluntas ſana eſt, cum efficax eſt ad bonum.

CAP.

CAP. X.

Contrarias voluntates non duas naturas in homine arguere, ſed unam eandemque animam, diverſis voluntatibus æſtuantem.

1. PEreant a facie tua Deus, ſicuti pereunt vaniloqui & mentis ſeductores; qui cum duas voluntates in deliberando animadverterint, (*a*) duas naturas duarum mentium eſſe aſſeverant, unam bonam, alteram malam. Ipſi vere mali ſunt, cum iſta mala ſentiunt; & iidem ipſi boni erunt, ſi vera ſenſerint, veriſque conſenſerint; ut dicat eis Apoſtolus tuus: *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Illi enim, volunt eſſe lux, non in Domino, ſed in ſeipſis, purando animæ naturam hoc eſſe, quod Deus eſt. Ita facti ſunt denſiores tenebræ, quoniam longius a te receſſerunt horrenda arrogantia, a te *vero lumine, illuminante omnem hominem venientem in hunc mundum*. Attendite, quid dicatis, & erubeſcite; & *accedite ad eum, & illuminamini, & vultus veſtri non erubeſcent*. Ego cum deliberabam, ut jam ſervirem Domino Deo meo, ſicut diu diſpoſueram; ego eram, qui volebam, ego eram, qui nolebam. Ego ego eram, nec plene volebam, nec plene nolebam. Ideo mecum contendebam; & diſſipabar a meipſo. (*b*) Et ipſa diſſipatio, me invito quidem fiebat:

Eph. 5. 8.

Jo. 1. 10.

Pſ. 33. 6.

bat : nec tamen oſtendebat naturam mentis alienæ , ſed pœnam meæ . *Et ideo , jam non ego operabar illam , ſed quod habitabat in me peccatum* , de ſupplicio liberioris peccati : quia eram filius Adam . (*c*) Nam ſi tot ſunt contrariæ naturæ , quot voluntates ſibi reſiſtunt : non jam duæ , ſed plures erunt . *Rom. 7. 15.*

2. Si deliberet quiſquam , utrum ad conventiculum eorum pergat , an ad theatrum , clamant iſti : Ecce duæ naturæ , una bona hac ducit , altera mala illac reducit . Nam unde iſta cunctatio ſibimet adverſantium voluntatum ? Ego autem dico ambas malas , & quæ ad illos ducit , & quæ ad theatrum reducit . Sed non credunt niſi bonam eſſe , quæ itur ad eos . Quid ſi ergo quiſquam noſtrum deliberet , & ſecum altercantibus duabus voluntatibus fluctuet , utrum ad theatrum pergat , an ad Eccleſiam noſtram ; nonne & iſti , quid reſpondeant , fluctuabunt ? Aut enim fatebuntur , quod nolunt , bona voluntate pergi in Eccleſiam noſtram (ſicut in eam pergunt , qui ſacramentis ejus imbuti ſunt , atque detinentur) aut duas malas naturas , & duas malas mentes in uno homine confligere putabunt : & non erit verum , quod ſolent dicere , unam bonam , alteram malam . Aut convertentur ad verum , & non negabunt , cum quiſque deliberat , animam unam diverſis voluntatibus æſtuare . Jam ergo non dicant , cum duas voluntates in homine uno adverſari ſibi ſentiunt , duas contrarias mentes de duabus contrariis

ſub-

ſubſtantiis, & de duobus contrariis principiis contendere, unam bonam, alteram malam.

3. Nam tu Deus verax improbas eos, & redaguis atque convincis eos, ſicut in utraque mala voluntate, cum quiſque deliberat, utrum hominem veneno interimat, an ferro; utrum fundum alienum, illum, an illum invadat, quando utrumque non poteſt; utrum emat voluptatem luxuria, an pecuniam ſervet avaritia; utrum ad circum pergat, an ad theatrum, ſi uno die utrumque exhibeatur; addo etiam tertium, an ad furtum de domo aliena, ſi ſubeſt occaſio; addo & quartum, an ad committendum adulterium, ſi & inde ſimul facultas aperitur; ſi omnia concurrant in unum articulum temporis, pariterque cupiantur omnia, quæ ſimul agi nequeunt.

4. Diſcerpunt enim animum ſibimet adverſantibus quatuor voluntatibus, vel etiam pluribus, in tanta copia rerum, quæ aperiuntur: nec tamen tantam multitudinem diverſarum ſubſtantiarum ſolent dicere. Ita & in bonis voluntatibus. Nam quæro ab eis, utrum bonum ſit delectari in lectione Apoſtoli, & utrum bonum ſit delectari Pſalmo ſobrio, & utrum bonum ſit Evangelium differere? Reſpondebunt ad ſingula: Bonum. Quid ſi ergo pariter delectent omnia, ſimulque uno tempore? nonne diverſæ voluntates diſtendunt cor hominis, cum deliberatur, quid potiſſimum

mum arripiamus? Et omnes bonæ ſunt, & certant ſecum, donec eligatur unum, quo feratur tota voluntas una, quæ in plures dividebatur: Ita etiam, cum æternitas delectat ſuperius, & temporalis boni voluptas retentat inferius, eadem anima eſt, non tota voluntate illud aut hoc volens; & ideo diſcerpitur gravi moleſtia, dum illud veritate præponit, hoc familiaritate non potuit.

NOTÆ.

(a) *Duas naturas duarum mentium eſſe aſſeverent*) Ex occaſione Manichæorum errorem refellit, qui, ut alibi ait, *Carnalem concupiſcentiam, qua caro concupiſcit adverſus Spiritum, non ex vitiata in primo homine natura nobis ineſſe infirmitatem, ſed ſubſtantiam volunt eſſe contrariam ſic nobis adhærentem, ut quando liberamur atque purgamur, ſeparetur a nobis, & in ſua natura etiam ipſa immortaliter vivat. Eaſque duas mentes, vel duas animas, unam bonam, alteram malam in uno homine inter ſe habere conflictum: quando caro concupiſcit adverſus Spiritum, & Spiritus adverſus carnem.* Hæreſ. 46. ad Quodvult d. Gal. 5. v. 17.

(b) *Ipſa diſſipatio me invito quidem fiebat*) Nemo enim amat æſtum rebellantis concupiſcentiæ. Sed eſt hæc pœna debita peccato originali, imo & culpis propriis, quibus pravi habitus augentur & carnis indomita libido inflammatur.

(c) *Nam ſi tot ſunt contrariæ naturæ, quot voluntates &c.*) Efficaci argumentatione elidit Manichæorum errorem, ex contrariis affectibus voluntatis non ſolum duas, ſed multo plures in eodem homine naturas concludens, non ſolum bonas & malas, ſed plures bonas, & plures malas.

USUS.

Digitized by Google

USUS.

Luc. 18. 13. Clamet peccator cum Publicano *Deus propitius esto mihi maximo peccatori*, ego sum qui volo malum, nolo bonum, ego qui inefficaciter volo bonum, & efficaciter eligo malum; delectat quidem beata æternitas superius, ideoque vellem esse bonus; sed temporalis boni voluptas retentat inferius, ideoque volo esse malus, vel certe maneo minus bonus. Etsi enim veritas trahat sursum, sensus trahit deorsum, *nam*, ut ait Gerson, *amor mundi oculis cernitur corporis, & sentitur dulcis esse ad retinendum, amarus vero ad perdendum. Amor autem Dei contra non videtur, & sentitur durus ad acquirendum, & dulcis ad dimittendum. Ecce certe durum divortium, seu partitio.*

De mense consempl. c. 21.

CAP. XI.

Imminente puncto Conversionis, se ampliorem sensisse horrorem, retinentibus hinc nugis nugarum, invitantibus inde exemplis plurimorum Dei famulorum.

1. SIc ægrotabam & excruciabar, accusans memetipsum solito acerbius nimis, ac volvens ac versans me in vinculo meo: donec abrumperetur totum, quo jam exiguo tenebar, sed tenebar tamen. Et instabas tu in occultis meis Domine, severa misericordia, flagella ingeminans timoris & pudoris, ne rursus cessarem: & non abrumperetur idipsum exiguum & tenue, quod remanserat, & revaleiceret iterum, & me robustius alligaret. Dicebam enim apud me intus: Ecce modo fiat, modo fiat.

Et

Et cum verbo jam ibam in placitum. Jam pene faciebam, & non faciebam; nec relabebar tamen in priſtina, ſed de proximo ſtabam, & reſpirabam. Et iterum conabar, & paulo minus ibi eram; & paulo minus jam jamque attingebam & tenebam: & non ibi eram, nec attingebam, nec tenebam, hæſitans mori morti, & vitæ vivere: pluſque in me valebat deterius inolitum, quam melius inſolitum. Punctumque ipſum temporis, quo aliud futurus eram, quanto propius admovebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorem: ſed non recutiebat retro, nec avertebat, ſed ſuſpendebat.

2. Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant: Dimittis ne nos? & a momento iſto, non erimus tecum ultra in æternum? & a momento iſto, non tibi licebit hoc, & illud ultra in æternum? Et quæ ſuggerebant in eo, quod dixi hoc & illud, quæ ſuggerebant Deus meus? avertat ab anima ſervi tui miſericordia tua. Quas ſordes ſuggerebant? quæ dedecora? Et audiebam eas jam longe minus, quam dimidius; non tanquam libere contradicentes eundo in obviam, ſed velut a dorſo muſſitantes, & diſcedentem quaſi furtim vellicantes, ut reſpicerem. Retardabant tamen me cunctantem abripere, atque excutere ab eis, & tranſilire quo vocabar, cum diceret mihi conſue-

ſuetudo violenta : Putaſne , ſine iſtis poteris ?

3. Sed jam tepidiſſime hoc dicebat . Aperiebatur enim ab ea parte , qua intenderam faciem , & quo tranſire trepidabam , caſta dignitas continentiæ , ſerena , & non diſſolute hilaris , honeſte blandiens ut venirem , neque dubitarem : & extendens ad me ſuſcipiendum , & amplectendum pias manus , plenas gregibus bonorum exemplorum . Ibi tot pueri , & puellæ ; ibi juventus multa , & omnis ætas , & graves viduæ , & virgines anus ; & in omnibus ipſa continentia nequaquam ſterilis , ſed fæcunda mater filiorum gaudiorum , de marito te Domine . Et irridebat me irriſione exhortatoria quaſi diceret : Tu non poteris , quod iſti & iſtæ ? An vero iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt , ac non in Domino Deo ſuo ? Dominus Deus eorum me dedit eis . Quid in te ſtas , & non ſtas ? Projice te in eum ; noli metuere , non ſe ſubtrahet , ut cadas . Projice te ſecurus , excipiet , & ſanabit te . Et erubeſcebam nimis , quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam , & cunctabundus pendebam . Et rurſus illa , quaſi diceret : Obſurdeſce adverſus immunda illa membra tua ſuper terram ut mortificentur . *Narrant* tibi *delectationes* , *ſed non ſicut lex Domini Dei tui* . Iſta controverſia in corde meo , non niſi de me ipſo adverſus meipſum . At Alipius affixus lateri meo , inuſitati motus mei exitum tacitus operiebatur .

Pſ. 118. 85.

USUS.

U S U S.

Punctum temporis, quo alius futurus erat Auguſtinus, quo propinquius erat, eo graviori æſtu cor ejus inhorruit. *Nempe hæc eſt eradicatio Plantæ*, ut ait Gerſon l. c. *alibi plantandæ, ubi adeſt grandis violentia. Hæc eſt occiſio mortificatioque grani ſeminati; hoc eſt dicere de receſſu vitæ primæ ac carnalis, ad perveniendum ad ſpiritualem. Heu quam aſpera via eſt ad tranſeundum, & devincendum!* Similem horrorem experta eſt S. Teresa in puncto tranſitus ſui a ſeculo ad religionem. *In veritate recordor* ait, *quod ſecundum meum judicium ſenſerim exeundo domum paternam tantum dolorem, ut vix crediderim me majorem debere ſentire in mea morte. Et mihi videtur, quod ſingula oſſa contra ſe invicem in toto corpore concuſſa fuerint*, &c. Oritur vero hæc lucta inde, quia ſub punctum converſionis, ut advertit Gerſon & S. Teresa, *amor Dei eſt valde medicus & debilis, mundanus vero fortis & potens, repugnatque fortiter, ne nidum ſuum, ſeu hoſpitium, quod habuit ab infantia in homine, perdat*. Unde collige ſignum eſſe bonæ vocationis magnam luctam ſentire; tales enim communiter conſtanter perſeverant. *In vita ſua c. 4.*

Quiſquis de ſtatu vitæ deliberat, ex hoc capite ſalutare conſilium capiet, ſi veluti judex audiat concupiſcentiam una ex parte, ex altera continentiam.

Nugæ Nugarum.	Continentia.
1. *Dimittis ne nos?*	1. *Obmuteſce adverſus illa membra tua ſuper terram, ut mortificentur.*
2. *Et a momento iſto non erimus tecum, ultra in æternum?*	2. *Non erunt mecum, ſordes & dedecora.*

3. *Non licebit tibi hoc & illud ultra in æternum?*

3. *Narrant tibi delectationes, sed non sicut lex Domini Dei tui.*

4. *Putasne sine istis poteris?*

4. *Tu non poteris, quod isti & istæ? An vero isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Projice te in eum.*

Diffidentia sui, & fiducia in Deum *Tertius gradus S. D. fuit ad perfectam conversionem*. Est signum luculentum divinæ vocationis ac veluti sigillum, sentire in se grandem fiduciam, illud perficiendi, quod Deus dedit velle.

CAPUT XII.

Divinæ vocis monitu se incidisse in illud Pauli Rom. 13. vers. 13, & 14. Non in comessationibus &c. & totum ad Deum conversum esse, sequente mox Alipio, & matre gratulante.

1. UBi vero a fundo arcano, alta consideratio contraxit, & congessit totam miseriam meam in conspectum cordis mei, oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrymarum. Et ut totum effunderem cum vocibus suis, surrexi ab Alipio. Solitudo enim mihi ad negotium flendi aptior suggerebatur. Et secessi remotius, quam ut posset mihi onerosa esse etiam ejus præsentia. Sic tunc eram, & ille sensit, nescio quid. Aliquid enim puto dixeram, in quo apparebat sonus

ſonus vocis meæ jam fletu gravidus, & ſic ſurrexeram . Manſit ergo ille , ubi ſedebamus , nimie ſtupens . Ergo ſub quadam fici arbore ſtravi me , neſcio quomodo : & dimiſi habenas lacrymis , & proruperunt flumina oculorum meorum acceptabile ſacrificium tuum . Et non quidem his verbis , ſed in hac ſententia multa dixi tibi : *Et tu Domine uſquequo ? Uſquequo Domine iraſceris in finem ? Ne memor fueris iniquitatum noſtrarum antiquarum* . Sentiebam enim me ab eis teneri , & jactabam voces miſerabiles . Quamdiu , quamdiu , cras & cras ? Quare non modo ? quare non hac hora , finis turpitudinis meæ ?

Pſ. 6. 4.
Pſ. 12. 1.
Pſ. 78. 8.

2. Dicebam hæc , & flebam amariſſima contritione cordis mei . Et ecce audio vocem de vicina domo , cum cantu dicentis , & crebro repetentis , quaſi pueri an puellæ , neſcio : *Tolle lege , tolle lege* . Statimque mutato vultu , intentiſſimus cogitare cœpi , utrumnam ſolerent pueri in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid : nec occurrebat omnino audiviſſe me uſpiam . Repreſſoque impetu lacrymarum ſurrexi , nihil aliud interpretans , niſi divinitus mihi juberi , ut aperirem codicem , & legerem , quod primum capitulum inveniſſem . Audieram enim de Antonio , quod ex Evangelica lectione , cui forte ſupervenerat , admonitus fuerit , tanquam ſibi diceretur , quod legebatur : *Vade , vende omnia , quæ habes , & da pauperibus , & habebis*

Matth. 19. 21.

thesaurum in cœlis : & veni , sequere me : & tali oraculo , confestim ad te esse conversum.

3. Itaque concitus redii ad eum locum , ubi sedebat Alipius : ibi enim posueram codicem Apostoli , cum inde surrexeram. Arripui , aperui , & legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei : *Non in commessationibus , & ebrietatibus , non in cubilibus , & impudicitiis , non in contentione & æmulatione , sed induimini Dominum Jesum Christum , & carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis vestris*. Nec ultra volui legere , nec opus erat. Statim quippe cum fine hujusce sententiæ , quasi luce securitatis infusa cordi meo , omnis dubitationis tenebræ diffugerunt. Tum interjecto aut digito , aut nescio quo alio signo , codicem clausi , & tranquillo jam vultu indicavi Alipio.

Rom. 13. 13. 14.

4. At ille , quid in se ageretur , quod ego nesciebam , sic indicavit. Petit videre , quid legissem ; ostendi ; attendit etiam ultra , quam ego legeram : & ignorabam , quid sequeretur. Sequebatur vero : *Infirmum autem in fide recipite*. Quod ille ad se retulit , mihique aperuit. Sed tali admonitione firmatus est , placitoque ac proposito bono & congruentissimo suis moribus , quibus a me in melius jam olim , valde longeque distabat , sine ulla turbulenta cunctatione conjunctus est. Inde ad matrem ingredimur ; indicamus , gaudet : nar-

Rom. 14. 1.

narramus, quemadmodum geſtum ſit, exultat & triumphat; & benedicebat tibi, *qui potens es ultra, quam petimus aut intelligimus facere*; quia tanto amplius ſibi a te, conceſſum de me, videbat, quam petere ſolebat miſerabilibus flebilibuſque gemitibus. Convertiſti enim ita me ad te, ut nec uxorem quærerem, nec aliquam ſpem ſeculi hujus: ſtans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei revelaveras. Et *convertiſti luctum ejus in gaudium*, multo uberius, quam voluerat, & multo carius, atque caſtius, quam de nepotibus carnis meæ requirebat. *Epheſ.* 3. 20. *Pſal.* 12. 29.

USUS.

1. Sæpe clamet peccator cum Auguſtino. *Uſquequo Domine iraſceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum noſtrarum antiquarum*, ſentit enim his ſe teneri qui ſerio converti vult: violentia conſuetudinis, cæcitate mentis, infirmitate voluntatis. Hæc juſtiſſima pœna eſt peccatorum, ut etiam volentes, non niſi difficulter, poſſimus peccata relinquere.

2. *Hæc mutatio dexteræ Excelſi*,) Manus Domini fecit hoc, non Auguſtinus. Lux divinæ gratiæ vertit in odium illecebras libidinis, & in contemptum amorem ſeculi. Sic Paulus voce cæleſti, ſic Antonius verbis Evangelii, mutati ſunt ab eo, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis. Sæpe hæc eadem legimus, audimus, cogitamus: ſed *Spiritus ubi vult, ſpirat*, non convertimur cum Auguſtino, nec aſſumimur cum Alipio. &altem pro modulo noſtro divinæ cooperemur gratiæ, quæ nunquam deeſt volentibus.

3. Eripuit Deus Auguſt. his S. Pauli verbis. I. A deſiderio concubitus & omni intemperantia, per illa: *non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis.* II. A ſervitute ſecularium negotiorum, per illa: *non in contentione & æmulatione*, quibus mundus ſcatet. Sic contritus eſt duplex laqueus, quo ſe adhuc retentum ſcribit S. D. ſupra. Induit vero Deo vocante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per imitationem virtutum ejus, nec ultra fecit providentiam carnis in deſideriis. Cornelius Lancellotus cenſet his S. Pauli verbis, ei inſinuata conſilia Evangelica.

Cap. 6. L. 1. vitæ S. Aug. cap. 37.

Digitized by Google

LIBER IX.

In villam Verecundi abit cum matre, aliisque amicis. Professionem Rhetoricæ abdicat; libros varios scribit. Biennio fere elapso Mediolanum redit; ibi cum Alipio, & Adeodato filio, baptizatur. Inde cum Matre, & aliis in Aphricam remeare parat. Matris deinde vitam, & ad ostia Tiberina mortem: suum item luctum gratus Filius, pie & eleganter exequitur.

CAP. I.

Laudat Deum, qui mutavit voluntatem ejus, ut tolleret jugum Christi, & suave ei esset, carere suavitatibus nugarum.

1. 
Domine, *ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Laudet te cor meum, & lingua mea, & omnia ossa mea dicant, *Domine, quis similis tibi?* Dicant, & responde mihi; & dic animæ meæ, *Salus tua ego sum.* Quis ego, & qualis ego? Quid non mali ego, aut facta mea, aut si non facta, dicta mea: aut si non dicta, voluntas mea fuit? Tu autem Domine bonus, & misericors, & dextera tua respiciens profunditatem mortis meæ, & a fundo cordis mei exhauriens abyssum corruptionis. Ps. 115. 16. Ps. 82. 2. Ps. 34. 3.

Digitized by Google

Et (*a*) hoc erat totum nolle, quod volebas, & velle, quod nolebas.

2. Sed ubi erat tam annoſo tempore, & de quo imo altoque ſecreto, evocatum eſt in momento liberum arbitrium meum, quo ſubderem cervicem *leni jugo* tuo, & humeros levi ſarcinæ tuæ, Chriſte Jeſu, adjutor meus, redemptor meus? Quam ſuave mihi ſubito factum eſt, carere ſuavitatibus nugarum! & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, vera tu & ſumma ſuavitas: ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini; omni luce clarior, ſed (*b*) omni ſecreto interior; omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe. Jam liber erat animus meus a curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque (*c*) ſcalpendi ſcabiem libidinum: & garriebam tibi claritati meæ, & divitiis meis, & ſaluti meæ Domino Deo meo.

Matth. 11. 29.

NOTÆ.

(a) *Hoc erat totum*) Nolle quod vult Deus, & velle quod non vult, hæc tota eſt peccatoris corruptio.

(b) *Omni ſecreto interior*) Clariſſime lucet Dei gratia, ſed intus in cordis arcano, non foris in negotiorum tumultu, & rerum ſenſibilium turbis.

(c) *Scalpendi ſcabiem*) Appoſita utitur metaphora. Scabioſi ſunt, & leproſi, homines impuri: delectantur infelici pruritu, qui non tam voluptatem habet, quam turpiſſimi morbi teſtimonium.

USUS.

Digitized by Google

U S U S.

1. Qui divina gratia a gravibus peccatis reſurgit, cum S. Auguſtino, mox Deo gratias agat, & illius beneficium agnoſcat, expendens divinæ gratiæ eſſe mirabilem hanc immutationem.

2. Credant S. Auguſtino jam converſo, magnam eſſe ſuavitatem pœnitentiæ, & converſionis, qui putant morte amariorem eſſe vitam ſine illicitis cupiditatibus. En ſuave factum eſt S. D. carere illo luto, in quo tam alte hærebat! Utiliter hoc caput leget, quiſquis divinam vocationem ſentit, & ſequi ſtatuit; item, qui conſcientiam ſcam ſeria confeſſione expiavit.

C A P. II.

Abdicationem profeſſionis Rhetoricæ, valetudini quoque neceſſariam, ſe in ferias vindemiales vitandæ offenſionis cauſa, diſtuliſſe.

1. ET placuit mihi in conſpectu tuo non tumultuoſe abripere, ſed leniter ſubtrahere miniſterium linguæ meæ, (*a*) nundinis loquacitatis: ne ulterius pueri meditantes non legem tuam, non pacem tuam, ſed inſanias mendaces & bella forenſia, mercarentur ex ore meo (*b*) arma furori ſuo. Et opportune jam pauciſſimi dies ſupererant ad vindemiales ferias: & ſtatui tolerare illos, ut ſolemniter abſcederem, & redemptus a te, jam non redirem venalis. Conſilium ergo noſtrum erat coram te; coram hominibus autem, niſi noſtris non erat. Et convenerat inter nos, ne paſſim cuiquam ef-

funderetur. Quamquam tu nobis (*c*)
Pſ.83.7. a convalle ploratíonis aſcendentibus, & (*d*) cantantibus canticum graduum, de-
P.119. deras *ſagittas acutas, & carbones va-*
4. *ſtatores* adverſus linguam ſubdolam, velut conſulendo contradicentem, & ſicut cibum aſſolet, amando conſumentem. Sagittaveras tu cor noſtrum, caritate tua, & geſtabamus verba tua transfixa viſceribus. Et exempla ſervorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis vivos feceras, congeſta in ſinum cogitationis noſtræ, urebant & abſumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus. Et accendebant nos valide, ut omnis ex lingua ſubdola contradictionis flatus, inflammare nos acrius poſtet, non extingere.

2. Veruntamen, quia propter nomen tuum, quod ſanctificaſti per terras, etjam laudatores utique haberet votum & propoſitum noſtrum, jactantiæ ſimile videbatur, non operiri tam proximum feriarum tempus: ſed de publica profeſſione, atque ante oculos omnium ſita, ante diſcedere, ut converſa in factum meum ora cunctorum intuentium, quam vicinum vindemialium diem prævenire voluerim, multa dicerent, quod quaſi appetiſſem magnus videri. Et quo mihi erat iſtud, ut putaretur & diſputaretur de animo meo, & blaſphemaretur bonum noſtrum? Quin etiam, quod ipſa æſtate (*e*) literario labori nimio, pulmo meus cedere cæperat, & difficulter trahere ſuſpiria, doloribuſque pectoris teſtari ſe ſaucium,

cium, vocemque clariorem productioremve recuſare: primo perturbaverat me, quia magiſterii illius ſarcinam, pene jam neceſſitate deponere cogebat, aut ſi curari, & convaleſcere potuiſſem, certe intermittere. Sed ubi plena voluntas vacandi & videndi, quoniam tu es Deus, oborta mihi eſt atque firmata, noſti Deus meus, etiam gaudere cœpi, quod hæc quoque ſuberat non mendax excuſatio: quæ offenſionem hominum temperaret, qui propter liberos ſuos, me liberum eſſe nunquam volebant.

3. Plenus igitur tali gaudio, tolerabam illud intervallum temporis, donec decurreret. Neſcio utrum, vel viginti dies erant, ſed tamen fortiter tolerabantur, quia receſſerat cupiditas, quæ mecum ſolebat ferre grave negocium: & ego premendus remanſeram, niſi patientia ſuccederet. Peccaſſe me in hoc, quiſquam ſervorum tuorum, fratrum meorum dixerit, quod jam pleno corde militia tua, paſſus me fuerim, vel una hora ſedere in cathedra mendacii. At ego non contendo. Sed tu Domine miſericordiſſime, nonne & hoc peccatum, cum cæteris horrendis & funereis, in aqua ſancta ignoviſti, & remiſiſti mihi?

NOTÆ.

(a) *Nundinis loquacitatis*) Rhetoricæ professionem intelligit, hoc sane convitio dignam, si vano fine suscipiatur.

(b) *Arma furori suo*) Ut eloquentia aliæque artes sunt instrumenta virtutum, si ad divinam gloriam referantur, ita sunt arma furoris, quo insaniunt filii vanitatis, studia sua ad quæstum & vanos honores referentes, tanto deteriores, quanto doctiores, præsertim si hæresis & pertinacia accedat.

(c) *A convalle plorationis*) Seu pœnitentiæ, seu miseriarum hujus mundi, qui est vallis lacrymarum Alludit vero S. D. ad illud *Beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones* virtutum *in corde suo disposuit: in valle lacrymarum.*

Ps. 83. 7.

(d) *Cantantibus canticum graduum*) Quod complectitur quindecim Psalmos, a 119. usque ad 133. Sunt autem tot Psalmi, qui dicuntur graduum, quoniam tot fuerunt gradus templi Salomonis teste S. D. in quorum ascensione hos Psalmos cani solitos, censent Lyranus & alii. Theodoretus & Euthymius putant hæc cantica ad literam significare ascensionem Judæorum de Babylone in Jerusalem. Illud certum esse affirmat Bellarminus *ascensionem sive hanc, sive illam, figuram fuisse ascensionis electorum: qui per gradus virtutum, ac præcipue caritatis, ascendunt de valle lacrymarum ad cælestem Jerusalem: & de hac ascensione Spiritum sanctum potissimum locutum*; ideoque hi Psalmi merito frequentantur ab Ecclesia. Et verisimile est S. Augustinum post suam conversionem ex desiderio proficiendi in caritate Dei, sæpius illos usurpasse, idque ipsum hic significare.

In Psal. 150.

In arg. Ps. 119.

(e) *Labori nimio pulmo meus cedere cœperat*) Assiduis clamoribus fractus, inde pectoris dolor, cujus quoque mentionem alibi facit. Quam excusationem divina providentia ei subministravit, ut cum minori offensione deserere posset functionem.

USUS.

Digitized by Google

U S U S.

1. Primus hic poſt converſionem labor eſt, hominum judicia & opprobria ſpernere: ad quod generoſe faciendum, verbo & exemplo egregie ducit Auguſtinus. Eſtque hæc virtus pars fortitudinis, magnopere neceſſaria Incipientibus, niſi propoſitum ſuum cito deſerere velint. *l. 1. contra Academ. c. 1. l. de vita beata*

2. Alterum quoque, inſignis prudentiæ documentum, præbet S. D. ut nempe vitemus offenſiones hominum, quoad fieri poteſt. Quod vero in fine capitis, quaſi ſubdubitat de peccato, bonæ illud mentis & humilitatis eſt. Hanc enim ejus moram in profeſſione Rhetoricæ, intentio caritatis, & illud ipſum magiſterium in Dei gloriam relatum non ſolum inculpabilem, verum & laudabilem, fecit. Nec amplius cathedra ejus fuit mendacii, ſed veritatis, quia iſtam, non illud ſpectabat. *L. 1. de ordine c. 1.*

CAP. III.

Conceſſit illi villam Verecundus, cujus, ſicut & Nebridii paulo poſt ſecutam converſionem, ac utriuſque mortem memorat.

1. MAcerabatur (*a*) anxietudine Verecundus de iſto noſtro bono, quod propter vincula ſua, quibus tenaciſſime tenebatur, deſeri ſe noſtro conſortio videbat, nondum Chriſtianus conjuge fideli. Ea ipſa tamen arctiore præ cæteris compede, ab itinere, quod aggreſſi eramus, retardabatur. Nec Chriſtianum eſſe alio modo ſe velle dicebat, quam illo, quo non poterat. Benigne ſane obtulit, ut quamdiu ibi eſſemus, in rure ejus eſſemus. Retri-

bues

bues illi Domine in reſurrectione juſtorum, quia jam ipſam ſortem retruibuiſti ei. Quamvis enim abſentibus nobis, cum Romæ jam eſſemus, corporali ægritudine, correptus, & in ea Chriſtianus fidelis factus, ex vita hac migravit. Ita miſertus es non ſolum ejus, ſed etiam noſtri: ne cogitantes egregiam erga nos amici humanitatem, nec eum in grege tuo numerantes, dolore intolerabili cruciaremur.

2. Gratias tibi Deus noſter, tui ſumus: indicant (*b*) hortationes & conſolationes tuæ, fidelis promiſſor, reddes Verecundo pro rure illo ejus Caſſiciaco, ubi ab æſtu ſeculi requievimus in te, amænitatem ſempiterne virentis paradiſi tui; quoniam dimiſiſti ei peccata ſuper terram, (*c*) in monte incaſeato, monte tuo, monte uberi. Angebatur ergo tunc ipſe, Nebridius autem collætabatur. Quamvis enim & ipſe nondum Chriſtianus, in illam foveam perniciosiſſimi erroris inciderat, ut veritatis (*d*) filii tui carnem phantaſma crederet: tamen inde emergens, ſic ſibi erat, nondum ullis Eccleſiæ tuæ ſacramentis imbutus, ſed inquiſitor ardentiſſimus veritatis. Quem, non multo poſt converſionem noſtram, & regenerationem per baptiſmum tuum, ipſum etiam fidelem catholicum, caſtitate perfecta atque continentia, tibi ſervientem in Aphrica apud ſuos, cum tota domus ejus per eum Chriſtiana facta eſſet, carne ſolviſti.

3. Et

3. Et (*e*) nunc ille vivit in ſinu Abraham (quicquid illud eſt, quod illo ſignificatur ſinu) ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem Domine (*f*) adoptivus ex liberto filius, ibi vivit. Nam quis alius tali animæ locus? ibi vivit, unde me multa interrogabat homuncionem inexpertum. Jam non ponit aurem ad os meum, ſed ſpirituale os ad fontem tuum: & bibit, quantum poteſt, ſapientiam pro aviditate ſua, ſine fine felix. Nec ſic eum arbitror inebriari ex ea, ut obliviſcatur mei, cum tu Domine, (*g*) quem potat ille, noſtri ſis memor. Sic ergo eramus, Verecundum conſolantes triſtem, ſalva amicitia de tali converſione noſtra: & exhortantes ad fidem gradus ſui, vitæ ſcilicet conjugalis. Nebridium autem operientes, quando ſequeretur, quod de tam proximo poterat, & erat jam jamque facturus. Cum ecce evoluti ſunt dies illi tandem, nam longi & multi videbantur præamore libertatis otioſæ, ad cantandum de medullis omnibus. *Tibi dixit cor meum, quæſivi vultum tuum, vultum tuum Domine requiram.* Luc. 16. Pſ. 26. 8.

NOTÆ.

(a) *Macerabatur anxietudine Verecundus*) Quia videbat ſe privari conſuetudine cariſſimorum ſibi hominum, a quorum conſortio impediebatur compede uxoria. Nec aliter Chriſtianus eſſe volebat, quam uxore ſolutus, qua viva ſolvi non poterat.

(b) *Hortationes & conſolationes*) Quas habent

bent ac ſentiunt juſti homines, ſignum ſunt electionis eorum.

(c) *In monte incaſeato*) Intelligit vel Chriſtum, quem eſſe *montem incaſeatum*, ſive *coagulatum* (ut vulgata habet eodem ſenſu) & *pinguem*, alibi interpretatur; vel Eccleſiam Catholicam, in qua per Chriſti merita & baptiſmum, Verecundo ante mortem peccata ſunt dimiſſa. Nam hanc quoque, per illum montem ſignificari docet Bellarm. *In Pſ. 67.*

(d) *Filii tui carnem phantaſma*) Inciderat nempe Nebridius in hæreſim Manichæorum, negantium Chriſtum aſſumpſiſſe veram carnem, de qua ſupra.

(e) *Nunc ille vivit in ſinu Abraham*) Sinus Abrahæ, qui Limbus Patrum dicitur, eſt ſecundum Theologos *receptaculum ſubterraneum, in quo animæ ſanctæ ante Chriſti aſcenſionem detinebantur*. S. D. vero etiam poſt Chriſti aſcenſionem videtur, ibi eas collocaſſe. Etſi enim crederet illas Deum videre, adeoque beatas eſſe, ut ex ſequentibus verbis liquet, fuit tamen dubius de loco, hinc illa verba: *quidquid illud eſt, quod ſignificatur illo ſinu*, quem aliquando putavit non eſſe ſubterraneum. V. Suarez & Bellarm. *In 4. d. 45. V. Suar. t. 2. in 3. p. d. 41. ſeſ. 2. l. c. l. 11. de beat. c. 5.*

(f) *Adoptivus ex liberto filius*) Libertum vocat Nebridium, quia ex ſervitute Diaboli per baptiſmum liberatus fuit; adoptivum vero filium, quia per gratiam Dei adoptionem filiorum conſecutus erat.

(g) *Quem potat ille*) Nempe per viſionem beatificam.

U S U S.

1. Diſce gratitudinem erga amicos & benefactores defunctos: eiſque retributionem æternam precare, & imprecare.

2. Elidit S. D. ſtolidum hæreticorum argumentum, quo contendunt SS. non invocandos, quod nec audiant nec videant neceſſitates & petitiones noſtras. Sed non obliviſcuntur noſtri, *ſumus Domine*, ait magnus Au-

Auguſtinus, *noſtriſis memor*. Nimis indigne de Deo ſentiunt, quaſi ille amicis ſuis jam beatis, notitiam rerum humanarum, & maxime precum noſtrarum, largiri aut nolit, aut non poſſit. *V. lib. de cura agenda pro mort. c.* 11.

CAP. IV.

Cum ſuis omnibus in villam abit, libros aliquot ſcribit, Pſalmos Davidis legit, ex iis quartum adverſus Manichæos explicat, dolore dentium divinitus liberatur.

1. ET venit dies, in quo etiam actu ſolveret a profeſſione rhetorica, unde jam cogitatu ſolutus eram. Et factum eſt. Et eruiſti linguam meam, unde jam erueras cor meum: & benedicebam tibi gaudens, (*a*) profectus in villam cum meis omnibus. Ibi quid egerim in literis, jam quidem ſervientibus tibi, ſed adhuc in ſuperbiæ ſcholam, tanquam in pauſationem anhelantibus, (*b*) teſtantur libri diſputati cum præſentibus, & cum ipſo me ſolo coram te: quæ autem cum abſente Nebridio, teſtantur epiſtolæ. Et quando mihi ſufficiat tempus commemorandi omnia magna erga nos beneficia tua in illo tempore, præſertim ad alia majora properanti? Revocat enim me recordatio mea, & dulce mihi fit Domine confiteri tibi, quibus internis me ſtimulis perdomueris, & quemadmodum me complanaveris, humilitatis montibus & collibus cogitationum mearum, & tortuoſa mea direxeris, & aſpera lenieris.

Quo-

Quoque modo ipſum etiam Alipium fratrem cordis mei, ſubegeris nomini unigeniti tui, Domini & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quod primo (*c*) dedignabatur inſeri literis noſtris. Magis enim eas volebat redolere gymnaſiorum cedros, quas jam confrivit dominus, quam ſalubres herbas eccleſiaſticas adverſas ſerpentibus.

2. Quas tibi Deus meus voces dedi, cum legerem Pſalmos David, cantica fidelia, & ſonos pietatis, excludentes turgidum ſpiritum! rudis in germano amore tuo, catechumenus in villa, cum catechumeno Alipio feriatus: matre adhærente nobis muliebri habitu, virili fide, anili ſecuritate, materna caritate, Chriſtiana pietate. Quas tibi voces dabam in Pſalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis, & accendebar eos recitare, ſi poſſem toto terrarum orbe, adverſus typhum generis humani! Et, tamen toto orbe cantantur, & non eſt, qui ſe abſcondat a calore tuo. Quam vehementi & acri dolore indignabar Manichæis, & miſerabar eos rurſus, quod illa ſacramenta, illa medicamenta neſcirent: & inſani eſſent adverſus antidotum, quo ſani eſſe potuiſſent. Vellem, ut alicubi juxta eſſent ignorante me, utrum audirent: & me neſciente quod ibi eſſent, intuerentur faciem meam, & audirent voces meas, (*d*) quando legi quartum Pſalmum, in illo tunc otio, quid de me fecerit ille Pſalmus.

℣. *Cum invocarem te, exaudiſti me Deus*

Deus juſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti mihi. Miſerere mei Domine, & exaudi orationem meam. Audirent ignorante me, utrum audirent; ne me propter ſe illa dicere putarent, quæ inter hæc verba dixerim. Quia & revera nec ea dicerem, nec ſic ea dicerem, ſi me ab eis audiri viderique ſentirem: nec ſi dicerem, ſic acciperent, quomodo mecum & mihi, coram te, de familiari affectu animi mei. Inhorrui timendo, ibidemque inferbui ſperando, & exultando in tua miſericordia pater. Et hæc omnia exibant per oculos meos, & vocem meam, cum converſus ad nos ſpiritus tuus bonus, ait nobis: *Filii hominum quouſque gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Dilexeram enim vanitatem, & quæſieram mendacium. *Et tu Domine jam (e) magnificaveras ſanctum tuum, ſuſcitans eum a mortuis, & collocans ad dexteram tuam*, unde mitteret ex alto promiſſionem ſuam paracletum, ſpiritum veritatis; & miſerat eum jam, ſed ego neſciebam. Mar. 16. Act. 2.

4. Miſerat eum; quia jam magnificatus erat, reſurgens a mortuis, & aſcendens in cœlum. *Ante autem ſpiritus nondum erat datus, quia Jeſus nondum erat clarificatus.* Et clamat propheta: *Quouſque graves corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Et ſcitote, quoniam Dominus mirificavit ſanctum ſuum.* Clamat; *quouſque?* clamat, *ſcitote*, Jo. 7. 39.

Et

Et ego tamdiu neſciens, vanitatem dilexi, & mendacium quæſivi. Et ideo audivi, & contremui: quoniam talibus dicitur, qualem me fuiſſe reminiſcebar. In phantaſmatibus enim, quæ pro veritate tenueram, vanitas erat & mendacium. Et inſonui multa graviter ac fortiter, in dolore recordationis meæ. Quæ utinam audiſſent, qui adhuc diligunt vanitatem, & quærunt mendacium! Forte conturbarentur, & evomuiſſent illud, & exaudires eos, cum clamarent ad te; quoniam vera morte carnis mortuus eſt pro nobis, *qui te interpellat pro nobis*.

Rom. 8. 34.

5. Legebam, *Iraſcimini, & nolite peccare*: Et quomodo movebar Deus meus, qui jam didiceram, iraſci mihi de præteritis, ut de cetero non peccarem! Et merito iraſci', quia non alia natura gentis tenebrarum de me peccabat, ſicut dicunt qui ſibi non iraſcuntur, & theſaurizant ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii tui. Nec jam bona mea foris erant, nec oculis carneis in iſto ſole quærebantur. Volentes enim gaudere forinſecus, facile evaneſcunt, & effunduntur in ea, quæ videntur, & temporalia ſunt, & imagines eorum, famelica cogitatione lambunt. Et o ſi fatigentur inedia, & dicant! *Quis oſtendet nobis bona?* Et dicamus, & audiant: *Signatum eſt in nobis lumen vultus tui Domine*. Non enim lumen nos ſumus, *quod illuminat omnem hominem*, ſed illuminamur a te, ut qui *fuimus aliquan-*

Jo. 1. 9.

quando tenebræ , ſimus lux in te . *Eph.* 5.

6. O ſi viderent internum lumen æternum , (quod ego , quia guſtaveram , frendebam ; quoniam non eis poteram oſtendere) ſi afferrent ad me cor in oculis ſuis foris a te , & dicerent ? *Quis oſtendet nobis bona* ? Ibi *Pſ.* 4. enim , ibi mihi iratus eram intus in cubili , ubi compunctus eram , ubi ſacrificaveram mactans veruſtatem meam , & inchoata meditatione renovationis meæ , ſperans in te : ibi mihi dulceſcere cœperas , & dederas lætitiam in corde meo. Et exclamabam legens hæc foris , & agnoſcens intus . Nec volebam multiplicari terrenis bonis , devorans tempora , & devoratus temporalibus : cum haberem in æterna ſimplicitate aliud frumentum , & vinum , & oleum .

7. Et clamabam in conſequenti verſu , clamore alto cordis mei : O *in pace !* O (*f*) *in idipſum* ! O quid dixit : *Obdormiam & ſomnum capiam* ? Quoniam , quis reſiſtet nobis , cum fiet ſermo , qui ſcriptus eſt : *Abſorpta eſt mors in victoria* ? Et tu es idipſum valde , qui non mutaris , & in *1. Cor.* te requies , obliviſcens laborum omnium , *15. 54.* quoniam nullus alius tecum . Sed nec ad alia multa adipiſcenda , quæ non ſunt , quod tu ; ſed tu Domine , *ſingulariter in ſpe conſtituiſti me* . Legebam , & ardebam , nec inveniebam , quid facerem ſurdis mortuis , ex quibus fueram peſtis (*g*) latrator amarus , & cæcus adverſus literas ,

de

de melle cœli melleas, & de lumine tuo luminoſas: & ſuper ſcripturæ hujus inimicos tabeſcebam, quando recordabar omnia dierum illorum feriatorum.

8. Sed nec oblitus ſum, nec ſilebo flagelli tui aſperitatem, & miſericordiæ tuæ mirabilem celeritatem. Dolore dentium tunc excruciabas me, & cum in tantum ingraveſceret, ut non valerem loqui, aſcendit in cor meum admonere omnes meos, qui aderant, ut deprecarentur te pro me, Deum ſalutis omnimodæ. Et ſcripſi hoc in cera, & dedi eis, ut legeretur. Mox, ut genua ſupplici affectu fiximus, (*b*) fugit dolor ille. Sed quis dolor? aut quomodo fugit? Expavi, fateor Domine meus, Deus meus; nihil enim tale ab ineunte ætate expertus fueram. Et inſinuati ſunt mihi in profundo nutus tui, & gaudens in fide laudavi nomen tuum. Et ea fides, me (*i*) ſecurum eſſe non ſinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per baptiſmum tuum, remiſſa nondum erant.

NOTÆ.

(a) *Profectus in villam*) Caſſiciacum Verecundi, de quo ſupra, comitante matre, Alipio aliiſque, inter quos fuiſſe Adeodatum filium, Navigium frarrem, Trigetium & Licentium cives & diſcipulos, Lactidianum & Ruſticum conſobrinos illius, item Evodium ipſe alibi ſignificat. *Init. lib. de ordine, de beata vita, contra Acad. inf. c. 7.*

(b) *Teſtantur libri diſputati*) Contra Academicos, de vita beata, de ordine, & ſoliloquia; hos enim libros Caſſiciaci ſcriptos, aut ſaltem inchoatos, antequam Mediolanum reverteretur, teſtatur ipſe. Ii autem libri, etſi bono animo: *nondum tamen penitus ad for-*

formam humilitatis Christiane subacto, scripti sunt, ut ipse hic, & in libris retractat. fatetur. *l. 1. retr. c. 12. 3. 4. 5.*

(c) *Dedignabantur inseri literis nostris*) Vanæ & profanæ eruditionis studio. Habet vero Alipius catechumenus imitatores, viros in fide Christiana enutritos, quibus nihil latinum est, nisi profanum: ideoque abstinent vocibus Ecclesiasticis, non aliter, quam Solœcismis aut Barbarismis. Quasi Christi fides, quæ omnium gentium devicit errores, sacrorum suorum vocabula, non possit jure suo profanis miscere linguis; aut deceat superstitiosis idololatricisque vocibus, Sacrosancta mysteria inquinare & obscurare.

(d) *Quando legi quartum Psalmum*) Quem recte Bellarm. canit David in persona Ecclesiæ, vel cujuslibet animæ fidelis, quæ exemplo suo monet peccatores, ut convertantur, & fiduciam ponant in Domino, declinent a malo, & faciant bonum. Sic S. D. inflammato corde in Manichæos eum pronunciavit. *In comment. ad v. 1.*

(e) *Magnificaveras sanctum tuum*) Id est, Christum, qui est Sanctus Sanctorum, vulgata editio habet, mirificavit.

(f) *In idipsum*) S. D. per idipsum intelligit Deum, qui solus semper est idem ipse, ut sensus sit: *In idipsum dormiam & requiescam*, id est, in Deo. Ad literam tamen, *in idipsum*, idem est, quod pariter, simul, conjunctim. V. Bellarm.

(g) *Latrator amarus & cæcus*) Adversus sacras literas veteris Testamenti, quas una cum Manichæis rejiciebat.

(h) *Fugit dolor ille*) Sane per miraculum, statim enim post preces, & miro modo, qualem nunquam expertus erat, cessavit.

(i) *Securum non esse sinebat*) etsi enim certum & Catholicum dogma sit, ut ait Suarez, *ad remissionem peccatorum sufficere catechumeno contritionem cum voto baptismi, absque reali susceptione Sacramenti; quia tamen contritio vul-* *t. 3. in 3. p. d. 27. sect. 2.*

valde difficilis est, minus certa redditur remissio peccatorum ante realem baptismum.

USUS.

1. Commendat S. D. verbo & exemplo, psalmos, meritoque appellat *Cantica fidelia*, id est, fidelium propria, vel fidei mysteriis plena. Est enim liber Psalmorum quasi *summa & compendium totius veteris testamenti*, quidquid in eo ad historiam, prophetiam, mores pertinet, complectens. Unde merito S. Basilius dixit: *Psalmos etiam ex corde lapideo lacrymas elicere*, & S. Chrysost. *eos, qui Psalmos rite canunt, cum Angelis choreas ducere, & quasi cum eis de Dei laudibus, & amore contendere.*

In Ps. 1.

In Psal. 137.

2. Principium in vita spirituali certum est. Volentes gaudere forinsecus in creaturis sensibilibus, facile evanescunt, & effunduntur in eas, earumque imagines lambunt cogitatione vaga, & divinæ consolationis inani. Hinc orationum distractiones innumeræ.

CAP. V.

Professionem Rhetoricæ Mediolanensibus renuntiat, Ambrosius lectionem Prophetæ Esaiæ illi suadet.

1. REnunciavi peractis vindemialibus, ut scholasticis suis Mediolanenses, (*a*) venditorem verborum alium providerent: quod & tibi ego servire delegissem, & illi professioni, præ difficultate spirandi ac dolore pectoris, non sufficerem. Et insinuavi per literas Antistiti tuo, viro sancto Ambrosio, pristinos errores meos, & præsens votum meum: ut moneret, quid potissimum

Digitized by Google

mum mihi de libris tuis legendum eſſet, quo percipiendæ tantæ gratiæ paratior aptiorque fierem. At ille juſſit Eſaiam prophetam, credo, quod præ cæteris, Evangelii vocationiſque gentium ſit prænunciator apertior. Veruntamen ego primam hujus lectionem non intelligens, totumque talem arbitrans, diſtuli repetendum exercitatior in dominico eloquio.

NOTÆ.

(a) *Venditorem verborum*) Profeſſorem Rhetoricæ, appellat venditorem, quia ſalario & pretio conducendus erat.

CAPUT VI.

Mediolanum reverſus, una cum filio Adeodato, cujus ingenium mire prædicat, & Alipio baptizatur, ac ingenti ſolatio perfunditur.

1. INde, ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure (a) Mediolanum remeavimus. Placuit & Alipio renaſci in te mecum, jam induto humilitate ſacramentis tuis congrua: & fortiſſimo domitori corporis, uſque ad Italicum ſolum glaciale, nudo pede obterendum, inſolito auſu. Adjunximus etiam nobis puerum Adeodatum, ex me natum carnaliter, de peccato meo. Tu bene feceras eum. Annorum erat fere quindecim, & ingenio præveniebat multos graves & doctos viros. Munera tua tibi confiteor,

Domine Deus meus, creator omnium, & multum potens reformare noſtra deformia. Nam ego in illo puero, præter delictum nihil habebam. Quod enim enutriebatur a nobis in diſciplina tua, tu inſpiraveras nobis, nullus alius. Munera tua tibi confiteor. Et liber noſter, qui inſcribitur *de Magiſtro*, ipſe ibi mecum loquitur. Tu ſcis illius eſſe ſenſa omnia, quæ inferuntur ibi, ex perſona collocutoris mei, cum eſſet in annis ſexdecim. Multa ejus alia mirabiliora expertus ſum; horrori mihi erat illud ingenium. Et quis præter te, talium miraculorum opifex?

2. Cito de terra abſtuliſti vitam ejus, & ſecurior eum recordor, non timens quicquam pueritiæ, nec adoleſcentiæ, nec omnino homini illi. Sociavimus eum cœvum nobis in gratia tua, educandum in diſciplina tua, & baptizati ſumus: & fugit a nobis ſolicitudo vitæ præteritæ. Nec ſatiabar illis diebus dulcedine mirabili, conſiderare altitudinem conſilii tui, ſuper ſalutem generis humani. Quantum flevi in hymnis & canticis tuis, ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.

NO-

Digitized by Google

NOTÆ.

(a) *Mediolanum remeavimus*) Biennio fere poſt converſionem peracto. Nam cum eo tempore, 12. fere annis ab undeviceſimo ætatis elapſis, triginta & unum natus eſſet, & in Soliloquiis, quæ Mediolanum reverſus abſolvit, quatuordecim annos ab eodem tempore, & lecto Hortenſio numeret: biennium emergit: quo Caſſiciaci moratus libros ſupra memoratos ſcripſit, & in virtutibus Chriſtianis ac Baptiſmi veluti tirocinio, ſe exercuiſſe dicendus eſt. Mediolani ante Baptiſmum ſcripſit libros de Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Magiſtro. Eſt autem baptizatus tempore Paſchali teſte Poſſidio, ſeu Poſſidonio, anno ætatis 34. ut probat Baron. una cum Alipio & Adeodato, ab ipſo S. Ambroſio, ut teſtatur ipſe S. Auguſtinus, cujus Baptiſmi anniverſaria memoria eſt in Martyrol. Rom. 5. Maii.

V. l. 8. c. 1. n. 1. ibid. c. 7. l. 1. c. 10 l. 1. retr. c. 6. l. 1. retr. c. 6. & ſeq. A. C. 388. Siricii 4 Val. 13. Theod. 10 l. 1. contra Jul. c. 9.

USUS.

Securitas illa de venia peccatorum, quæ poſt baptiſmum & pœnitentiam infunditur, manifeſtum argumentum eſt divinæ gratiæ, & veræ fidei. Carent illa impœnitentes, item Hæretici & Ethnici.

CAP. VII.

Ut populus Mediolanenſis Pſalmos & Hymnos concineret, inſtitutum eſt Juſtina perſequente Ambroſium: a quo peractam non ſine miraculis translationem SS. Martyrum Gervaſii & Protaſii, recenſet.

1. NOn longe cœperat Mediolanenſis Eccleſia genus hoc conſolationis, & exhortationis celebrare, ma-

gno ſtudio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Nimiruin annus erat, aut non multo amplius, cum (a) Juſtina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuæ cauſa, qua fuerat ſeducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Eccleſia, mori parata cum Epiſcopo ſuo, ſervo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, ſolicitudinis & vigiliarum primas partes tenens, orationibus vivebat. Nos adhuc frigidi a calore ſpiritus tui, excitabamur tamen, civitate attonita atque turbata. Tunc Hymni & Pſalmi ut canerentur, ſecundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt: & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac pene omnibus gregibus tuis, & per cetera orbis imitantibus.

2. Tunc memorato antiſtiti tuo per viſum aperuiſti, quo loco laterent martyrum corpora (b) Gervaſii & Protaſii, quæ per tot annos incorrupta, in theſauro ſecreti tui recondideras: unde opportune promeres, ad coercendam rabiem femineam, ſed regiam. Cum enim propalata & effoſſa, digno cum honore transferrentur ad Ambroſianam baſilicam: non ſolum, quos immundi vexabant ſpiritus, confeſſis eiſdem dæmonibus, ſanabantur: verum etiam quidam plures annos cæcus civis, civitatique notiſſimus, cum populi tumultuantis lætitiæ cauſam quæſiſſet atque audiſſet, exilivit, eoque ſe ut duceret, ſuum du-

ducem rogavit. Quo perductus impetravit admitti, ut ſudario tangeret feretrum *pretioſæ in conſpectu tuo mortis ſanctorum tuorum*. Quod ubi fecit, atque admovit oculis, confeſtim aperti ſunt. Inde fama diſcurrens, inde laudes tuæ ferventer lucentes, inde illius inimicæ animus, etſi ad credendi ſanitatem non applicitus, a perſequendi tamen furore compreſſus eſt. Gratias tibi Deus meus. Unde, & quo eduxiſti recordationem meam, ut hæc etiam confiterer tibi, quæ magna oblitus præterieram? (*c*) Et tamen tunc, cum ita fragraret *odor unguentorum tuorum*, non currebamus poſt te; & ideo plus flebam inter cantica! hymnorum tuorum, olim ſuſpirans tibi, & tandem reſpirans, (*d*) quantum patet aura in domo fœnea.

Pſ. 115. 15.

Cant. 1. 4.

NOTÆ.

(a) *Juſtina*) De ejus hac in Ambroſium perſecutione & cauſis vide Baron. qui antiquitatem quoque Pſalmos & Hymnos concinendi in Eccleſia, egregie defendit.

(b) *Gervaſii & Protaſii*) Quorum Feſtum colit Eccleſia 19. Junii. V. Baron. in notis ad Martyrologium Romanum, ubi probabiliter concludit eos paſſos temporibus M. Aurelii Antonini, & Lucii Veri Imperatorum, poſt annum nonum Imperii eorum exorto jam bello Marcomannico. Quare per 200. & amplius annos, incorrupta Sanctorum horum corpora manſiſſe neceſſe eſt, ut merito id prodigii loco memoret S. D. Dicti enim imperatores, cœperunt imperare A. C. 163. Hæc vero translatio refertur a Baronio A. C. 387. apud quem V. plura. Meminit de eadem ſæpius alibi Auguſtinus.

A. C. 386. *A. C.* 384. *lib.* 22. *de Civ Dei cap*

gno ſtudio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Nimiruin annus erat, aut non multo amplius, cum (a) Juſtina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuæ cauſa, qua fuerat ſeducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Eccleſia, mori parata cum Epiſcopo ſuo, ſervo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, ſolicitudinis & vigiliarum primas partes tenens, orationibus vivebat. Nos adhuc frigidi a calore ſpiritus tui, excitabamur tamen, civitate attonita atque turbata. Tunc Hymni & Pſalmi ut canerentur, ſecundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt: & ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac pene omnibus gregibus tuis, & per cetera orbis imitantibus.

2. Tunc memorato antiſtiti tuo per viſum aperuiſti, quo loco laterent martyrum corpora (b) Gervaſii & Protaſii, quæ per tot annos incorrupta, in theſauro ſecreti tui recondideras: unde opportune promeres, ad coercendam rabiem femineam, ſed regiam. Cum enim propalata & effoſſa, digno cum honore transferrentur ad Ambroſianam baſilicam: non ſolum, quos immundi vexabant ſpiritus, confeſſis eiſdem dæmonibus, ſanabantur: verum etiam quidam plures annos cæcus civis, civitatique notiſſimus, cum populi tumultuantis lætitiæ cauſam quæſiſſet atque audiſſet, exilivit, eoque ſe ut duceret, ſuum du-

ducem rogavit. Quo perductus impetravit admitti, ut ſudario tangeret feretrum *pretioſæ in conſpectu tuo mortis ſanctorum tuorum*. Quod ubi fecit, atque admovit oculis, confeſtim aperti ſunt. Inde fama diſcurrens, inde laudes tuæ ferventer lucentes, inde illius inimicæ animus, etſi ad credendi ſanitatem non applicitus, a perſequendi tamen furore compreſſus eſt. Gratias tibi Deus meus. Unde, & quo eduxiſti recordationem meam, ut hæc etiam confiterer tibi, quæ magna oblitus præterieram? (*c*) Et tamen tunc, cum ita fragraret *odor unguentorum tuorum*, non currebamus poſt te; & ideo plus flebam inter cantica hymnorum tuorum, olim ſuſpirans tibi, & tandem reſpirans, (*d*) quantum patet aura in domo fœnea. *Pſ.* 115. 15. *Cant.* 1. 4.

NOTÆ.

(a) *Juſtina*) De ejus hac in Ambroſium perſecutione & cauſis vide Baron. qui antiquitatem quoque Pſalmos & Hymnos concinendi in Eccleſia, egregie defendit.

(b) *Gervaſii & Protaſii*) Quorum Feſtum colit Eccleſia 19. Junii. V. Baron. in notis ad Martyrologium Romanum, ubi probabiliter concludit eos paſſos temporibus M. Aurelii Antonini, & Lucii Veri Imperatorum, poſt annum nonum Imperii eorum exorto jam bello Marcomannico. Quare per 200. & amplius annos, incorrupta Sanctorum horum corpora manſiſſe neceſſe eſt, ut merito id prodigii loco memoret S. D. Dicti enim imperatores, cœperunt imperare A. C. 163. Hæc vero translatio refertur a Baronio A. C. 387. apud quem V. plura. Meminit de eadem ſæpius alibi Auguſtinus. *A. C.* 386. *A. C.* 394. *lib.* 22. *de Civ Dei cap*

8. & Ser. 19. de div. cap. 5. (c) *Et tamen tunc*, &c.) Tempore hujùs translationis, Auguſtinus adhuc Caſſiciaci morabatur, ideoque ait *ſe nondum cucurriſſe poſt Deum*, baptiſmum nempe adhuc differendo: quam moram videtur deflere, etſi forte culpabilis non fuerit.

Iſai. 4. 6. (d) *Quantum patet aura in domo fœnea*) Corpus ſuum intelligit, *omnis enim caro fœnum*, cujus anguſtiis velut coarctabatur, fervore divini amoris, & Chriſtianæ Pſalmodiæ ſuavitate inflammatus.

USUS.

1. Elucet Pſalmotum & Hymnorum utilitas ad pietatis affectus concitandos, de quo iterum inf.

l. 10. c. 33. 2. Apparet veteris Eccleſiæ devotio erga SS. Martyrum reliquias, divinis etiam miraculis teſtata, quæ S. D. refert. Quod ſi fidem iis abrogant Sectarii, non meliores ſe eſſe oſtendunt Arrianis, qui hæc ipſa Catholicæ fidei, & SS. Martyrum teſtimonia Ser. 91. ſpernebant, uti liquet ex S. Ambroſio. Si vero credunt, ergo fateantur cultum reliquiarum & invocationem Sanctorum non repugnare veræ fidei, Deus enim non poteſt confirmare falſum cultum & idololatricum prodigiis, cum ſit Deus veritatis, & idololatriæ non ſolum hoſtis, verum & vindex. Nec ratio permittit ſuſpicari, quod permiſerit tantos Eccleſiæ Doctores Auguſtinum & Ambroſium, diabolicis præſtigiis ſuperſtitioſiſque commentis, in publicam fidelium perniciem, decipi ac dementari; & Luthero ac Calvino, has ſcilicet Dæmonis præſtigias, poſt tot ſecula revelarit.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VIII.

Se cum Evodio & aliis pariter in Africam remeasse, Matre ad Ostia Tiberina defuncta, cujus educationem describit, & quomodo a vinolentia liberata sit.

1. *QUi habitare facis unanimes in domo*, conlociasti nobis & Evodium juvenem ex nostro municipio. Qui cum agens in rebus militaret, prior nobis ad te conversus est, & baptizatus, & relicta militia seculari, accinctus tua. Simul eramus, simul habitabamus in placito sancto. Quærebamus, quisnam locus nos utilius haberet servientes tibi. (*a*) Pariter remeabamus in Africam. Et cum apud ostia Tiberina essemus, mater defuncta est. Multa prætereo, quia multum festino. Accipe confessiones meas & gratiarum actiones Deus meus, de rebus innumerabilibus, etiam in silentio. Sed non præteribo, quicquid mihi anima parturit de illa famula tua, quæ me parturivit & carne, ut in hanc temporalem, & corde, ut in æternam lucem renascerer. Non ejus, sed tua dicam dona in ea. Neque enim seipsam fecerat, aut educaverat seipsam. *Ps.67.7.*

2. Tu creasti eam, nec pater, nec mater sciebat, qualis ex eis fieret. Et erudivit eam in timore tuo (*b*) virga Christi tui, regimen unici filii tui, in domo fideli, bono membro Ecclesiæ tuæ. Nec tantam erga suam disciplinam

diligentiam matris prædicabat, quantam famulæ cujuſdam decrepitæ, quæ patrem ejus infantem portaverat, ſicut dorſo grandiuſcularum puellarum parvuli portari ſolent. Cujus rei gratia, & propter ſenectam ac mores optimos, in domo Chriſtiana ſatis a dominis honorabatur. Unde etiam curam dominicarum filiarum commiſſam ſibi, diligenter gerebat, & erat in eis coercendis, cum opus eſſet, ſancta ſeveritate vehemens, atque in docendis ſobria prudentia. Nam eas præter illas horas, quibus ad menſam parentum moderatiſſime alebantur, etiamſi exardeſcerent ſiti, nec aquam bibere ſinebat, præcavens conſuetudinem malam, & addens verbum ſanum: *Modo aquam bibitis, quia in poteſtate vinum non habetis: cum autem ad maritos veneritis, factæ dominæ apothecarum & cellariorum, aqua ſordebit, ſed mos potandi prævalebit.*

3. Hac ratione præcipiendi & autoritate imperandi, frænabat aviditatem tenerioris ætatis, & ipſam puellarum fitim formabat ad honeſtum modum, ut jam nec liberet, quod non deceret. Et ſurrepſerat tamen, ſicut mihi filio famula tua narrabat, ſurrepſerat ei vinolentia. Nam cum de more, tanquam puella ſobria juberetur a parentibus de cuppa vinum depromere, priuſquam in lagunculam funderet merum, primoribus labris ſorbebat exiguum, quia non poterat amplius, ſenſu recuſante. Non enim ulla temulenta cupidine faciebat hoc,

hoc, ſed quibuſdam ſuperfluentibus ætatis exceſſibus, qui ludicris motibus ebulliunt, & in puerilibus animis majorum pondere premi ſolent.

4. Itaque ad illud modicum, quotidiana modica addendo (quoniam *qui modica ſpernit, paulatim decidit*) in eam conſuetudinem lapſa erat, ut prope jam plenos mero caliculos inhianter hauriret. Ubi tunc ſagax anus, & vehemens illa prohibitio? Nunquid valebat aliquid adverſus latentem morbum, niſi tua medicina Domine vigilaret ſuper nos? Abſente patre, & matre, & nutritoribus, tu præſens, qui creaſti, qui vocas, qui etiam per præpoſitos homines boni aliquid agis ad animarum ſalutem, quid tunc egiſti Deus meus? unde curaſti? unde ſanaſti? Nonne protuliſti durum & acurum ex altera anima convitium, tanquam medicinale ferrum, ex occultis proviſionibus tuis, & uno ictu putredinem illam præcidiſti? *Eccl.* 19. 1.

5. Ancilla enim, cum qua ſolebat accedere ad cuppam, litigans cum domina minore, ut fit, ſola cum ſola, objecit hoc crimen amariſſima inſultatione, vocans meribibulam. Quo illa ſtimulo percuſſa, reſpexit fœditatem ſuam, confeſtimque damnavit, atque exuit. Sicut amici adulantes pervertunt, ſic inimici litigantes plerumque corrigunt. Nec tu quod per eos agis, ſed quod ipſi voluerunt, retribues eis. Illa enim irata exagitare appetivit minorem dominam, non ſanare: & ideo

clanculo, aut quia ita eas invenerat locus & tempus litis, aut ne forte & ipsa periclitaretur, quod tam sero prodidisset. At tu Domine rector cælitum & terrenorum, ad usus tuos contorquens profunda torrentis ," fluxum seculorum ordinans turbulentum, etiam de alterius animæ insania sanasti alteram. Ne quisquam cum hoc advertit, potentiæ suæ tribuat, si verbo ejus alius corrigatur, quem vult corrigi.

N O T Æ.

(a) *Pariter remeabamus in Africam*) Hæsit tamen aliquantisper Romæ, ubi dum tempus navigationi opportunum expectat, scripsit libros de moribus Ecclesiæ Catholicæ, & alterum de moribus Manichæorum, item de Quantitate animæ, item libros de libero arbitrio collocutore illo ipso Evodio, cujus hic meminit, secundum tamen, & tertium in Africa se primum terminasse affirmat. Quæ autem præterea Romæ & in Africa gesserit, omittit, *Deo confessiones, & gratiarum actiones de rebus innumerabilibus in silentio offerens*. Matris tamen vitam & præclare gesta, ejusque mortem gratus filius cum laude recenset. Reliqua Augustini gesta in presbyterio & Episcopatu, ex Scriptoribus vitæ Possidio, Cornelio Lancilloto, item Baronio petantur. Nos solas ejus Confessiones elucidamus, & publico usui aptamus. Libro tamen 10. ubi suum in virtute profectum describit, quædam attingemus.

l. 1. Retr. c. 7. §. 9.

(b) *Virga Christi tui*) Gratia & providentia divina, qua mirabiliter ab ipsa infantia gubernat electos Deus, & S. Monicam a Christianis parentibus ortam, copiosis bonitatis suæ donis prævenit ac ornavit.

U S U S.

1. Magna est bonæ educationis utilitas, quæ sæpe magis debetur pædagogis & nutricibus

cibus ſeu curatricibus, quam parentibus. Qui melius de liberis ſuis mereri non poſſunt, quam ſi eorum curam ac diſciplinam iis hominibus commendet, a quibus virtutem diſcere cogantur. Meminerint tamen, ſi tales nacti ſunt, eos honorare, & pro meritis remunerari.

2. Adigendi ſunt pueri & puellæ ad honeſtum modum in cibo & potu, ita ut præter horas prandii & cænæ vix ſinantur bibere. Certe niſi mature aſſuefiant ad temperantiam, evadunt potatores, & per gulam ac ebrietatem ſibi ad interitum viam ſternunt. Nemo ebrietatis amans ullam virtutem ſolide aſſequi poteſt, aut innocentiam tueri.

3. Luculento exemplo docet Monica, quomodo minimis etiam exceſſibus ad magna vitia perveniatur. Ecce cui paulo ante nec libebat, quod non decebat, illa plenos meſo caliculos inhianter haurit.

4. Divinæ providentiæ occultus & mirus, nec infrequens eſt modus, unius hominis vitio, ſanare vitium animæ alterius. Eodem fere modo S. D. Alipium ſe ſanaſſe inſanientem amore ſpectandi ſupra narravit.

5. Grande humilitatis incitamentum S. D. iis ſuggerit, qui proximo juvando occupantur. Ut nemo potentiæ ac virtuti ſuæ tribuat, ſi verbo ejus alius corrigatur, quem vult corrigi. Nam quivis reperiet ſe plurimis ſuperbiæ, vanæ gloriæ, impatientiæ, ſenſualitatis, negligentiæ peccatis, conciones, lectiones, admonitiones, aliaque proximi convertendi miniſteria corrumpere & inquinare: adeo, ut ſane ſoli Deo omnis honor & gloria debeatur, nobis autem confuſio faciei.

CAP. IX.

Qua mansuetudine ac patientia, Monica ferocem maritum ac socrum mitigarit, quantum item studuerit conciliare dissidentes, & omnibus obsequi.

1. EDucata itaque pudice ac sobrie, potiusque a te subdita parentibus, quam a parentibus tibi: ubi plenis annis nubilis facta est, tradita viro servivit veluti domino; & sategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulcram faciebas, & reverenter amabilem, atque mirabilem viro. Ita autem toleravit cubilis injurias, ut nullam de hac re cum marito haberet unquam simultatem. Expectabat enim misericordiam tuam super eum, ut in te credens castificaretur. Erat vero ille præterea, sicut benevolentia præcipuus, ita ira fervidus. Sed noverat hæc non resistere irato viro, non tantum facto, sed ne verbo quidem. Jam vero refracto & quieto, cum opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si forte ille inconsideratius commotus fuerat.

2. Denique cum matronæ multæ, quarum viri mitiores erant, plagarum vestigia etiam dehonestata facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam, hæc earum linguam, veluti per jocum, graviter admonens, ex quo illas tabulas, quæ matrimoniales vocantur, recitari audis-

sent,

Digitized by Google

ſent, tanquam inſtrumenta, quibus ancillæ factæ eſſent, deputare debuiſſe: proinde memores conditionis ſuperbire adverſus dominos non oportere. Cumque mirarentur illæ, ſcientes quam ferocem conjugem ſuſtineret, nunquam fuiſſe auditum, aut aliquo indicio claruiſſe quod Patricius ceciderit uxorem, aut quod a ſe invicem vel unum diem domeſtica lite diſſenſerint: & cum cauſam familiariter quærerent, docebat illa inſtitutum ſuum, quod ſupra memoravi. Quæ obſervabant, expertæ gratulabantur: quæ non obſervabant, ſubjectæ vexabantur.

3. Socrum etiam ſuam primo ſuſurriis malarum ancillarum adverſus ſe irritatam, ſic vicit obſequiis, perſeverans tolerantia & manſuetudine, ut illa ultro filio ſuo medias linguas famularum proderet, quibus inter ſe & nurum pax domeſtica turbabatur, expeteretque vindictam. Itaque poſteaquam ille & matri obtemperans, & curans familiæ diſciplinam, & concordiæ ſuorum conſulens, proditas ad prodentis arbitrium verberibus coercuit: promiſit illa talia de ſe præmia ſperare debere, quæcunque de ſua nuru ſibi, quo placeret, mali aliquid loqueretur: nullaque jam audente, memorabili inter ſe benevolentiæ ſuavitate vixerunt. Hoc quoque illi bono mancipio tuo, in cujus utero me creaſti Deus meus, miſericordia mea! munus grande donaveras. Inter diſſidentes atque diſcordes quaslibet animas, ubi poterat, tam ſe præbebat pa-

pacificam, ut cum ab utraque multa de invicem audiret amariſſima, qualia ſolet eructare turgens atque indigeſta diſcordia, quando præſenti amicæ de abſente inimica, per acida colloquia cruditas exhalatur odiorum, nihil tamen alteri de altera proderet, niſi quod ad eas reconciliandas valeret.

4. Parvum hoc bonum mihi videretur, niſi turbas innumerabiles triſtis experirer (neſcio qua horrenda peſtilentia peccatorum, latiſſime pervagante) non ſolum iratorum inimicorum iratis inimicis dicta prodere, ſed etiam quæ non dicta ſunt, addere: cum contra animo humano parum eſſe debeat inimicitias hominum nec exagitare, nec augere male loquendo, niſi eas etiam extinguere bene loquendo ſtuduerit, qualis illa erat docente te magiſtro intimo, in ſchola pectoris. Denique etiam virum ſuum, jam in extrema vita temporali ejus, lucrata eſt tibi, nec in eo jam fideli planxit, quod in nondum fideli toleraverat.

5. Erat etiam ſerva ſervorum tuorum. Quiſquis eorum noverat eam, multum in ea laudabat, & honorabat, & diligebat te: quia ſentiebat præſentiam tuam in corde ejus, ſanctæ converſationis fructibus teſtibus. Fuerat enim unius viri uxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum ſuam pie tractaverat, in operibus bonis teſtimonium habebat. Nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties a te deviare cernebat. Poſtremo nobis Domine

mine omnibus, qui ex munere tuo ſinis loqui ſervis tuis, qui ante dormitionem ejus in te jam conſociati vivebamus, percepta gratia baptiſmi tui, ita ſervivit, quaſi ab omnibus genita fuiſſet.

USUS.

1. S. Monicam ſi omnes nuptæ imitentur, nullus rixis & querelis in conjugio erit locus; hæc autem illa exempla edidit. I. Viro ſervivit veluti Domino, memor Deum illud in tabulis matrimonialibus poſuiſſe: *ſub viri poteſtate eris*, &c. II. Eidem irato nec facto, nec verbo reſtitit. III. Si extra culpam erat, conjugi jam refracto & quieto, rationem reddidit. IV. Cubilis injurias patienter toleravit. V. Mariti ad Deum & frugem converſionem longanimiter expectavit, & proculdubio frequenter pro eo, ut pro filio Auguſtino, oravit. *Gen.* 3. 16.

2. Illuſtre eadem Sancta Matrona Chriſtianæ concordiæ exemplum præbuit. I. Adverſantes ſibi vincendo obſequiis. II. Prodendo & comprimendo linguas diſcordiarum ſeminatrices. III. Nihil alteri dicendo, quod ad animos conciliandos non valeret. IV. Bene de aliis loquendo. *Hoc* pacis & concordiæ ſtudium omnes imitari debemus, ſi Beati, & ex pacificorum numero ac filiorum Dei, eſſe volumus.

CAP. X.

Ut cum matre paulo ante ejus mortem de æterna vita, ſupra omnem creaturam beata, diſſeruerit, ipſa poſt filii converſionem longiorem vitam jam non deſiderante.

1. IMminente autem die, quo ex hac vita erat exitura, quem diem tu no-

noveras ignorantibus nobis, provenerat ut credo, procurante te occultis tuis modis, ut ego & ipsa soli staremus incumbentes ad quandam fenestram, unde hortus intra domum, quæ nos habebat, prospectabatur, illuc apud ostia Tiberina; ubi remoti a turbis, post longi itineris laborem, instaurabamus nos navigationi. Colloquebamur ergo
Phil. 3. 13. soli valde dulciter, & *præterita obliviscentes, in ea quæ ante sunt extenti*, quærebamus inter nos apud præsentem veritatem, quod tu es, qualis futura esset vita æterna sanctorum,
1. *Cor.* 2. 9. *quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*. Sed inhiabamus ore cordis in superna
Psal. 35. 10. fluenta fontis tui, *fontis vitæ, qui est apud te*, ut inde pro captu nostro aspersi, quoquo modo rem tantam cogitaremus.

2. Cumque ad eum finem sermo perduceretur, ut carnalium sensuum delectatio quantalibet, in quantalibet luce corporea, præ illius vitæ jucunditate, non comparatione, sed nec commemoratione quidem digna videretur: erigentes nos ardentiore affectu in idipsum, perambulavimus gradatim cuncta corporalia, & ipsum cœlum, unde sol, & luna, & stellæ lucent super terram. Et adhuc ascendebamus interius cogitando, & loquendo te, & mirando opera tua. Et venimus ad mentes nostras, & transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis; ubi pascis Israel in æternum

num veritatis pabulo : & ubi vita ſapientia eſt, per quam fiunt omnia iſta, & quæ fuerunt, & quæ futura ſunt. Et ipſa non fit, ſed ſic eſt, ut fuit, & ſic erit ſemper ; cum potius fuiſſe, & futurum eſſe, non eſt in ea, ſed eſſe ſolum, quoniam æterna eſt. Nam fuiſſe & futurum eſſe, non eſt æternum. Et dum loquimur & inhiamus illi, attingimus eam modice toto ictu cordis, & ſuſpiravimus, & reliquimus ibi religatas primitias ſpiritus, & remeavimus ad ſtrepitum oris noſtri, ubi verbum & incipitur, & finitur. Et quid ſimile verbo tuo domino noſtro, in ſe permanenti ſine vetuſtate, atque innovanti omnia?

3. Dicebamus ergo : Si cui ſileat tumultus carnis, ſileant phantaſiæ terræ, & aquarum, & aeris ; ſileant & poli, & ipſa ſibi anima ſileat, & tranſeat ſe non ſe cogitando ; ſileant ſomnia, & imaginariæ revelationes, omnis lingua, & omne ſignum, & quicquid tranſeundo fit, ſi cui ſileat omnino. Quoniam ſi quis audiat, dicunt hæc omnia : Non ipſa nos fecimus, ſed fecit nos, qui manet in æternum. His dictis, ſi jam taceant, quoniam erexerunt aurem in eum, qui fecit ea, & loquatur ipſe ſolus, non per ea, ſed per ſeipſum, ut audiamus verbum ejus, non per linguam carnis, neque per vocem angeli, nec per ſonitum nubis, nec per ænigma ſimilitudinis, ſed ipſum, quem in his amamus, ipſum ſine his audiamus : ſicut nunc extendimus

nos,

nos, & rapida cogitatione attingimus æternam ſapientiam ſuper omnia manentem, ſi continuetur hoc, & ſubtrahantur aliæ viſiones longe imparis generis, & hæc una rapiat, & abſorbeat & recondat in interiora gaudia ſpectatorem ſuum: ut talis ſit ſempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui ſuſpiravimus. Nonne hoc
Matth. 25. 21. eſt, *Intra in gaudium domini tui?* Et iſtud quando?

1. *Cor.* 15. 51. 4. An cum *omnes reſurgemus, ſed non omnes immutabimur?* Dicebamus talia, & ſi non iſto modo, & his verbis, tamen Domine tu ſcis, quod illo die cum talia loqueremur, & mundus iſte nobis inter verba vileſceret, cum omnibus delectationibus ſuis. Tunc ait illa: Fili, quantum ad me attinet, nulla re jam delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, & cur hic ſim neſcio, jam conſumpta ſpe hujus ſeculi. Unum erat, propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam: ut te Chriſtianum catholicum viderem, priuſquam morerer. Cumulatius hoc mihi Deus meus præſtitit, ut te etiam contempta felicitate terrena, ſervum ejus videam. Quid hic facio?

U S U S.

1. Hæc ſumma eſt ſtupendæ aſcenſionis, qua S. D. cum matre aſpiravit ad gaudia vitæ æternæ. *Tranſeundę ſunt omnes creaturę cum omni decore, pulcritudine, ſuavitate ſua, non ſolum corporeę, verum & ſpiritales. Quod ſupra illas omnes eſt, nec per ullam imaginem corpoream intelligi poteſt, illud eſt gau-*

gaudium Domini, in quod intrabunt omnes ſervi illius boni & fideles. Quid ergo quærimus ſolatia in terris, cum incomparabiliter majora nobis ſerventur in cœlis, etſi illa non niſi modice uno ictu cordis, & rudi cogitatione poſſimus attingere?

2. S. Monica poſtquam vidit filium Catholicum & Dei ſervum, nihil ultra in hac vita ſibi deſiderandum putavit: ſic Dei ſervus animarum ſaluti procurandæ deſtinaus, poſtquam manipulos multos proviribus in horreum Domini comportavit, nihil habet ultra, quo in hac vita delectetur.

CAP. XI.

Ut S. Monica febribus correpta, ſolus poſtulans preces, de ſepulcro nihil ſolicita, die nono ægritudinis corpore ſoluta ſit.

1. AD hæc ei quid reſponderim, non ſatis recolo. Cum interea vix intra quinque dies, aut non multo amplius, decubuit febribus. Et cum ægrotaret quodam die, defectum animæ paſſa eſt, & paululum ſubtracta a præſentibus. Nos concurrimus, ſed cito reddita eſt ſenſui, & aſpexit adſtantes, me & fratrem meum, & ait nobis, quaſi quærenti ſimilis, Ubi eram? Deinde nos intuens mœrore attonitos, ponetis hic, inquit, matrem veſtram. Ego ſilebam, & fletum frænabam. Frater autem meus quiddam locutus eſt, quo eam non peregre ſed in patria ſua defungi, tanquam felicius optaret. Quo audi-

dito, illa vultu anxio reverberans eum oculis, quod talia ſaperet, atque inde me intuens, Vide ait, quid dicit? Et mox ambobus: Ponite, inquit, hoc corpus ubicunque, nihil vos ejus cura conturbet. Tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi fueritis.

2. Cumque hanc ſententiam, verbis quibus poterat, explicaſſet, conticuit, & ingraveſcente morbo exercebatur. Ego vero cogitans dona tua Deus meus inviſibilis, quæ immittis in corda fidelium tuorum, & proveniunt inde fruges admirabiles: gaudebam, & gratias agebam tibi, recolens quod noveram, quanta cura ſemper æſtuaſſet de ſepulcro, quod ſibi proviserat & præparaverat, juxta corpus viri ſui. Quia enim valde concorditer vixerant, id etiam volebat, ut eſt animus humanus minus capax divinorum, adjungi ad illam felicitatem, & commemorari ab hominibus, conceſſum ſibi eſſe poſt tranſmarinam peregrinationem, ut conjuncta terra, amborum conjugum terra tegeretur.

3. Quando autem iſta inanitas plenitudine bonitatis tuæ cœperat in ejus corde non eſſe, neſciebam, & lætabar admirans, quod ſic mihi aperuiſſet: quamquam, & illo ſermone noſtro ad feneſtram: cum dixit: *Jam quid hic facio?* non apparuit deſiderare in patria mori. Audivi etiam poſtea, quod jam cum Oſtiis eſſemus, cum quibuſdam amicis meis materna fiducia colloquebatur,

batur, quodam die, de contemptu vitæ hujus & bono mortis, ubi ipſe non aderam. Illiſque ſtupentibus virtutem feminæ, quam tu dederas ei, quærentibuſque, utrum non formidaret tam longe a ſua civitate, corpus relinquere. *Nihil* (inquit) *longe eſt Deo, neque timendum eſt, ne ille non agnoſcat in fine ſeculi, unde me reſuſcitet.* Ergo die nono ægritudinis ſuæ, quinquageſimo & ſexto anno ætatis ſuæ, (a) triceſimo & tertio ætatis meæ, anima illa religioſa & pia, corpore ſoluta eſt.

NOTÆ.

(a) *Triceſimo & tertio ætatis meæ*) Demonſtrat Baronius ſubeſſe mendum, & legi debere *trigeſimo & quinto*. Quod probat ex aliis S. D. locis, rectèque admonet *germanum habendum eſſe textum illum, qui alterius textus ejuſdem autoris conteſtatione fulcitur, ſuſpectum vero eum, qui a duobus, vel pluribus contrariis textibus impugnatur.* A. C. in notis 388. & ad Mar. edit. emen. die 5. Maii

USUS.

1. Cura morituri alia nulla eſſe debet, quam ut a Deo miſericordiam, ab hominibus ſuffragia impetret. Hoc docet Monica, quæ nihil aliud petit, quam ut ad altare Domini memores ſint ſui, ubicunque fuerint.

2. Expendant Sectarii, quam certo ſenſerint veteres fideles, ſuffragia vivorum prodeſſe defunctis, & quam ſolicitè illa ſibi procurarint.

3. Vana eſt illorum cura & parum Chriſtiana, qui valde de ſepulcro in patria reperiendo ſolliciti ſunt, cum veriſſimum ſit, ut dixit Monica: *Nihil longe eſſe Deo, neque timendum, ut in fine ſeculi non agnoſcat, unde quemvis reſuſcitet.*

4. So-

4. Solet Deus electorum ſuorum vitia, etſi parva, ante mortem plenitudine gratiæ ſuæ plerumque emendare: ita S. Monicæ eximit inordinatam curam Sepulturæ gentilitiæ.

CAPUT XII.

Quam acerbum dolorem, etſi invitus in morte ac funere matris ſenſerit.

1. PRemebam oculos ejus, & confluebat in præcordia mea mœſtitudo ingens, & transfluebat in lacrymas: ibidemque oculi mei, violento animi imperio, reſorbebant fontem ſuum uſque ad ſiccitatem, & in tali luctamine valde male mihi erat. Tum vero ubi efflavit extremum ſpiritum, puer Adeodatus exclamavit in planctum, atque ab omnibus nobis coercitus tacuit. Hoc modo etiam meum quiddam puerile, quod labebatur in fletus, juvenili voce cordis coerbatur, & tacebat. Neque enim decere arbitrabamur, funus illud queſtibus lacrymoſis gemitibuſque celebrare: quia his plerunque ſolet deplorari quædam miſeria morientium, aut quaſi omnimoda extinctio. At illa nec miſere moriebatur, nec omnino moriebatur. Hoc & documentis morum ejus, & fide non ficta, rationibuſque certis tenebamus.

2. Quid ergo erat, quod intus mihi gravior dolebat, niſi ex conſuetudine ſuavi vivendi dulciſſima, & cariſſima,

ma, repente dirupta, vulnus recens? Gratulabar quidem teſtimonio ejus, quod in ea ipſa ultima ægritudine, obſequiis meis interblandiens, appellabat me pium, & commemorabat grandi dilectionis affectu, nunquam ſe audiſſe ex ore meo, jaculatum in ſe durum, aut contumelioſum ſermonem. Sed tamen, quid tale Deus meus, qui feciſti nos, quid comparabile habebat honor a me delatus illi, & ſervitus ab illa mihi? Quoniam itaque deſerebat tam magno ejus ſolatio, ſauciabatur anima mea, & quaſi dilaniabatur vita, quæ una facta erat ex mea, & illius.

3. Cohibito ergo a fletu illo puero, Pſalterium arripuit Euodius, & cantare cœpit Pſalmum, cui reſpondebamus omnis domus: *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Audito autem quid ageretur, convenerunt multi fratres ac religioſæ feminæ. Et de more illis, quorum officium erat, funus curantibus, ego in parte, ubi decenter poteram, cum eis qui me non deſerendum eſſe cenſebant, quod erat tempori congruum diſputabam: eoque fomento veritatis mitigabam cruciatum tibi notum, illis ignorantibus, & intente audientibus, & ſine ſenſu doloris me eſſe arbitrantibus. At ego in auribus tuis, ubi eorum nullus audiebat, increpabam mollitiem affectus mei, & conſtringebam fluxum mœroris. Cedebatque mihi paululum, rurſuſque impetu

*Pſ.*100. 1.

ſuo

ſuo ferebatur, non uſque ad eruptionem lacrymarum, nec uſque ad vultus mutationem. Et quia mihi vehementer diſplicebat, tantum in me poſſe hæc humana, quæ ordine debito, & forte conditionis noſtræ, accidere neceſſe eſt: alio dolore dolebam dolorem meum, & duplici triſtitia macerabar.

4. Cum ecce corpus elatum eſt, imus, & redimus ſine lacrymis. Nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cum tibi offerretur pro ea Sacrificium pretii noſtri, juxta ſepulcrum poſito cadavere, priuſquam deponeretur, ſicut illic fieri ſolet, nec in eis precibus ego flevi. Sed toto die graviter in occulto mœſtus eram, & mente turbata rogabam te, ut poteram, quo ſanares dolorem meum: nec faciebas, credo commendans memoriæ meæ, vel hoc uno documento omnis conſuetudinis vinculum, etiam adverſus mentem, quæ jam non fallaci verbo paſcitur. Viſum etiam mihi eſt, ut irem lavatum, quod audieram inde balneis nomen inditum, quia Græci βαλανεῖον dixerint, quod anxietatem pellat ex anima. Ecce & hoc confiteor miſericordiæ tuæ pater orphanorum, quoniam lavi, & talis eram, qualis priuſquam laviſſem. Neque enim exſudavit de corde meo mœroris amaritudo.

5. Deinde dormivi & evigilavi, & non parva ex parte mitigatum inveni dolorem meum. Atque ut eram in le-

Digitized by Google

&to meo ſolus, recordatus ſum veridicos verſus Ambroſij tui: Tu es enim.

Deus creator omnium,
Polique rector; veſtiens
Diem decoro lumine,
Noctem ſoporis gratia,
Artus ſolutos ut quies
Reddat laboris uſui,
Menteſque foſſas alleret,
Luctuſque ſolvat anxios.

Atque inde paulatim reducebam in priſtinum ſenſum ancillam tuam, converſationemque ejus, piam in te & ſanctam, in nos blandam atque morigeram, qua ſubito deſtitutus ſum. Et libuit flere in conſpectu tuo de illa, & pro illa, de me, & pro me. Et dimiſi lacrymas, quas continebam, ut effluerent, quantum vellent, ſubſternens eas cordi meo, & requievi in eis: quoniam ibi erant aures tuæ, non cujuſquam hominis ſuperbe interpretantis ploratum meum.

6. Et nunc Domine, confiteor tibi in literis, legat, qui volet, & interpretetur, ut volet. Et ſi peccatum invenerit fleviſſe me matrem exigua parte horæ, matrem oculis meis interim mortuam, quæ me multos annos fleverat, ut oculis tuis viverem: non irrideat, ſed potius, ſi eſt grandi caritate, pro peccatis meis fleat ipſe ad te, patrem omnium fratrum Chriſti tui.

U S U S.

1. Non deflenda eſt *mors juſtorum*, *pretioſa in conſpectu Domini*, quia nec miſere moriuntur, Beati enim ſunt, qui *in Domino moriuntur*, nec omnino moriuntur, ſed me-

liore sui parte superstites, vitam deteriorem cum meliore commutant.

2. Audi hæretice oblatum sacrificium pretij nostri, nimirum Missæ, pro anima S. Monicæ, & Catholicos fuisse S. Augustinum, & Matrem ejus, item Alipium intellige.

3. Quanta sit consuetudinis violentia, expertus est S. D. in hoc ipso mærore, qui reluctantem licet animum ejus fregit, quamvis nec tam immoderatus, nec tam diuturnus fuerit hic dolor, quam ille, quo de morte amici se doluisse, seu potius insanisse supra confessus est. *l. 4.*

4. Indulgendum est aliquid naturæ in tam gravi luctu, quamvis moderanda sit fræno voluntatis divinæ, & conditionis humanæ. Morimur quia Deus vult, & natura jubet. S. Bernardus ingentem quoque dolorem ex morte fratris percepit. *Serm. 26. in Cantic.*

CAP. XIII.

Consideratione periculorum omnis animæ, quæ in Adam moritur, orat pro matre, idemque ab aliis fieri rogat.

1. EGo autem jam sanato corde ab illo vulnere, in quo poterat redargui carnalis affectus, fundo tibi Deus noster pro illa famula tua longe aliud lacrymarum genus, quod manat de concusso spiritu, consideratione periculorum omnis animæ, quæ *in Adam moritur*. Quamquam illa in Christo vivificata, etiam nondum a carne resoluta sic vixerat, ut laudetur nomen tuum in fide moribusque ejus. Non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptis- *1. Cor. 15. 27.*

mum

mum regeneraſti, nullum verbum exiſſe ab ore ejus contra præceptum tuum. Et dictum eſt a veritate, filio tuo. *Si quis dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gebennæ ignis*. Et væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam. Quia vero non exquiris delicta vehementer, fiducialiter ſperamus aliquem apud te locum invenire indulgentiæ. Quisquis autem tibi enumerat vera merita ſua, quid tibi enumerat, niſi munera tua? O ſi cognoſcant ſe omnes homines, & *qui gloriantur, in Domino glorientur!*

Mat. 5. 29.

1. *Cor.* 10. 17.

2. Ego itaque laus mea & vita mea, Deus cordis mei! ſepoſitis pauliſper bonis ejus actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te: exaudi me per medicinam vulnerum noſtrorum, quæ pependit in ligno, & ſedens ad dexteram tuam, te interpellat pro nobis. Scio miſericorditer operatam, & ex corde dimiſiſſe debita debitoribus ſuis, dimitte illi & tu debita ſua. Si qua etiam contraxit per tot annos, poſt aquam ſalutis, dimitte. Domine, dimitte obſecro: *ne intres cum ea in judicium*; *Superexaltet miſericordia judicium*, quoniam eloquia tua vera ſunt, & promiſiſti miſericordiam miſericordibus. Quod ut eſſent, tu dediſti eis, qui *miſereberis, cui miſertus eris, & miſericordiam præſtabis, cui miſericors fueris*. Et credo jam feceris, quod te rogo, ſed *voluntaria oris mei approba Domine*.

Pſ. 142. 2. *Luc.* 2. 13. *Mat.* 5. 7. *Rom.* 9. 15. *Pſ.* 118. 108.

3. Namque illa imminente die resolutionis suæ, non cogitavit suum corpus sumptuose contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulcrum patrium. Non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui, ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei, prætermissione servierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua *deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis*, qua triumphatus est hostis, computans delicta nostra, & quærens quid objiciat, & nihil inveniens in illo, in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem sanguinem? Quis ei restituet pretium, quo nos emit, ut nos offerat ei, ad cujus pretij nostri sacramentum, ligavit ancilla tua, animam suam vinculo fidei?

Col. 2. 14.

4. Nemo a protectione tua dirumpat eam. Non se interponat, nec vi, nec insidiis, leo & draco. Neque enim respondebit illa nihil se debere, ne convincatur & obtineatur ab accusatore callido. Sed respondebit dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet, quod pro nobis non debens, reddidit. Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli, & post quem nulli nupta est. Cui servivit, fructum tibi afferens cum tolerantia, ut eum quoque lucraretur tibi. Et inspira Domine Deus meus, inspira servis tuis, fratribus meis, filiis tuis, dominis meis, quibus & voce, & corde, & literis servio: ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare

Digitized by Google

tare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam ejus conjuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quemadmodum nescio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoria, & fratrum meorum sub te patre, in matre catholica, & civium meorum in æterna Jerusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui, ab exitu usque ad reditum: ut quod a me illa poposcit extremum, uberius ei præstetur in multorum orationibus, tam per confessiones, quam per orationes meas.

U S U S.

1. Docet S. D. quemvis sibi & aliis timere debere in morte; nemo enim securus est misericordiæ & veniæ. Væ etiam iis, qui justi habentur, nisi misericordia patrocinium suscipiat.

2. Humilitatis hoc fundamentum est, *vita hominum nil esse, nisi Dei munera*, in quo solo gloriandum est.

3. Oratio pro defunctis in veteri Ecclesia, fuit in pretio & usu. Qui eam oderunt, non sunt veteris Ecclesiæ hæredes, sed rebelles ac hostes.

LIBER X.

Oſtendit, quibus ad Dei cognitionem gradibus conſcenderit; eum inveniri in memoria, cujus mirabilem vim luculenter deſcribit; in Deo ſolo eſſe veram beatitudinem, quam omnes appetunt, etſi non omnes legitimis eam quærant mediis. Tum ſtatum præſentem animi ſui aperit, & languores triplicis concupiſcentiæ.

CAPUT I.

In ſola ſpe gratiæ divinæ gaudendum.

1. GNOSCAM te Domine cognitor meus, cognoſcam te, ſicut & a te cognitus ſum. Virtus animæ meæ intra in eam, & coapta tibi, ut habeas & poſſideas ſine macula & ruga. Hæc eſt mea ſpes, ideo loquor, & in ea ſpe gaudeo, quando ſane gaudeo. Cetera vero vitæ hujus tanto minus flenda, quanto magis fletur, & tanto magis flenda, quanto minus fletur in eis. *Ecce enim veritatem dilexiſti!* quoniam qui facit eam, venit ad lucem. Volo eam facere in corde meo, coram te in confeſſione, in ſtylo autem meo coram multis teſtibus.

Pſ. 50. 8.

USUS.

U S U S.

Sola ſpes bonæ conſcientiæ ſperantis ſe eſſe ſine macula peccati mortalis, verum gaudium parit. Res vero aliæ, cum ad ſalutem nihil ſine gratia Dei conferant, nec gaudium afferre poſſunt ſolidum, cum habentur, nec dolorem debent, cum amittuntur.

CAP. II.

Deo nihil eſſe occultum, ei ſe confiteri ut erubeſcat de ſe, & abijciat ſe, illum vero eligat.

1. ET tibi quidem Domine, cujus oculis nuda eſt abyſſus humanæ conſcientiæ, quid occultum eſſet in me, etiamſi nollem confiteri tibi? (*a*) Te enim mihi abſconderem, non me tibi. Nunc autem, quod gemitus meus teſtis eſt, diſplicere me mihi, tu refulges, & places, & amaris, & deſideraris, ut erubeſcam de me, & abijciam me, atque eligam te, & nec tibi, nec mihi placeam, niſi de te.

2. Tibi ergo Domine manifeſtus ſum, quicunque ſim, & quo fructu tibi confitear, dixi. Neque enim id ago verbis carnis & vocibus, ſed verbis animæ & clamore cogitationis, quem novit auris tua. Cum enim malus ſum, nihil eſt aliud confiteri tibi, quam diſplicere mihi. Cum vero pius, nihil eſt aliud confiteri tibi, quam hoc non tribuere mihi: quoniam tu Domine benedicis juſtum, ſed prius eum juſtificas impium. Confeſſio itaque mea Deus meus in conſpectu tuo tibi tacite fit, & non ta-

cite; tacet enim ſtrepitu, clamat affectu. Neque enim dico recti aliquid hominibus, quod non a me tu prius audieris, aut etiam tu aliquid tale audis a me, quod non prius mihi tu dixeris.

NOTÆ.

(a) *Te enim mihi abſconderem, non me ſibi*) qui peccata ſua Deo occultare conatur, intellectum ſuum obſcurat, ne Deum cognoſcere, & gratia ejus illuſtrari poſſit, quare ſibi Deum, non ſe Deo abſcondit.

USUS.

Solidæ humilitatis principium hoc eſt, *in malis ſibi diſplicere tanquam ſuis, in bonis Deo gratias agere, tanquam alienis*, quia ab ipſo eſt omne bonum noſtrum: valdeque cavendum eſt, ne qui in virtute proficit, ſibi de profectu vane placeat.

CAP. III.

Confeſſum ſe coram hominibus, quis fuerit, & præterita mala ſua, ut infirmi excitentur ad ſpem miſericordiæ.

1. (a) QUid mihi ergo eſt cum hominibus, ut audiant confeſſiones meas, quaſi ipſi ſanaturi ſint omnes languores meos? Curioſum genus ad cognoſcendam vitam alienam, deſidioſum ad corrigendam ſuam. Quid a me quærunt audire, qui ſim, qui nolunt a te audire, qui ſint? Et unde ſciunt cum a meipſo de meipſo audiunt, an verum dicam, quandoquidem nemo *ſcit hominum, quid agatur in homine, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?* Si autem

1. Cor. 2. 11.

tem a te audiant de ſeipſis, non poterunt dicere: mentitur dominus. Quid eſt enim a te audire de ſe, niſi cognoſcere ſe? Quis porro cognoſcit, & dicit: falſum eſt, niſi ipſe mentiatur? Sed quia *cæritas omnia credit*, inter eos utique, quos connexos ſibimet unum facit, ego quoque Domine etiam ſic tibi confiteor: ut audiant homines, quibus demonſtrare non poſſum, an vera confitear: ſed credunt mihi, quorum mihi aures caritas aperit. 1. *Cor.* 13. 7.

2. Veruntamen tu medice meus intime, quo fructu iſta faciam, eliqua mihi. Nam confeſſiones præteritorum malorum meorum, quæ remiſiſti & texiſti, ut beares me in te, mutans animam meam fide & ſacramento tuo: cum leguntur & audiuntur, excitant cor, ne dormiat in deſperatione, & dicat, non poſſum: ſed evigilet in amore miſericordiæ tuæ, & dulcedine gratiæ tuæ, qua potens eſt omnis infirmus, qui ſibi per ipſam ſit conſcius infirmitatis ſuæ. Et delectat bonos audire præterita mala eorum, qui jam carent eis: nec ideo delectat, quia mala ſunt, ſed quia fuerunt, & non ſunt.

3. Quo itaque fructu Domine Deus meus, cui quotidie confitetur conſcientia mea, ſpe miſericordiæ tuæ ſecurior, quam innocentia ſua, quo fructu quæſo, etiam hominibus coram te confiteor per has litteras, adhuc quis ego ſim, non quis fuerim? Nam illum fructum vidi, & commemoravi. Sed quis

adhuc ſim, ecce in ipſo tempore confeſſionum mearum, & multi hoc noſſe cupiunt, qui me noverunt, & non me noverunt: qui ex me, vel de me aliquid audierunt, ſed auris eorum non ad cor meum, ubi ego ſum, quicunque ſum. Volunt ergo audire confitentem me, quid ipſe intus ſim, quo nec oculum, nec aurem, nec mentem poſſunt intendere, credituri tamen volunt, nunquid cognituri? Dicit enim eis caritas, qua boni ſunt, non mentiri me de me confitentem, & ipſa in eis credit mihi.

NOTÆ.

(a) *Quid mihi ergo eſt cum hominibus &c.*) hæc verba citat Brentius in Confeſſione Wirtebergenſi, contra Confeſſionem Sacramentalem Catholicorum, quaſi ſenſerit S. D. per eam non poſſe ſanari languores peccatorum. Sed hoc eſt ſimplicibus imponere, non enim loquitur S. D. in his libris, ut omnes norunt, de Confeſſione peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum, quæ neceſſaria eſt ad ſalutem, ſecundum veram & Catholicam ipſius Auguſtini ſententiam, ſed de Confeſſione voluntaria peccatorum, quæ ante Baptiſmum commiſſa, & per illum dimiſſa ſunt. Hanc S. D. confeſſionem publice fecit in his libris, ut infirmi ſuo exemplo excitarentur ad ſpem miſericordiæ. Quod ſi quaſdam culpas poſt baptiſmum a ſe patrari ſolitas recenſet, eæ leviſſimæ ſunt & veniales: quibus expiandis, etſi Sacramentum Confeſſionis conducat, non eſt tamen neceſſarium.

USUS.

1. Eſt caritatis Chriſtianæ, non facile ſuſpicari ſubeſſe falſum dictis aliorum, quos ſemper præſtat æſtimare bonos eſſe, adeoque & veraces, quam malos & menda-

daces. Plus enim placet Deo pia credulitas, quam profit temeraria de aliis ſuſpicio.

2. Qui gravibus peccatis obnoxij ſunt, aut magnam in ſuperandis vitiis difficultatem ſentiunt, legant Confeſſiones Auguſtini, & cognitis graviſſimis ejus peccatis, in quibus ab ipſa pueritia uſque ad trigeſimum annum pertinaciter hæſit, concipiant & ipſi *ſpem Veniæ*. Nec dicant *non poſſum*, potuit Auguſtinus cum divina gratia, poteris & tu, modo intelligas, te non poſſe per te.

CAP. IV.

Confiteri ſe quoque quis jam ſit, ut ſervi Dei fratres ſui, reſpirent in bonis ſuis, ſuſpirent in malis ſuis, Deumque pro ſe laudent ac orent.

1. SEd quo fructu id volunt? An congratulari mihi cupiunt, cum audierint, quantum ad te accedam munere tuo, & orare pro me, cum audierint, quantum retarder pondere meo? Indicabo me talibus. Non enim parvus eſt fructus Domine Deus meus, ut a multis tibi gratiæ agantur de nobis, & a multis rogeris pro nobis. Amet in me fraternus animus, quod amandum doces, & doleat in me, quod dolendum doces. Animus ille hoc faciat fraternus, non extraneus, non filiorum alienorum, *quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis*: ſed fraternus ille, qui cum approbat me, gaudet de me. Cum au- *Pſ. 143. 8. 9.*

tem improbat me, contriſtatur pro me, quia ſive approbet me, ſive improbet, diligit me. Indicabo me talibus: reſpirent in bonis meis, ſuſpirent in malis meis. Bona mea, inſtituta tua ſunt, & dona tua: (*a*) mala mea, delicta mea ſunt, & judicia tua. Reſpirent in illis, ſuſpirent in his. Et hymnus & fletus aſcendant in conſpectum tuum, de fraternis cordibus (*b*) turibulis tuis.

2. Tu autem Domine delectatus odore ſancti templi tui, *miſerere mei ſecundum magnam miſericordiam tuam*, propter nomen tuum, & nequaquam deſerens cœpta tua, conſumma imperfecta mea. Hic eſt fructus confeſſionum mearum, non qualis fuerim, ſed qualis ſim, ut hoc confitear, non tantum coram te ſecreta exultatione cum tremore, & ſecreto mœrore cum ſpe: ſed etiam in auribus credentium filiorum hominum & ſociorum gaudij mei, & conſortium mortalitatis meæ, civium meorum, & mecum peregrinorum, præcedentium, & conſequentium, & comitum vitæ meæ.

Pſ. 50. 2.

3. Hi ſunt ſervi tui fratres mei, quos filios tuos eſſe voluiſti, dominos meos, (*c*) quibus juſſiſti, ut ſerviam, ſi volo tecum de te vivere. Et hoc mihi Verbum tuum parum erat, ſi loquendo præciperet, niſi & faciendo præiret. Et ego id ago factis & dictis, id ago ſub alis tuis, nimis cum ingenti periculo: niſi quia ſub alis tuis tibi ſubdita eſt anima mea, & infirmitas mea tibi nota eſt. Parvulus ſum, ſed vi-

Digitized by Google

vivit ſemper pater meus, & idoneus eſt mihi tutor meus. Idem ipſe eſt enim, qui genuit me, & tuetur me, & tu ipſe es omnia bona mea, tu omnipotens, qui mecum es, & priuſquam tecum ſim. Indicabo ergo talibus, qualibus jubes, ut ſerviam, non quis fuerim, ſed quis jam ſim, & quis adhuc ſim. Sed neque meipſum dijudico. Sic itaque audiar.

NOTÆ.

(a) *Mala mea delicta mea ſunt, & judicia tua*) quia Deus juſto judicio etiam amicos ſuos & filios permittit *cadere ſepties*, hæc enim infirmitas pars pœnæ eſt filiorum Adam, & ſimul humilitatis admonitio ac exercitatio. *Prov.* 24. 16.

(b) *Turibulis tuis*) pulcre corda juſtorum appellat Dei turibula; in his enim adolentur Deo pij affectus bonæ voluntatis.

(c) *Quibus juſſiſti, ut ſerviam*) Memor fuit S. D. in Epiſcopatu illius præcepti, *qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*, ideoque non imperabat, ſed miniſtrabat Clericis & Civibus ſuis Hipponenſibus, quibus præerat. *Luc.* 22. 26.

USUS.

1. Confiteri aliis bona ſua aut mala, ad Dei gloriam, & proximi utilitatem, laudabile eſt, & a S. D. præmonſtratum; qui fructum ſperat, idem acere poterit, prout res feret.

2. Diſcant Epiſcopi exemplo S. D. non *dominari in cleris*, ſed miniſtrare, & periculum officii ſui ſæpe expendant. *1. Pet.* 3. 2.

CAP.

CAP. V.

Deum noſſe omnia, quæ ſunt in homine, eum violari non poſſe, id ſe ſcire: de ſe autem neſcire, quibus tentationibus valeat reſiſtere.

1. TU enim Domine dijudicas me, quia etſi *nemo ſcit hominum, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt*: (*a*) tamen eſt aliquid hominis, quod nec ipſe ſcit ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. Tu autem ſcis ejus omnia, qui feciſti eum. Ego vero quamvis præ tuo conſpectu me deſpiciam, & æſtimem me terram & cinerem, tamen aliquid de te ſcio, quod de me neſcio. Et certe *nunc videmus per ſpeculum in ænigmate*, nondum *facie ad faciem*. Et ideo quamdiu peregrinor abs te, (*b*) mihi ſum præſentior quam tibi: & tamen te novi nullo modo poſſe violari. Ego vero quibus tentationibus reſiſtere valeam, quibuſve non valeam, neſcio.

1. Cor. 2. 11.

1. Cor. 13. 12.

2. Et ſpes eſt, quia *fidelis es, qui nos non ſinis tentari ſupra, quam poſſumus ferre, ſed facis cum tentatione etiam exitum*, ut poſſimus ſuſtinere. Confitear ergo, quid de me ſciam: confitear, & quid de me neſciam. Quoniam, & quod de me ſcio, te mihi lucente ſcio: & quod de me neſcio, tamdiu neſcio, donec fiant tenebræ meæ, ſicut meridies in vultu tuo.

1. Cor. 10. 13.

NO-

NOTÆ.

(a) *Tamen eſt aliquid hominis*) Hoc eſt, quod *neſcit homo, an odio vel amore dignus ſit*, ſive utrum ſit in ſtatu damnationis vel gratiæ. Imo nec cogitationes & affectus ſuos novit, inde ſcrupuli, & perplexitas in rebus plurimis, an hoc ſit factum vel cogitatum, quo animo, quo fine, qua deliberatione. Quæ omnia Deus in numerato habet, non minus quam capillos capitis. *Eccl.* 9. 1.

(b) *Mihi ſum præſentior quam tibi*) quoad cognitionem & attentionem; nobis enim utcuuque per experimentalem notitiam noti ſimus, & ipſo amore noſtri urgemur in frequentem noſtri cogitationem. Deus autem puritate ſua phantaſmata corporea, quibus utimur in hac vita, terrenoſque affectus longe tranſcendit, ideoque obſcure ſolum, & raro de illo cogitamus.

USUS.

Triſtis illa eſt ignorantia & merito affligit, quod neſciamus, an perſeverantiæ dono Deus nos bearit, adverſus omnia tentationum genera. Sed pugnemus alacriter, fidelis eſt Deus.

CAP. VI.

Certa conſcientia Deum a ſe amari, dulcem ſupra omne id, quod eſt ſenſibile, de eo ſibi creaturas corporeas uſque ad meliorem iis animam, reſpondiſſe ſingulas: Non ſum Deus, idemque reſpondere omnibus recte judicantibus.

1. (a) NOn dubia, ſed certa conſcientia, Domine amo te. Percuſſiſti cor meum verbo tuo, & amavi

vi te. (*b*) Sed & cœlum, & terra, & omnia, quæ in eis ſunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem! nec ceſſant dicere omnibus, ut ſint inexcuſabiles. Altius autem tu miſereberis, cui miſertus eris, & miſericordiam præſtabis, cui miſericors fueris. Alioquin cœlum & terra, (*c*) ſurdis loquuntur laudes tuas. Quid autem amo, cum te amo? Non ſpeciem corporis, nec decus temporis, non candorem lucis ecce iſtis amicum oculis! non dulces melodias cantilenarum omnimodarum; non florum & unguentorum & aromatum ſuaveolentiam, non manna & mella; non membra acceptabilia carnis amplexibus.

2. Non hæc amo, cum amo Deum meum, & tamen amo quendam lucem, & quendam vocem, & quandam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum, cum amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei: ubi fulget animæ meæ, quod non capit locus; & ubi ſonat, quod non rapit tempus; & ubi olet, quod non ſpargit flatus, & ubi ſapit, quod non minuit edacitas; & ubi hæret, quod non divellit ſatietas. Hoc eſt quod amo, cum Deum meum amo. Et quid eſt hoc? Interrogavi terram, dixit: Non ſum, & quæcunque in eadem ſunt, idem confeſſa ſunt. Interrogavi mare, & abyſſos, & reptilia animarum vivarum, & reſponderunt: Non ſumus Deus tuus, quære ſuper nos. Interrogavi auras flabiles, & inquit univerſus aer cum incolis ſuis:

(*d*) fal-

(*d*) fallitur Anaximenes, non ſum Deus. Interrogavi cœlum, ſolem, lunam & ſtellas, neque nos ſumus Deus, quem quæris, inquiunt.

3. Et dixi omnibus his, quæ circunſtant fores carnis meæ: Dixiſtis mihi de Deo meo, quod vos non eſtis, dicite mihi de illo aliquid. Et exclamaverunt voce magna; ipſe fecit nos. (*e*) Interrogatio mea, intentio mea, & (*f*) reſponſio eorum, ſpecies eorum. Et direxi me ad me, & dixi mihi: Tu qui es? Et reſpondi, homo. Et ecce corpus & anima, in me mihi præſto ſunt, unum exterius & alterum interius! Quid horum eſt, unde quærere debui Deum meum, quem jam quæſiveram per corpus, a terra uſque ad cœlum, quouſque potui mittere nuncios radios oculorum meorum? Sed (*g*) melius quod interius eſt. Ei quippe renuntiabant omnes nuntii corporales, præſidenti & judicanti de ſingulis reſponſionibus cœli, & terræ, & omnium, quæ in eis ſunt, dicentium: Non ſumus Deus, ſed ipſe fecit nos. Homo interior cognovit hæc, per exterioris miniſterium; Ego interior cognovi hæc, ego animus per ſenſus corporis mei.

4. Interrogavi mundi molem de Deo meo, & reſpondit mihi: Non ego ſum, ſed ipſe me fecit. Nonne omnibus, quibus integer ſenſus eſt, apparet hæc ſpecies? Cur non omnibus eadem loquitur? Animalia puſilla & magna vident eam, ſed interrogare nequeunt. Non enim præpoſita eſt in eis nuntiantibus

tibus ſenſibus judex ratio. Homines autem poſſunt interrogare, ut *inviſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciant*. Sed amore ſubduntur eis, & (*b*) ſubditi judicare non poſſunt. Nec reſpondent illa interrogantibus, niſi judicantibus, nec vocem ſuam mutant, id eſt, ſpeciem ſuam: ſi alius tantum videat, alius autem videns interroget, ut aliter illi appareat, aliter huic: ſed eodem modo utriſque apparens, illi muta eſt, huic loquitur. Imo vero omnibus loquitur, ſed illi intelligunt, qui vocem acceptam foris, (*i*) intus cum veritate conferunt. Veritas enim dicit mihi: Non eſt Deus tuus cœlum & terra, neque omne corpus. Hoc dicit eorum natura videnti. Moles minor eſt in parte, quam in toto. Jam tu melior es, tibi dico anima, quoniam tu vegetas molem corporis tui, præbens ei vitam, quod nullum corpus præſtat corpori, Deus autem tuus etiam tibi, vitæ vita eſt.

Rom. 1. 20.

N O T Æ.

(a) *Non dubia ſed certa conſcientia ame te*) intelligit S. D. certitudinem moralem, ſive conjecturalem, qualem quis habere ſe confidis, ſi nullius peccati mortalis ſibi conſcius ſit, cum quo ſtare poteſt aliquis timor, juxta illud S. Pauli, *Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc juſtificatus non ſum*. Certitudo enim fidei de gratia & caritate Dei, a Catholicis rejicitur ſecundum Scripturas, & SS. PP. ipſumque Auguſtinum, & pertinet ad errores Sectariorum, quos optime refutat Bellarm.

1. *Cor.* 4. 4.

l. 3. *de juſti. c.* 3. *& ſeq.*

(b) *Sed & cœlum, & terra*) nam *non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de*

de cælo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum. Cœlum ergo, ut cum S. Prosper loquar, *cuncta quæ cælestia, mare & terra, amniaque, quæ in eis sunt, consono speciei suæ, ordinationisque consensu protestantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua, majestatem & bonitatem sui loquuntur autoris*, omnesque ad gratitudinem, & amorem ejus incitant. *Act.* 14. 16. *l.* 2. *de vocat. gent. c.* 4.

(c) *Surdis loquuntur*) quia sine gratia Dei efficaci creaturarum vocibus nemo attendit: etsi omnes possent attendere, si vellent, ideoque sint inexcusabiles.

(d) *Fallitur Anaximenes*) qui teste Cicerone *Aera Deum statuit, eumque gigni, esse immensum, & infinitum, & semper in motu: sidera autem, Solemque & Lunam de terra nata essa*, opinabatur, de quo S. D. alibi memorat eum docuisse Deos ex aere ortos. *l.* 1. *de nat. Deorum.* *l.* 8. *de civ. c.* 2.

(e) *Interrogatio mea, intentio mea*) sive attentio & consideratio, qua intellectus examinat & contemplatur creaturarum speciem, ordinem, modum.

(f) *Responsio eorum, species eorum*) sive natura finita, quæ particulam tantum boni habet, nec ita bona est, ut non sit aliud majus bonum. Hanc suam limitatam bonitatem, dum creaturæ intellectui eas consideranti objiciunt, una voce respondent: *non sumus Deus, qui est omne bonum, & quo nullum est majus bonum*.

(g) *Melius, quod interius est,*) mens enim hominis & ipsa sensuum objecta cognoscit, & de sensibus rebusque sensibilibus judicat; longe ergo præstat sensibus, qui singuli nec tam multa cognoscunt, nec judicare possunt.

(h) *Et subditi judicare non possunt*) judicio; sufficiente ad amandum Deum, etsi sufficiat ad eum cognoscendum & quærendum, ideoque ad culpam. Nam etsi amor inordinatus creaturarum, quo homo illis se-

sub-

ſubjicit, liget affectum, ne aſſurgat in Deum: non ita tamen obſcurat intellectum, ut non videat Deum eſſe quærendum & amandum, quod quia non fecerunt Philoſophi, ideo ſunt *inexcuſabiles*, & *evanuerunt in cogitationibus ſuis*.

(i) *Intus cum veritate conferunt*) hoc eſt cum lumine vultus divini, quod ſignatum eſt ſuper nos, ſive cum principiis & veritatibus, nobis naturaliter manifeſtis, quale eſt illud: *Omne corporeum minus eſt in parte, quam in toto*: melior ergo eſt anima, quæ tota vegetat totum corpus, & tota quamvis partem illius: & melior eſt corpore & anima Deus, qui eſt vita animæ, & omnium viventium, amandus ergo ſupra omnia corpora, & ipſam animam. Quia & hoc natura dictat, ut *majus bonum ametur ſupra minus bonum*, & *ſummum bonum, ſupra omne bonum finitum*. Qui ſecundùm hæc principia creaturas non examinant, illas non intelligunt nec capiunt, ideoque capiuntur amore illarum inordinato & illicito.

USUS.

V. S. Thom. in c. 1. ad Rom. S. Dionyſ. c. 1. de div. nom.

1. Duplex eſt modus bonitatem & immenſitatem Dei cognoſcendi ex creaturis. Unus per viam *Affirmationis & excellentiæ*, cum omnes craturarum perfectiones Deo tribuuntur, quia multo perfectius ſunt in illo, quam in ipſis. Alter per viam *negationis & remotionis*, cum enim Deus infinite creaturas ſuperet, nulla earum perfectio ob ſuam limitationem, & adjunctam imperfectionem ei proprie convenit, hinc recte a S. Greg. Nazianz. appellatur *innominabilis & omninomius*. Etſi enim plurimis nominibus apelletur, nullum tamen nomen, nulla conceptio illius perfectionem ullam exprimit, prout eſt in ſeipſa, quia non poſſumus concipere niſi perfectiones finitas, quales experimur in creaturis. Utroque modo S. D. hic docet ex creaturis ſenſibilibus inveſtigare Deum. I. Per *Negationes*, di-

dicendo non esse corpus, non lucem, non odorem, non melodiam, &c. non aliud quid sensibus suave. II. Per viam *Affirmationis* dicendo illum esse hæc omnia, sed remotis imperfectionibus, quas pulcre & apposite ad affectum explicat.

2. Utilem hoc caput subministrat meditationem ad amorem Dei ex creaturis inflammandum, ipsarumque creaturarum, quæ tam longe a creatore distant, contemptum.

CAP. VII.

Nec vegetativa, nec sensitiva animæ vi Deum inveniri, cum utraque brutis sit communis.

1. QUid ergo amo, cum Deum meum amo? Quis est ille, super caput animæ meæ? Per ipsam animam meam, ascendam ad illum. Transibo vim meam, qua hæreo corpori, & vitaliter compagem ejus repleo. Non ea vi reperio Deum meum, nam reperiret *equus & mulus, quibus non est intellectus*, & est eadem vis, qua vivunt etiam eorum corpora. *Ps. 31. 9.*

2. Est alia vis, non solum, qua vivifico, sed etiam qua sensifico carnem meam, quam mihi fabricavit dominus, jubens oculo, ut non audiat, & auri, ut non videat: sed illi, per quem videam, huic, per quam audiam, & propria sigillatim ceteris sensibus, sedibus suis & officiis suis, quæ diversa per eos ago unus ego animus. Transibo & istam vim meam. Nam & hanc habet equus & mulus, sentiunt enim etiam ipsi per corpus.

USUS.

U S U S.

Recenſet S. D. quomodo Deum non inventum in rebus corporeis, quæſiverit in anima ſua, & per illam. I. Quidem ait, ſe illum non inveniſſe vi vegetante. II. Nec per vim ſentientem, neque enim iſtæ facultates aſſurgunt, ultra res corporeas & ſenſibiles, nobis cum brutis communes. Imitemur S. D. & ſenſibilibus relictis, ratione duce Deum quæramus.

CAP. VIII.

Aſcendiſſe ſe in memoriam ſuam pleniſſimam miraculorum, quorum primum eſt, omnium rerum ſenſibilium imagines, ſine rebus ipſis, ſine confuſione, illa contineri, & cum aliquid cogitandum eſt in promptu eſſe.

1. TRanſibo ergo, & iſtam vim naturæ meæ, gradibus aſcendens ad eum, qui fecit me cum ea, & venio in campos & lata prætoria memoriæ meæ: ubi ſunt theſauri innumerabilium imaginum, de hujuſcemodi rebus ſenſis invectarum. Ibi reconditum eſt, quicquid etiam cogitamus, (*a*) vel augendo, vel minuendo, vel utcunque variando ea, quæ ſenſus attigerit: & ſi quid aliud commendatum & repoſitum eſt, quod nondum abſorbuit & ſepelivit oblivio. Ibi quando ſum, poſco, ut proferatur quicquid volo, & quædam ſtatim prodeunt, quædam requiruntur diutius, & tanquam de abſtruſioribus quibusdam receptaculis eruuntur, quædam catervatim ſe proruunt, & dum

& dum aliud petitur, & quæritur, proſiliunt in medium quaſi dicentia : Ne forte nos ſumus ? Et abigo ea manu cordis, a facie recordationis meæ : donec enubiletur illud, quod volo, atque in coſpectum prodeat ex abditis. Alia faciliter atque imperturbata ſerie, ſicut poſcuntur, ſuggeruntur, & cedunt præcedentia conſequentibus, & cedendo conduntur, iterum cum voluero, proceſſura. Quod totum fit, cum aliquid narro memoriter.

2. Ibi ſunt omnia diſtincte generatimque ſervata, quæ ſuo quæque aditu ingeſta ſuut, ſicut lux, atque omnes colores, formæque corporum per oculos : per aures autem, omnia genera ſonorum : omneſque odores, per aditum narium : omneſque ſapores, per oris aditum : ad ſenſum autem totius corporis, quid durum, quid molle, quid calidum, frigidumve, lene aut aſperum, grave ſeu leve, ſive extrinſecus ſive intrinſecus corpori. Hæc omnia recipit recolenda, cum opus eſt, & retractanda grandis memoriæ receſſus. Et neſcio, qui ſecreti atque ineffabiles ſinus ejus, quæ omnia ſuis quæque foribus intrant ad eam, & reponuntur in ea. (*b*) Nec ipſa tamen intrant, ſed rerum ſenſarum imagines illic præſto ſunt, cogitationi reminiſcenti eas.

3. Quæ quomodo fabricatæ ſint, quis dicit, cum appareat, quibus ſenſibus raptæ ſint, interiuſque reconditæ ? Nam & in tenebris atque in ſilentio dum habito, in memoria mea profero, ſi volo,

lo, colores: & discerno inter album & nigrum, & inter quos alios volo. Nec incurrunt soni atque perturbant, quod per oculos haustum considero, cum & ipsi ibi sint, & quasi seorsum repositi lateant. Nam & ipsos posco, si placet, atque adsunt illico. Et quiescente lingua ac silente gutture, canto quantum volo: imagines que illæ colorum, quæ nihilominus ibi sunt, non se interponunt, neque interrumpunt, cum thesaurus alius retractatur, qui influxit ab auribus. Ita cetera, quæ per sensus ceteros ingesta atque congesta sunt, recordor, prout libet. Et auram liliorum discerno a violis, nihil olfaciens: & mel (*c*) defruto, lene aspero, nihil tunc gustando, neque contrectando, sed reminiscendo antepono. Intus hæc ago, in aula ingenti memoriæ meæ.

4. Ibi enim mihi cœlum, & terra, & mare præsto sunt, cum omnibus quæ in eis sentire potui, præter illa quæ oblitus sum. Ibi & ipse mihi occurro, meque recolo, quid, quando, vel ubi egerim; quoque modo, cum agerem, affectus fuerim. Ibi sunt omnia, quæ sive experta a me, sive credita memini. Ex eadem copia etiam similitudines rerum, vel expertarum, vel ex eis, quas expertus sum creditarum, alias atque alias, & ipse contexo præteritis: atque ex his etiam futuras actiones, & eventa, & spes, & hæc omnia rursus quasi præsentia meditor. Faciam hoc aut illud, dico apud me, in ipso ingenti sinu

ani-

animi mei, pleno tot & tantarum rerum imaginibus, & hoc aut illud ſequetur. O ſi eſſet hoc, aut illud! Avertat Deus hoc, aut illud! Dico apud me iſta. Et cum dico, præſto ſunt imagines omnium quæ dico, ex eodem theſauro memoriæ, nec omnino aliquid eorum dicerem, ſi defuiſſent.

5. Magna iſta vis eſt memoriæ, magna nimis Deus meus penetrale amplum & infinitum. Quis ad fundum ejus pervenit? Et vis eſt hæc animi mei, atque ad meam naturam pertinet: nec ego ipſe capio totum, quod ſum. Ergo animus ad habendum ſeipſum anguſtus eſt, ut ubi ſit, quid ſit, non capiat. Nunquid extra ipſum, ac non in ipſo? Quomodo ergo non capit?

6. Multa mihi ſuper hoc oboritur admiratio, ſtupor apprehendit me. Et eunt homines mirari alta montium, & ingentes fluctus maris, & latiſſimos lapſus fluminum, & Oceani ambitum, & gyros ſiderum, & relinquunt ſeipſos, nec mirantur. Quin hæc omnia, cum dicerem, non ea videbam oculis; nec tamen dicerem, niſi montes & fluctus, & flumina, & ſidera, quæ vidi, & Oceanum quem credidi, intus in memoria mea viderem, ſpaciis tam ingentibus, quaſi foris viderem. Nec ea tamen videndo abſorbui, quando vidi oculis: nec ipſa ſunt apud me, ſed imagines eorum. Et novi, quid ex quo ſenſu corporis impreſſum ſit mihi.

NOTÆ.

(a) *Vel augendo vel minuendo*) Intelligit S. D. ea, quæ nunquam visa nobis imaginamur ex aliis rebus similibus; sic v. g. Romam aut Carthaginem, concipimus ad modum magnæ urbis: ea vero quibus nihil simile, nec in parte, nec in toto unquam vidimus, imaginari omnino non possumus. Hinc est, ut ait S. D. alibi, *quod a prima*
Ep. 71. ad Nebrid. *ætate cæci, cum de luce, coloribusque interrogantur, quid respondeant, non inveniunt. Non enim coloratas ullas patiuntur imagines, qui senserunt nullas.*

(b) *Nec ipsa tamen intrant*) Res sensibiles imprimunt suas imagines sensibus, easque mittunt ad animum, quo ipsæ non perveniunt neque enim murus intrat per oculos, sed sola ejus imago. Pulcre Aristoteles, *ut*
L. 2. de anim. t. 25. *cera*, inquit, *annuli sine ferro & auro recipit signum, accipit enim aureum, aut æreum signum, sed non in quantum aurum & æs: similiter autem & sensus uniuscujusque, ab habente odorem, aut saporem, aut sonum patitur.*

(c) *De fruto*) Id est vino, quod ex duabus partibus ad tertiam calore ignis redactum est, teste Nonio Marcello.

USUS.

Hunc ipse S. D. digito monstrat, tanta nimirum miracula ut consideremus, & animum nostrum aliis rebus longe præferamus.

CAP. IX.

Alterum memoriæ miraculum est, retinere præcepta Doctrinarum liberalium, non per imagines, instar rerum sensibilium, sed per seipsas.

1. SEd non ea sola gestat immensa ista capacitas memoriæ meæ. Hic sunt

ſunt & illa omnia, quæ de doctrinis liberalibus præcepta nondum exciderunt, quaſi remota interiore loco: non loca, nec eorum imagines, ſed res ipſas gero. Nam quid ſit literatura, quid peritia diſputandi, quot genera quæſtionum, quicquid horum ſcio, ſic eſt in memoria mea, ut non retenta imagine rem foris reliquerim: aut ſonuerit & præterierit, ſicut vox impreſſa per aures veſtigio, quo recolitur, quaſi ſonaret, cum jam non ſonaret: aut ſicut odor, dum tranſit & evaneſcit in ventos, olfactum afficit, unde trajicit in memoriam imaginem ſui, quam reminiſcendo repetamus: aut ſicut cibus, qui certe in ventre jam non ſapit, & tamen in memoria quaſi ſapit: aut ſicut aliquid, quod corpore tangendo ſentitur, quod etiam ſeparatum a nobis imaginatur memoria. Iſtæ quippe res non intromittuntur ad eam, ſed earum ſolæ imagines mira celeritate capiuntur, & miris tanquam cellis reponuntur, & mirabiliter recordando proferuntur.

NOTÆ.

Etſi D. S. admiſerit ſpecies intentionales rerum corporearum tum in ſenſu externo, tum interno: ſpecies tamen intelligibiles ſcientiarum & diſciplinarum, nullas agnovit, ut clare ex hoc capite colligitur. Cen ſuit enim doctrinas liberales animo noſtro inſitas, & quaſi naturaliter congenitas, ut de primis principiis aliqui philoſophantur. Unde concluſit eas nullis imaginibus egere, & jure cum per ſeipſas intellectui præſto ſint. *Durand. 3. d. 33. q. 1. ad 2. Dom. Soto. l. 1. de juſt. q. 6. a. 1.*

Digitized by Google

CAP. X.

Doctrinas, cum per nullum ſenſum poſſint intrare, ante in animo latuiſſe, eſse autem neceſsariam alterius veluti admonitionem, ad eas eruendas.

1. AT vero, cum audio tria genera eſſe quæſtionum, an ſit? quid ſit? quale ſit? ſonorum quidem, quibus hæc verba confecta ſunt, imagines teneo, & eos per auras cum ſtrepitu tranſiſſe, ac jam non eſſe ſcio: res vero ipſas, quæ illis ſignificantur ſonis, neque ullo ſenſu corporis attigi, nec uſpiam vidi præter animum meum, & in memoria mea recondidi, non imagines earum, ſed ipſas. Quæ unde ad me intraverint, dicant, ſi poſſunt. Nam percurro januas omnes carnis meæ, nec invenio, qua earum ingreſſæ ſint.

2. Quippe oculi dicunt: ſi coloratæ ſunt, nos eas nunciavimus. Aures dicunt: ſi ſonuerunt, a nobis indicatæ ſunt. Nares dicunt: ſi oluerunt, per nos tranſierunt. Dicit etiam ſenſus guſtandi: ſi ſapor non eſt, nihil me interroges. Tactus dicit: ſi corpulentum non eſt, non contrectavi: ſi non contrectavi, non indicavi. Vide, unde, & qua hæc intraverunt in memoriam meam? Neſcio quomodo; nam cum ea didici, non credidi alieno cordi, ſed in meo recognovi, & vera eſſe approbavi: & commendavi ei tanquam reponens, unde proferrem, cum vellem.

Ibi

Ibi ergo erant, & antèquam ea didiciſſem, ſed in memoria non erant. Ubi ergo? aut quare cum dicerentur, agnovi, & dixi: Ita eſt, & verum eſt, niſi quia jam erant in memoria, ſed tam remota & retruſa, quaſi in caveis abditioribus: ut niſi admonente aliquo eruerentur, ea fortaſſe cogitare non poſſem?

NOTÆ.

Doctrinas, cum ſub nullum cadant ſenſum, ante in animo latuiſſe concludit, quia vero obruuntur aliarum rerum cogitationibus & imaginibus, egere aliquo monitore, ut eruantur, ſive in actum prodeant.

CAP. XI.

Diſcere res ſenſu non perceptibiles, nihil eſſe aliud, quam ea, quæ in memoria indiſpoſita & abſtruſa erant, cogitando quaſi colligere, & ordinare.

1. QUocirca invenimus, nihil eſſe aliud diſcere iſta, quorum non per ſenſus haurimus imagines, ſed ſine imaginibus, ſicuti ſunt, per ſeipſa intus cernimus: niſi ea, quæ paſſim atque indiſpoſite memoria continebat, cogitando quaſi colligere, atque animadvertendo curare, ut tanquam ad manum poſita in ipſa memoria, ubi ſparſa prius & neglecta latitabant, jam familiari intentioni facile occurrant.

2. Et quam multa hujuſmodi geſtat memoria mea, quæ jam inventa ſunt, & ſicut dixi, quaſi ad manum poſita,

quæ didiciſſe & noſſe dicimur! Quæ ſi modeſtis temporum intervallis recolere deſivero, ita rurſus demerguntur, & quaſi in remotiora penetralia dilabuntur, ut denuo velut nova excogitanda ſint in idem iterum. Neque enim eſt alia regio eorum, & cogenda rurſus, ut ſciri poſſint: id eſt, velut ex quadam diſperſione colligenda, unde dictum eſt cogitare. Nam cogo & cogito, ſic eſt, ut ago & actito, facio & factito. Veruntamen, ſibi animus hoc verbum proprie vendicavit, ut non quod alibi, ſed (*b*) quod in animo colligitur, ideſt cogitur, cogitari proprie jam dicatur.

NOTÆ.

(a) *Per ſeipſa intus cernimus*) Senſit S.D. nos res immateriales per ſeipſas cognoſcere conceptu proprio & intuitivo, non minus quam ſenſibiles. *Mens ergo ipſa*, inquit alibi, *ſicut corporearum rerum notitias per ſenſus corporis colligit, ſic incorporearum per ſemetipſam*.

Lib. 9. de Tri. c. 1.

(b) *Quod in animo colligitur*) Elegans verbi cogitare etymologia, & ſane congrua, omnis enim cogitatio in quadam *conceptuum collectione* conſiſtit, ut judicare & ratiocinari poſſimus. Simplici apprehenſioni ſive conceptui nomen cogitationis minus recte congruit.

CAP. XII.

Numerorum etiam dimenſionumque rationes & leges, nec ipſas ſenſu perceptibiles, memoria comprehendi.

1. ITem continet memoria numerorum dimenſionumque rationes & leges

leges innumerabiles, quarum nullam corporis ſenſus impreſſit; quia nec ipſæ coloratæ ſunt, aut ſonant, aut olent, aut guſtatæ, aut contrectatæ ſunt. Audivi ſonos verborum, quibus ſignificantur, cum de his diſſeritur (*a*) ſed illi alii, iſtæ autem aliæ ſunt. Nam illi aliter græce, aliter latine ſonant: iſtæ vero res nec græcæ nec latinæ ſunt, nec aliud eloquiorum genus.

2. Vidi lineas fabrorum, vel etiam tenuiſſimas, ſicut filum araneæ: ſed illæ aliæ ſunt; non ſunt imagines earum, quas mihi nunciavit carnis oculus. Novit eas, quiſquis ſine ulla cogitatione qualiſcunque corporis, intus agnovit eas. Senſi etiam numeros omnibus corporis ſenſibus, quos numeramus; ſed illi alii ſunt, quibus numeramus, nec imagines iſtorum ſunt, & ideo valde ſunt. Rideat me iſta dicentem, qui eos non videt, & ego doleam ridentem me.

NOTÆ.

(a) *Sed illi alii*, &c.] Abſtracti nempe ab omni materia, quales ſenſus non percipit; omnes enim numeros & quantitates, quas ſentimus, in aliquo corpore & re materiali ſentiuntur. Abſtractiones vero mathematicas, numeroſque & quantitates, cum ſuis regulis ac principiis Arithmeticis & Geometricis, intellectus per ſeipſum fabricat, vel ut S. D. ſenſit, congenitas accepit.

CAP. XIII.

Tertium memoriæ miraculum est, quod non solum actuum suorum meminerit, verum affectionum quoque & perturbationum animi alio longe modo, quam quo afficiunt animum.

1. HÆc omnia memoria teneo, & quomodo ea didicerim, memoria teneo. Multa etiam, quæ adversus hæc falsissime disputantur, audivi, & memoria teneo: quæ tametsi falsa sunt, ramen ea meminisse me non est falsum, & discreviſse me inter illa vera, & hæc falsa, quæ contra dicuntur. Et hoc memini. Aliterque nunc video discernere me ista, aliter autem memini sæpe me discreviſse, cum ea sæpe cogitarem. Ergo & intellexiſse me sæpius ista memini, & quod nunc discerno & intelligo, recondo in memoria, ut postea me nunc intellexiſse meminerim. Ergo & mimininisse me memini, sicut postea quod hæc reminiſci nunc potui, si recordabor, utique per vim memoriæ recordabor.

2. Affectiones quoque animi mei eadem memoria continet, non illo modo, quo eas habet ipse animus, cum patitur eas: sed alio multum diverso, sicut ſeſe habet vis memoriæ. Nam & lætatum me fuiſſe reminiſcor non lætus, & triſtitiam meam præteritam, recordor non triſtis. Et me aliquando timuiſſe, recolo sine timore, & priſtinæ cupi-

piditatis, ſine cupiditate ſum memor. Aliquando e contrario, triſtitiam meam tranſactam lætus reminiſcor, & triſtis lætitiam meam.

CAP. XIV.

Lætos nos triſtitiæ, aliorumque affectuum meminiſſe, nec tamen eorum perturbationem ſentire.

1. QUod mirandum non eſt de corpore, aliud enim animus, aliud corpus. Itaque, ſi præteritum dolorem corporis gaudens memini, non ita mirum eſt. Hic vero (*a*) cum animus ſit etiam ipſa memoria. Nam & cum mandamus aliquid, ut memoriter habeatur, dicimus: vide, ut illud in animo habeas. Et cum obliviſcimur, dicimus: fuit in animo, & elapſum eſt animo, ipſam memoriam vocantes animum. Cum ergo ita ſit, quid eſt hoc, quod cum triſtitiam meam præteritam lætus memini, animus habet lætitiam, & memoria triſtitiam: lætuſque eſt animus, ex eo quod ineſt ei lætitia, memoria vero, ex eo quod ineſt ei triſtitia, triſtis non eſt? Num forte non pertinet ad animum? Quis hoc dixerit? Nimirum ergo memoria, (*b*) quaſi venter eſt animi, lætitia vero atque triſtitia, quaſi cibus dulcis & amarus, cum memoriæ commendantur, quaſi trajecta in ventrem, recondi illic poſſunt, ſapere non poſſunt, Ridiculum eſt hæc illis ſi-

milia putare, nec tamcn ſunt omnimodo diſſimilia.

2. Sed ecce de memoria profero cum dico quatuor eſſe perturbationes animi, cupiditatem, lætitiam, metum, triſtitiam, & quicquid de his diſputare potuero: dividendo ſingula per ſpecies ſui cujuſque generis, & definiendo. Ibi invenio quid dicam, atque inde profero: nec tamen ulla earum perturbatione perturbor, cum eas reminiſcendo commemoro, & antequam recolerentur a me & retractarentur, ibi erant, propterea inde per recordationem potuere depromi. Forte ergo, ſicut de ventre cibus ruminando, ſic iſta de memoria recordando proferuntur. Cur igitur in ore cogitationis non ſentitur a diſputante, hoc eſt, a reminiſcente, lætitiæ dulcedo vel amaritudo mœſtitiæ? An in hoc diſſimile eſt, quod non undique ſimile eſt? Quis enim talia volens loqueretur, ſi quoties triſtitiam metumve nominamus, toties mœrere vel timere cogeremur? Et tamen non ea loqueremur, niſi in memoria noſtra, non tantum ſonos nominum ſecundum imagines impreſſas ſenſibus corporis, ſed etiam rerum ipſarum notiones inveniremus, quas nulla janua carnis accepimus: ſed eas ipſe animus per experientiam paſſionum ſuarum ſentiens, memoriæ commendavit, aut ipſa ſibi hæc etiam non commendata retinuit.

NO-

Digitized by Google

NOTÆ.

(a) *Cum animus ſit ipſa etiam memoria*) Sentit S. D. potentias realiter ab anima non diſtingui, ut alibi clare docet. Quam ſententiam SS. Patrum eſſe communem alibi oſtendimus. *L. 9. de Tr. c. 11.*

(b) *Quaſi venter eſt animi*) Plato quoque memoriam ſtomachum animi vocavit. Erſe vero hæc S. D. ſimilitudo rem aliquo modo declarat, non ſatis tamen ſimilis eſt, ut ipſe fatetur. Memninimus itaque læti triſtitiæ præteritæ, quia triſtitia eſt *dolor animi de malo præſenti*, quod, ſi jam præteritum eſt, dolorem non affert. Neque triſtitia aliæque perturbationes, quarum meminimus, per ſeipſas, ſed ſolum per ſuas imagines animo obverſantur; imagines autem contrariorum affectuum non ſibi repugnant, ſed ipſi affectus. Ita picta aqua non extinguit ignem, nec ignis pictus calefacit.

CAP. XV.

Affectus paſſioneſque animi imaginem ſui in memoria relinquere.

2. SEd utrum per imagines, an non, quis facile dixerit? Nomino quippe lapidem, nomino ſolem, cum res ipſæ non adſunt ſenſibus meis, in memoria ſane mea præſto ſunt imagines earum. Nomino dolorem corporis, nec mihi adeſt, dum nihil dolet. Niſi tamen adeſſet imago ejus in memoria mea, neſcirem, quid dicerem, nec eum in diſputando, a voluptate diſcernerem.

2. Nomino ſalutem corporis, cum ſalvus ſum corpore; adeſt mihi quidem

res ipſa: veruntamen niſi & imago ejus ineſſet in memoria mea, nullo modo recordarer, quid hujus nominis ſignificaret ſonus. Nec ægrotantes agnoſcerent ſalute nominata, quid eſſet dictum, niſi eadem imago vi memoriæ teneretur, quamvis ipſa res abeſſet a corpore. Nomino numeros, quibus numeramus: & adſunt in memoria mea, non imagines eorum, ſed ipſi. Nomino imaginem ſolis, & hæc adeſt in memoria mea. Neque enim imaginem imaginis ejus, ſed ipſam recolo, ipſa mihi reminiſcenti præſto eſt. Nomino memoriam, & agnoſco, quod nomino. Et ubi agnoſco, niſi in ipſa memoria? Num & ipſa per imaginem ſuam ſibi adeſt, ac non per ſeipſam?

NOTÆ.

Convictus ſuo argumento S. D. admittit ſpecies, ſive imagines affectuum in anima, quia abſque illis non poteſt intelligi, quomodo poſſimus illorum meminiſſe, ſi neque in ſe, nec in ſua imagine præſentes ſunt.

CAP. XVI.

Quartum memoriæ miraculum eſſe, nos ipſius Oblivionis meminiſſe, quomodo autem id fiat, cenſet inexplicabile.

1. QUid, cum oblivionem nomino, atqne itidem agnoſco, quod nomino, unde agnoſcerem, niſi meminiſſem? Non eundem ſonum nominis dico, ſed rem quam ſignificat. Quam

ſi

ſi oblitus eſſem, quid ille valeret ſonus, agnoſcere utique non valerem. Ergo cum memoriam memini, per ſe ipſam ſibi præſto eſt ipſa memoria: cum vero memini oblivionem, & memoria præſto eſt & oblivio; memoria, qua meminerim; oblivio, qua non meminerim. Sed quid eſt oblivio, niſi privatio memoriæ? Quomodo ergo adeſt, ut eam meminerim, quando cum adeſt, meminiſſe non poſſum? At, ſi quod meminimus, memoria retinemus: oblivionem autem niſi meminiſſemus, nequaquam poſſemus audito iſto nomine rem, quæ illo ſignificatur ſono, agnoſcere: memoria retinetur oblivio. Adeſt ergo, ne obliviſcamur; quæ cum adeſt, obliviſcimur. An ex hoc intelligitur, non per ſeipſam ineſſe memoriæ, cum eam meminimus, ſed per imaginem ſuam? Quia ſi per ſeipſam præſto eſſet oblivio; non ut meminiſſemus, ſed ut obliviſceremur, efficeret.

2. Et hoc quis tandem indagabit? Quis comprehendet, quomodo fit? Ego certe Domine laboro hic, & laboro in meipſo: factus ſum mihi terra difficultatis, & ſudoris nimii. Neque enim nunc ſcrutamur plagas cæli, aut ſiderum intervalla dimetimur, vel terræ libramenta quærimus. Ego ſum, qui memini, ego animus. Non ita mirum, ſi a me longe eſt, quicquid ego non ſum. Quid autem propinquius meipſo mihi? Et ecce memoriæ meæ vis non comprehenditur a me, cum ipſum me non dicam

eam præter illam! Quid enim dicturus sum, quando mihi certum est meminisse me oblivionem? An dicturus sum non esse in memoria mea, quod memini? An dicturus sum ad hoc inesse oblivionem in memoria mea, ut non obliviscar? Utrumque absurdissimum est.

3. Quid illud tertium? Quo pacto dicam imaginem oblivionis teneri in memoria mea, non ipsam oblivionem, cum eam memini? Quo pacto & hoc dicam, quandoquidem cum imprimitur rei cuiusquam imago in memoria, prius necesse est, ut adsit res ipsa, unde illa imago possit imprimi? Sic enim Carthaginis memini, sic omnium locorum, quibus interfui, sic facies hominum, quos vidi, & ceterorum sensuum nunciata, sic ipsius corporis salutem, sive dolorem. Cum præsto essent ista, cepit ab eis imagines memoria, quas intuerer præsentes: & retractarem animo, cum illa & absentia reminiscerer. Si ergo per imaginem suam, non per seipsam in memoria tenetur oblivio, ipsa utique aderat, ut ejus imago caperetur. Cum autem adesset, quomodo imaginem suam in memoria conscribebat: quando id etiam, quod jam notatum invenit, præsentia sua delet oblivio? Et tamen quocunque modo, licet sit modus iste incomprehensibilis & inexplicabilis, etiam ipsam oblivionem meminisse me certus sum, qua id, quod meminerimus, obruitur.

NO-

NOTÆ.

Oblivionis, ut eſt privatio, meminiſſe non poſſumus, quia non entis ut ſic, nec imago eſſe poteſt, nec conceptus, ut recte concludit S. D. In quantum vero recordamur actus memorativi, quem hic & nunc habere debuimus, aut voluimus, (ut cum quis meminit, ſibi in concione non occurriſſe conceptum ſententiæ, quam edidicerat) ſic meminit oblivionis ſuæ per imaginem non ipſius oblivionis, ſed actus obliti: quem dum concipimus non adfuiſſe, quando debebat, hoc ipſo oblivionem meminimus. Quæ etſi deleat actum oppoſitum, non tollit tamen memorationem illius actus, qua meminimus illum non adfuiſſe, quia iſti recordationi, non opponitur. Et ſic videtur explicari poſſe memoria oblivionis.

CAP. XVII.

Etſi tanta ſit memoriæ vis, tamen eam quoque tranſeundam, ut inveniatur Deus, cum in brutis quoque memoria appareat.

1. MAgna iſta vis eſt memoriæ. Neſcio quid horrendum Deus meus, profunda & infinita multiplicitas! & hoc animus eſt, & hoc ego ipſe ſum. Quid ergo ſum Deus meus? Quæ natura ſum? Varia multimoda vita, & immenſa vehementer. Ecce in memoriæ meæ campis, & antris, & cavernis innumerabilibus, atque innumerabiliter plenis innumerabilium rerum generibus, ſive per imagines, ſicut omnium corporum; ſive per præſentiam, ſicut artium; ſive per neſcio quas notiones vel notationes, ſicut affectionum animi,

mi, quas & cum animus non patitur, memoria tenet, cum in animo ſit, quicquid eſt in memoria. Per hæc omnia diſcurro, & volito hac atque illac, penetro etiam quantum poſſum, & finis nuſquam. Tanta vis eſt memoriæ, tanta vitæ vis eſt in homine vivente mortaliter.

2. Quid igitur agam, tu vera mea vita, Deus meus? Tranſibo & hanc vim meam, quæ memoria vocatur, tranſibo eam, ut perveniam ad te dulce lumen. Quid dicis mihi? Ecce ego aſcendens per animum meum ad te, qui deſuper mihi manes, tranſibo & iſtam vim meam, quæ memoria vocatur: volens te attingere, unde attingi potes, & inhærere tibi, unde inhæreri tibi poteſt. Habent enim memoriam & pecora, & aves: alioquin non cubilia nidoſve repetèrent, non alia multa, quibus aſſueſcunt: neque enim & aſſueſcere valerent ullis rebus, niſi per memoriam. Tranſibo ergo & memoriam, ut attingam eum, qui ſeparavit me a quadrupedibus, & volatilibus cœli ſapientiorem me fecit. Tranſibo & memoriam. Et ubi te inveniam vere bona, & ſecura ſuavitas? Et ubi te inveniam?

NOTÆ.

(a) *Sive per præſentiam, ſicut artium*) Cenſuit S.D. artes, ipſamque animam, aliaque ipſi inhærentia ſine ſpeciebus ab intellectu cognoſci, eo videlicet, quod ſufficienter ſint ipſi unita: imagines vero ſolum requiri putabat, ad ſupplendam objecti abſentis, aut non

non exiſtentis præſentiam. Communiter tamen Theologi ac Philoſophi docent, ſpecies intelligibiles ad horum quoque cognitionem eſſe neceſſarias, quod non eſt noſtri inſtituti examinare. *V.S.Th. 1. P. q. 55. a. 5. Mol. ibid. a. 2. d. 1. Con. 3. de anima c. 5. q. 3. a. 2.*

(b) *Sive per neſcio quas notiones*) Species affectuum & conceptuum notiones potius vel notationes appellat, quam imagines: ad diſtinctionem credo ſpecierum aliarum, nam reipſa iſtæ notiones, quibus affectus actuſque noſtros cognoſcimus & notamus, non minus ſunt imagines, quam ſpecies rerum aliarum.

CAP. XVIII.

Deum extra memoriam non poſſe agnoſci, adeoque nec inveniri, nihil enim invenimus, niſi quod ex imagine, quam intus tenemus, recognoſcimus.

1. SI præter memoriam meam te invenio, immemor tui ſum. Et quomodo jam inveniam te, ſi memor non ſum tui? Perdiderat enim mulier drachmam & quæſivit eam cum lucerna: & niſi memor ejus eſſet, non inveniſſet eam. Cum enim eſſet inventa, unde ſciret, utrum ipſa eſſet, ſi memor ejus non eſſet? Multa memini me perdita quæſiſſe, atque inveniſſe. Unde iſtud ſcio? Quia cum quærerem aliquid eorum, & diceretur mihi, numquid forte hoc eſt? num forte illud? tamdiu dicebam, non eſt: donec id offerretur, quod quærebam. Cujus niſi memor eſſem, quicquid illud eſſet, etiam ſi mihi offerretur, non invenirem, quia non agnoſcerem. Et ſemper ita, *Luc. 15.*

ita fit, cum aliquid perditum quærimus, & invenimus.

2. Veruntamen, si forte aliquid ab oculis perit, non a memoria, veluti corpus quodlibet visibile: tenetur intus imago ejus & quæritur, donec reddatur aspectui. Quod cum inventum fuerit, ex imagine, quæ intus est, recognoscitur. Nec inveniſſe nos dicimus quod perierat, si non agnoscimus: nec agnoscere possumus, si non meminimus, sed hoc perierat quidem oculis, memoria tenebatur.

NOTÆ.

Clara & elegans est hæc S. D. doctrina, unde optime concluditur, Deum intra memoriam quæri debere, & aliquam illius notionem, sive conceptum saltem obscurum nobis insitum esse.

CAP. XIX.

Ipsam memoriam, cum aliquid per oblivionem amittit, non aliter ejus reminiſci, quam aliquid ſimile vel connexum cogitando, quod si omnino aboleatur, nec amiſſum quæri poteſt.

1. QUid cum ipsa memoria perdit aliquid, sicut fit, cum obliviscimur, & quærimus, ut recordemur, ubi tandem quærimus, nisi in ipsa memoria? Et ibi si aliud pro alio forte offeratur, respuimus, donec illud occurrat, quod quærimus, & cum occurrerit, dicimus, hoc est; quod non dice-

re-

remus, niſi agnoſceremus, nec agnoſceremus, niſi meminiſſemus. Certe ergo obliti fueramus. An non totum exciderat? Sed ex parte qua tenebatur, pars alia quærebatur, quia ſentiebat ſe memoria non ſimul volvere, quod ſimul ſolebat, & quaſi detruncata conſuetudine claudicans, reddi, quod deerat, flagitabat. Tanquam ſi homo notus, ſive conſpiciatur oculis, ſive cogitetur, & nomen ejus obliti requiramus, quicquid aliud occurrerit, non connectitur; quia non cum illo cogitari conſuevit, ideoque reſpuitur, donec illud adſit, ubi ſimul aſſuefacta notitia non inæqualiter acquieſcat. Et unde adeſt, niſi ex ipſa memoria? Nam & cum ab alio commoniti recognoſcimus, inde adeſt. Non enim quaſi novum credimus, ſed recordantes approbamus hoc eſſe, quod dictum eſt. Si autem penitus aboleatur ex animo, nec admoniti reminiſcimur. Neque enim omnimodo adhuc obliti ſumus, quod vel oblitos nos eſſe meminimus. Hoc ergo nec amiſſum quærere poterimus, quod omnino obliti fueramus.

CAP. XX.

Cum omnes beatam vitam, quæ ſolus Deus eſt, quærant, neceſſe eſt eam in memoria ac notitia eſſe, neque enim amaremus eam, niſi noſſemus.

1. QUomodo ergo te quæro Domine? Cum enim te Deum meum quæro, vitam beatam quæro. Quæram te, ut

ut vivat anima mea . Vivit enim corpus meum de anima mea , & (*a*) vivit anima mea de te . Quomodo ergo quæro vitam beatam ? quia non eſt mihi , donec dicam , ſat eſt illic , ubi oportet , ut dicam . Quomodo eam quæro ? Utrum per recordationem , tanquam eam oblitus ſim , oblitumque me eſſe adhuc teneam ? An per appetitum diſcendi incognitam , ſive quam nunquam ſcierim , ſive quam ſic oblitus fuerim , ut me nec oblitum eſſe meminerim ? Nonne ipſa eſt beata vita quam omnes volunt , & omnino , (*b*) qui nolit , nemo eſt ? Ubi noverunt eam , quod ſic volunt eam ? Ubi viderunt , ut amarent eam ? Nimirum habemus eam , neſcio quomodo . Et eſt alius quidam modus , quo quiſque cum habet eam , tunc beatus eſt . Et ſunt , qui ſpe beati ſunt . Inferiore modo iſti habent eam , quam illi , qui jam re ipſa beati ſunt ; ſed tamen meliores quam illi , qui nec re , nec ſpe beati ſunt . Qui tamen etiam ipſi niſi aliquo modo haberent eam , non ita vellent beati eſſe , quod eos velle certiſſimum eſt .

2. Neſcio quomodo noverunt eam . Ideoque habent eam neſcio qua notitia , de qua ſatago , utrum in memoria ſit : quia ſi ibi eſt , jam beati fuimus aliquando . Utrum ſigillatim omnes , an in illo homine , qui primus peccavit , in quo & omnes mortui ſumus , & de quo omnes cum miſeria nati ſumus , non quæro nunc : ſed quæro , utrum in memoria ſit beata vita ? (*c*) Neque enim ama-

amaremus eam, nisi nossemus. Audimus nomen hoc, & rem ipsam omnes nos appetere fatemur. Non enim sono delectamur. Nam hoc cum latine audit Græcus, non delectatur, quia ignorat quid dictum sit, nos autem delectamur. Sicut etiam ille, si Græce hoc audierit, quoniam res ipsa nec Græca, nec Latina est: cui adipiscendæ Græci Latinique inhiant, ceterarumque linguarum homines. Nota est igitur omnibus, quia una voce si interrogari possent, utrum beati esse vellent, sine ulla dubitatione velle responderent. Quod non fieret, nisi res ipsa, cujus hoc nomen est, eorum memoria teneretur.

NOTÆ.

(a) *Vivit anima mea de te*) Verissima & frequens S. D. est sententia, vitam animæ Deum esse sicut vita corporis est anima: & sicut deserente anima moritur corpus, ita deserente Deo mori animam. *V. Serm.* 13. *de martyr.* to. 10.

(b) *Qui nolit eam, nemo est*) Adeo ut alibi S. D. dicat, *Omnium sententia est, qui ratione quoque modo uti possunt, beatos esse omnes homines velle*, idque sæpius inculcat. Nimirum beatitudo bonum est, *bonum autem omnia appetunt*, multo ergo magis summum bonum, quod est beatitudo. *l.* 10. *de civ.* c. 1. 1. *Ethic.* c. 1.

(c) *Neque enim amaremus eam, nisi nosse-mus*) *Ignoti* enim *nulla cupido*, & probabile est voluntatem nullam posse elicere actionem, nisi prævia apprehensione intellectus, etiam per divinam potentiam. *Fons.* 9. *met.* c. 2. q. 5. *f.* 6. *Vasq.* 1. 2. *t.* 1. *d* 35. *c.* 2.

CAP.

CAP. XXI.

Quia omnes notitiam & experientiam aliquam gaudii habent, & vitam beatam gaudium esse putant, hinc omnes illam appetunt, & in memoria recognoscunt.

1. NUnquid ita, ut meminit Carthaginem, qui vidit? Non. Vita enim beata non videtur oculis, quia non est corpus. Nunquid sicut meminimus numeros? Non. Hos enim qui habet in notitia, (*a*) non adhuc quærit adipisci. Vitam vero beatam habemus in notitia, ideoque amamus, & tamen adhuc adipisci eam volumus, ut beati simus. Nunquid sicut meminimus eloquentiam? Non. Quamvis enim & hoc nomine audito recordentur ipsam rem, qui etiam nondum sunt eloquentes, multique esse cupiant, unde appareret eam esse in eorum notitia: tamen per corporis sensus alios eloquentiores animadverterunt, & delectati sunt, & hoc esse desiderant: qua nisi in exteriore notitia, non delectarentur, neque hoc esse vellent, nisi delectarentur. Beatam vero vitam nullo sensu corporis in aliis experimur.

2. Nunquid, sicut meminimus gaudium? Fortasse ita. Nam gaudium meum etiam tristis memini, sicut vitam beatam miser. Neque unquam corporis sensu gaudium meum vel vidi, vel audivi, vel odoratus sum, vel gustavi, vel tetigi, sed expertus sum in ani-

animo meo, quando lætatus ſum : & adhæſit ejus notitia memoriæ meæ, ut id reminiſci valeam aliquando cum aſpernatione, aliquando cum deſiderio, pro earum rerum diverſitate, de quibus me gaviſum eſſe memini. Nam & de turpibus gaudio quodam perfuſus ſum, quod nunc recordans deteſtor atque execror. Aliquando de bonis & honeſtis, quod deſiderans recolo, tametſi forte non adſunt, & ideo triſtis gaudium priſtinum recolo. (*b*) Ubi ergo & quando expertus ſum vitam meam beatam, ut recorder eam, & amem, & deſiderem? Nec ego tantum, aut cum paucis, ſed beati prorſus omnes eſſe volumus. Quod niſi certa notitia noſſemus, non tam certa voluntate vellemus.

3. Sed quid eſt hoc? Quod ſi quæratur a duobus, utrum militare velint, fieri poſſit, ut alter eorum velle ſe, alter nolle reſpondeat. Si autem ab eis quæratur, utrum beati eſſe velint; fieri poſſit, ut uterque ſtatim ſe ſine ulla dubitatione dicat optare: nec ob aliud velit ille militare, nec ob aliud iſte nolit, niſi ut beati ſint. Nam forte, quoniam alius hinc, alius inde gaudet, ita ſe omnes beatos eſſe velle conſonant: quemadmodum conſonarent, ſi hoc interrogarentur, ſe velle gaudere, atque ipſum gaudium vitam beatam vocant. Quod etſi alius hinc, alius illinc aſſequitur, unum eſt tamen, quo pervenire omnes nituntur, ut gaudeant. Quæ quoniam res eſt, quam ſe expertum non

eſſe

esse nemo potest dicere, propterea reperta in memoria recognoscitur, quando beatæ vitæ nomen auditur.

N O T Æ.

(a) *Non adhuc quærit adipisci*) Est enim Arithmetica scientia speculativa, quæ ultra cognitionem objecti non tendit. Accedit S. D. existimasse numerorum species, quos numeros vocat, esse nobis naturaliter insitas.

(b) *Ubi ergo, & quando expertus sum vitam beatam?*) Nunquam totam experiri possumus in hac vita, aliquam tamen ejus partem quovis actu amoris & desiderii appetimus. Nam ex eo, quod experimur nobis bene esse obtento uno bono, & tanto melius, quanto plura bona adipiscimur, concludimus optime nobis fore, *si potiamur omnibus bonis, & careamus omnibus malis, quod est summum bonum, & beatitudo vera*. Quare per experientiam boni particularis, venimus in cognitionem boni universalis & completi, quod nondum experti sumus, sed experiri desideramus. Et quamvis non omnes consonent in gaudiis particularibus, & alius hinc, alius illinc gaudeat, omnes tamen consonant in appetitu gaudii completi, *quod omnium bonorum aggregatione perficitur*, & nihil est aliud quam ipsa beatitudo, sive vita beata.

V. Vasq. 1.2.t.2. d.6.a.2.

Boet. l.3. de consol. Philos. Pros. 2.

CAP. XXII.

Non omne gaudium est beata vita, sed gaudere ad Deum, de illo, & propter illum.

1. ABsit Domine, absit a corde servi tui, qui confitetur tibi, absit, ut quocunque gaudio gaudeam, beatum me putem. Est enim gaudium, quod non datur impiis, sed eis, qui te gratis colunt, (a) quorum gaudium tu ipse

ipſe es . (*b*) Et ipſa eſt vita beata , gaudere ad te , de te , propter te: ipſa eſt enim , & non eſt altera . Qui autem aliam putant eſſe , aliud ſectantur gaudium , neque ipſum verum . Ab aliqua tamen imagine gaudii , voluntas eorum non avertitur .

N O T Æ .

(a) *Quorum gaudium tu ipſe es*) Sicut beatitudo duplex eſt , una *objectiva* , ſive *res* , *in qua conſiſtit ſummum bonum* , altera *formalis* , ſive *acquiſitio & poſſeſſio talis rei* , ita gaudium duplex eſt , unum *objectivum* , ſive *bonum aliquod* v. g. pecunia , alterum *formale* , ſive *poſſeſſio talis boni & delectatio de illo* . Priori modo Deus eſt beatitudo & verum gaudium noſtrum , poſteriori *vita beata conſiſtit in actibus intellectus , & voluntatis , per quos poſſidemus Deum illoque fruimur* , in hac quidem vita ſpe , per cognitionem & caritatem imperfectam: in altera re , per viſionem & fruitionem beatificam . Hoc enim eſt gaudium Domini , in quod intrabit ſervus bonus , & fidelis .

(b) *Et ipſa eſt beata vita*) Gaudere ſpe perveniendi *ad Deum* , omnem delectationem quærere *de Deo* , qui eſt ſummum bonum , delectari quoque in minoribus bonis , ſive creaturis , ſed *propter Deum* . Hæc eſt beata vita , quæ per ſpem & gratiam inchoatur in mortali vita , & conſummatur per gloriam in æterna vita .

CAP. XXIII.

Beatam vitam esse gaudium de veritate, quia Deus veritas est, & quicunque aliud amant, velle, ut hoc quod amant, sit veritas.

1. NOn ergo certum est, quod omnes esse beati volunt; quoniam qui non de te gaudere volunt, quæ sola vita beata est. (*a*) non utique vitam beatam volunt. An omnes hoc volunt? Sed quoniam *caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*, ut non faciant quod volunt, cadunt in id, quod valent, eoque contenti sunt: quia illud, quod non valent, non tantum volunt, quantum sat est, ut valeant. Nam quæro ab omnibus, utrum malint de veritate, quam de falsitate gaudere? Tam non dubitant dicere de veritate se malle, quam non dubitant dicere, beatos esse se velle. Beata quippe vita, est (*b*) gaudium de veritate. Hoc est enim gaudium de te, *qui veritas es*, *Deus illuminatio mea*, *salus faciei meæ*, *Deus meus*. Hanc vitam beatam, omnes volunt, hanc vitam, quæ sola beata est, omnes volunt. Multos expertus sum, qui vellent fallere; qui autem falli, neminem. Ubi ergo noverunt hanc vitam beatam, nisi ubi noverun tetiam veritatem? Amant enim & ipsam, quia falli nolunt. Et cum amant beatam vitam, quod non est aliud quam de veritate gaudium, uti-

Gal. 5. 17.

Jo. 14. 1. *Psal.* 26. 1.

utique amant etiam veritatem. Nec amarent, nisi esset aliqua notitia ejus, in memoria eorum.

2. Cur ergo non de illa gaudent? (c) Cur non beati sunt? Quia fortius occupantur in aliis, quæ potius eos faciunt miseros, quam illud beatos quod tenuiter meminerunt. Adhuc enim *modicum lumen est in hominibus*. Ambulent, ambulent, ne eos tenebræ comprehendant. Cur autem veritas parit odium, & inimicus eis factus est homo tuus, verum prædicans, cum ametur beata vita, quæ non est nisi gaudium de veritate: nisi quia sic amatur veritas, ut quicunque aliud amant, (d) hoc quod amant, velint esse veritatem? Et quia falli nolunt, nolunt convinci, quod falsi sint? Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem. Quia enim falli nolunt & fallere volunt, amant eam, cum seipsam indicat, & oderunt eam, cum eos ipsos indicat. Inde retribuet eis, ut qui se ab ea manifestari nolunt, & eos nolentes manifestet, & eis ipsa non sit manifesta. Sic sic etiam, sic animus humanus, etiam sic cæcus & languidus, turpis atque indecens latere vult: se autem ut lateat aliquid, non vult. Contra illi redditur, ut ipse non lateat veritatem, ipsum autem veritas lateat. Tamen etiam sic dum miser est, veris mavult gaudere, quam falsis. Beatus ergo erit, si nulla interpellante molestia, de ipsa, per quam *Joan. 12. 35.*

verâ ſunt omnia, ſola veritate gau debit.

N O T Æ.

(a) *Non utique vitam beatam volunt*) Quia hæc in ſolo Deo eſt, quem peccatores deſerunt, in creaturis vitam beatam quidem quærentes, ſed non niſi falſam & umbraticam beatitudinem reperientes.

(b) *Gaudium de veritate*) De vero nempe bono, quod ita bonum eſt, ut nihil mali admixtum habeat, ſolumque ſufficiat ad verum gaudium. Nullum itaque gaudium de creatura poteſt eſſe vita beata, quia omne bonum finitum, alicujus imperfectionis permixtione laborat.

(c) *Cur non beati ſunt?*) Quia diligunt
Pſ. 4. vanitatem, & quærunt mendacium. Cupiunt eſſe beati, habere omne bonum, & carere omni malo, ſed *hoc poſſe inveniri in creaturis, grande mendacium eſt*, quod dum credunt, & rebus creatis inordinato amore illigantur, fiunt miſeri, quia deſerunt veritatem: nec moventur tenui illo lumine intellectus, ducente ad Deum, in quo eſt vera beatitudo.

(d) *Hoc quod amant, velint eſſe veritatem*) Ita luxurioſus voluptatem carnis vult eſſe verum gaudium, & quamvis ſciat eſſe falſum, quod pravo affectu ſuperatus vult eſſe verum, non vult tamen redargui, quod amet falſum bonum pro vero: quia ſcit turpem eſſe hunc errorem, ideoque de eo erubeſcit & infamari metuit, nec reſtringi inordinatas paſſiones ſuas patitur. Quæ ſane cauſa eſt unica, ob quam *veritas odium parit*.

U S U S

1. Ex hoc & præcedentibus capitibus, diſcimus beatitudinem in nulla creatura reperiri poſſe, ſed in ſolo Deo, ad quem perveniri non poteſt, niſi *amore veritatis, non ſolum lucentis, verum & redarguentis, ſtimulantiſque*, ut falſa bona diſpliceant intellectui, & affectui. Quod fiet, ſi mortificationis ſtudio reprimamus indomitas paſſiones, ob quas

aliud

aliud facimus, aliud faciendum judicamus

a. Cum durante hac vita fomes peccati & æstus concupiscentiæ, prorsus tolli non possit, perfecte beatos in hac vita nos esse non posse, sed tum demum, cum in cœlo *nulla interpellante molestia, sola veritate gaudebimus.*

CAP. XXIV.

Inveniri Deum in memoria, quia invenitur ibi veritas.

1. ECce quantum spatiatus sum in memoria mea, quærens te Domine, & non te inveni extra eam! Neque enim aliquid de te inveni, quod non meminissem, ex quo didici te. Nam (*a*) ex quo didici te, non sum oblitus tui. Ubi enim inveni veritatem, ibi inveni Deum meum, (*b*) ipsam veritatem: quam, ex quo didici, non sum oblitus. Itaque ex quo didici te, manes in memoria mea, & illic te invenio, cum reminiscor tui, & delector in te. Hæ sunt sanctæ deliciæ meæ, quas donasti mihi misericordia tua, respiciens paupertatem meam.

NOTÆ.

(a) *Ubi enim inveni veritatem*) In naturalibus principiis refulgentem, qualia sunt: *Deum esse summum bonum, esse incorruptibilem, inviolabilem, immutabilem, meliorem omnibus rebus corruptibilibus, violabilibus, mutabilibus.* (*Ibi*) in memoria, cui hæc semina divinæ cognitionis naturaliter insita sunt (*inveni Deum meum*) ex his principiis ejus naturam paulatim investigando.

(b) *Ipſam veritatem*) Eſt Deus prima & ſumma veritas, tum quia divinus intellectus eſt *menſura & cauſa omnis alterius eſſe, & omnis alterius intellectus*, tum quia *eſſentia divina eſt conformis intellectui divino*. Eſt autem Deus veritas objectiva reſpectu intellectus noſtri, & principia naturalia ſunt veritates formales, ſive cognitiones veritatis objectivæ.

S.Th.1. p.q.16. a.5. c.

U S U S.

Eſt Deus in memoria noſtra ita inſculptus per principia naturalia, ut nulla oblivione deleri poſſit. Ille caſtas delicias ſubminiſtrat animæ, conſideranti in illo eſſe omne bonum, & non eſſe ullum malum.

C A P. XXV.

Non inveniri Deum inter imagines rerum corporalium, nec affectuum, & præſtare ipſo animo, ſunt enim hæc omnia mutabilia.

1. SEd ubi manes in memoria mea, tu Domine? ubi illic manes? quale cubile fabricaſti illic tibi? quale ſanctuarium ædificaſti tibi? Tu dediſti hanc dignationem memoriæ meæ, ut maneas in ea; ſed in qua ejus parte maneas, hoc conſidero. Tranſcendi enim partes ejus, quas habent & beſtiæ, cum te recordarer; quia non ibi te inveniebam inter imagines rerum corporalium, & veni ad partes ejus, ubi commendavi affectiones animi mei, nec illic inveni te. Et intravi ad ipſius animi mei ſedem, quæ illic eſt in memoria mea, quoniam ſui quoque meminit animus, nec

nec ibi tu eras. Quia ſicut non es imago corporalis, nec affectio viventis, qualis eſt cum lætamur, contriſtamur, cupimus, metuimus, meminimus, obliviſcimur, & quicquid hujuſmodi eſt: ita nec ipſe animus es, quia Dominus Deus animi tu es. Et commutantur hæc omnia, tu autem incommutabilis manes ſuper omnia; & dignatus es habitare in memoria mea, (*a*) ex quo te didici. Et quid quæro, quo loco ejus habites, quaſi vero loca ibi ſint? Habitas certe in ea, quoniam tui memini, ex quo te didici; & in ea te invenio, cum recordor te.

NOTÆ.

(a) *Ex quo te didici*) Diſcimus Deùm natura magiſtra cum ad rationis uſum pervenimus; ſed ea notitia admodum obſcura eſt. Accedit ergo Magiſterium fidei Chriſtianæ, unde clarius nobis innoteſcit ſummum illud bonum.

CAP. XXVI.

Deum inveniri in ſe ſupra nos, dum veritatem ejus conſulimus, omnibus liquide reſpondentem.

1. UBi ergo te inveni, ut diſcerem te? Neque enim jam eras in memoria mea, (*a*) priuſquam te diſcerem. Ubi ergo inveni te, ut diſcerem te, (*b*) niſi in te ſupra me? Et (*c*) nuſquam locus, & recedimus, & accedimus, & nuſquam locus. (*d*) Ubique veritas præſides omnibus conſulentibus te, ſi-

mulque (*e*) reſpondes omnibus , etiam diverſa conſulentibus . (*f*) Liquide tu reſpondes , ſed non liquide omnes audiunt . Omnes , unde volunt , conſulunt , ſed (*g*) non ſemper , quod volunt , audiunt . Optimus miniſter tuus eſt , qui non magis intuetur hoc a te audire , quod ipſe voluerit , ſed potius hoc velle , quod a te audierit .

NOTÆ.

(a) *Priuſquam te diſcerem*) Non eſt Deus in mente & memoria noſtra per notitiam claram , niſi fidei lumine illuſtremur . Sic S. D. non cenſuit ſe noſſe Deum ; niſi poſtquam fide magiſtra didicit , quis & qualis eſſet , ejuſque cognitio ante informis , & rudis , perficeretnr lumine Catholicæ veritatis .

(b) *Niſi in te ſupra me*) Id eſt , cognovi Deum me & omnibus creaturis longe ſuperiorem , in ſe ſolo acquieſcere , & ſeipſo beatum eſſe .

(c) *Nuſquam locus*) Qui Deum claudat ; nulli palatio aut ſedi affixus eſt , ubique præſens , omnia implens ; & tamen accedimus ad illum per gratiam & caritatem : recedimus per peccatum , non ſpatiis locorum , ſed diſtantia bonitatis & malitiæ .

(d) *Ubique veritas preſides*) Ubique Deus audit preces eorum , qui ipſum conſulunt pro veritate agnoſcenda , per deſideria & orationes ſerias , ut fecit Auguſtinus .

(e) *Reſpondes omnibus*) Per inſtinctus bonos & ſalutares cogitationes : *bonum eſſe faciendum , malum fugiendum* , (*Etiam diverſa conſulentibus*) quia alius aſpirat ad divitias , alius ad honores , alius ad voluptates , alius ad hæc omnia , aut pleraque : his omnibus Deus reſpondet eadem , nempe *Vanitas vanitatum , & omnia vanitas* .

(f) *Liquide tu reſpondes*) Satis clare , quod teſtatur conſcientia peccatis obmurmurans ,

ſed

Digitized by Google

(*ſed non liquide omnes audiunt*) tumultu paſſionum ſuarum impediti.

(g) *Non ſemper, quod volunt, audiunt*) Quia pravis affectibus impediti alia volunt, quam Deus præcipit, & illos velle vult.

U S U S.

Ex his principiis illud emergit, ut qui ſerio ad Deum converti vult cum S. Auguſtino, voluntatem ſuam divinæ conformet: magiſque credat decere ſervum velle, quod Domino placet, quam ut Domino placeant, quæ ſervo placent, ſic erit optimus Dei miniſter.

CAP. XXVII.

Se Deum ſero amaſſe, quia ipſum non intus, ſed foris in creaturis, longe ab ipſo quæſivit.

1. SEro (*a*) te amavi pulcritudo tam antiqua, & tam nova, ſero te amavi. Et ecce (*b*) intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in iſta formoſa, quæ feciſti, deformis irruebam. (*c*) Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longe a te, quæ ſi in te non eſſent, non eſſent. (*d*) Vocaſti, & clamaſti, & rupiſti ſurditatem meam. Coruſcaſti, ſplenduiſti, & fugaſti cæcitatem meam. Fragraſti, & duxi ſpiritum, & anhelo tibi. Guſtavi, & eſurio, & ſitio. Tetigiſti me, & exarſi in pacem tuam.

NOTÆ.

(a) *Sero te amavi*) Post 12. annos, ex quo primum amorem Sapientiæ, ex lectione Hortensii concepit.

(b) *Intus eras*) In animo meo, loquens mihi per lumen naturale, & principia Synteresis, item per sanctas inspirationes; (*& ego foris*) occupatus amore & delectatione sensibilium creaturarum.

(c) *Mecum eras*) Per præsentiam & bonas cogitationes (*tecum non eram*) per caritatem & gratiam.

(d) *Vocasti me*) Per occultos instinctus, per monita matris, sermones Ambrosii, consilia Simpliciani, exempla Victorini, Antonii, aliorumque servorum tuorum; (*Clamasti*) illustrationibus internis, voce
lib. 8. externa: Tolle, lege &c. (*& rupisti surditatem meam*) audivi & obedivi. V. ipsius conversionem supra.

USUS.

Salutarem recordationem beneficii vocationis & conversionis S. D. proponit, quam utile erit sæpius iterare, iis præsertim, quos Deus ex gravibus peccatis eduxit.

CAP. XXVIII.

Quod Deo nondum totus inhæreat, inde se adhuc jactari tentationibus vitæ humanæ, inter gaudia & mœrores, inter metum adversitatis & desiderium prosperitatis.

1. CUm inhæsero tibi ex omni me, omnino nusquam erit mihi dolor & labor: & viva erit vita mea, tota plena te. Nunc autem quoniam, (*a*) quem tu imples, sublevas eum: quoniam

niam tui plenus non ſum, oneri mihi ſum. (*b*) Contendunt lætitiæ meæ flendæ cum lætandis mœroribus: & ex qua parte ſtet victoria, neſcio. Hei mihi Domine, miſerere mei. Contendunt mœrores mei mali cum gaudiis bonis: & ex qua parte ſtet victoria, neſcio. Hei mihi Domine, miſerere mei. Hei mihi: Ecce vulnera mea non abſcondo. Medicus es, æger ſum. Miſericors es, miſer ſum. Nunquid non *tentatio eſt vita humana ſuper terram?* *Job.7.1.*

2. Quis velit moleſtias & difficultates? (*c*) Tolerare jubes eas, non amari. Nemo quod tolerat amat, etſi tolerare amat. Quamvis enim gaudeat ſe tolerare, mavult tamen non eſſe, quod toleret. Proſpera in adverſis deſidero, adverſa in proſperis timeo. Quis inter hæc medius locus, ubi non ſit humanæ vitæ tentatio? Væ proſperitatibus ſeculi (*d*) ſemel & iterum, a timore adverſitatis, & a corruptione lætitiæ! Væ adverſitatibus ſeculi, ſemel & iterum, & tertio, a deſiderio proſperitatis! Et quia ipſa adverſitas dura eſt, & naufraga tolerantia, nunquid non tentatio eſt vita humana ſuper terram (*e*) ſine ullo interſtitio?

NOTÆ.

(a) *Quem tu imples*) Gratia, cognitione, & caritate tua, (*ſublevas eum*) ad deſideria & gaudia cæleſtia, ne corpus, quod corrumpitur, aggravet animam, (*quoniam tui plenus non ſum*) occupant enim magnam partem mei, vitioſi habitus & imperfectiones, ideo (*oneri mihi ſum*) deorſum tendens per concupiſcentiam.

Digitized by Google

(b) *Contendunt lętitiæ meę flendę*) Quibus lætatur & juſtus in qualibuſcunque concupiſcenriis ſuis, ob quas etſi leves, flere potius deberet, (*cum lętandis mœroribus*) quos affert & ſuadet ſpiritus compunctionis & mortificationis: in quibus etſi triſtetur caro, lætari debet animus ordinatus. (*Contendunt mœrores mei mali*) de labore virtutis, & abnegationis (*cum gaudis bonis*) de profectu in via Dei, & crucis. (*Et ex qua parte ſtet victoria, neſcio*) nam quamvis homo ſtudioſe vigilet, ſubinde ſubrepit aut obrepit ſenſualitas, inordinatus ſui, & hujus vitæ amor. Difficileque ſubinde eſt agnoſcere, caro ne an Spiritus operetur, ita ut mens juſti merito ambigat de victoria.

(c) *Tolerari eas jubes, non amari*) Difficultates & miſeriæ in ſe nihil habent cur amentur, quia repugnant naturæ, & privant aliquo bono. In quantum vero deſerviunt conſecutioni ſummi boni & æternæ beatitudinis, ut tormenta martyribus, amari poſſunt, velut media apta ad finem hunc obtinendum. Quia vero in ejuſmodi mediis non amatur eorum moleſtia, ſed tolerantia, & ipſe finis ſive beatitudo, recte dicit S. D. *eas tolerari, non amari*. Quamvis enim juſtus gaudeat ſe tolerare dura in hac vita, mavult tamen non eſſe quod toleret; quod erit in altera vita, *in quam nos oportet intrare per multas tribulationes*.

V.l.3.c. 2.vet.2.

(d) *Semel, & iterum, & tertio*) S.D.triplex vę intentat a deſiderio proſperitatis,& duplex ſolum a timore adverſitatis, quia plus multo nocet proſperitas quam adverſitas. Illa inducit oblivionem ſui, & Dei, contemptum virtutis, & licentiam omnium vitiorum: iſta revocat hominem ad cor, incitat ad pœnitentiam, ſubtrahit materiam vitiis; & Deus pius ac miſericors *remittit in die tribulationis peccata*. Hinc paucos invenies probos in magna & continua proſperitate, plures in tribulatione.

Eccleſ.2. 13.

(e) *Si-*

(e) *Sine ullo interſtitio*) Vix hora labitur, qua non triſtitiam, aut moleſtiam ſentimus, timendo & patiendo aliquid adverſum corpori, animo, fortunæ, honori, vel deſiderando aliquid proſperum, in his ipſis rebus.

U S U S.

1. Apparet Paulum veriſſime dixiſſe; *Patientia vobis neceſſaria eſt*, hæc procuranda in hac tentationum, ideoque & lacrymarum valle; ſine hac miſeri erimus. *Hebr.* 10. 36.

2. Tædium hujus vitæ ex tot malis concipiendum eſt & deſiderium æternæ patriæ, ad quam totis medullis aſpirare, tentationum inevitabilis multitudo compellit.

CAP. XXIX.

In Dei miſericordia ſpem reponens, ab eo petit continentiam.

1. ET tota ſpes mea, non niſi in magna valde miſericordia tua, Domine Deus. Da quod jubes, & jube quod vis. (*a*) Imperas nobis continentiam. *Et cum ſcirem*, ait quidam, *quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum*. Per continentiam quippe colligimur & (*b*) redigimur in unum, a quo in multa defluximus. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris! Caritas Deus meus, accende me. Continentiam jubes: Da quod jubes, & jube quod vis. *Sap.* 1. 22.

NO-

Digitized by Google

NOTÆ.

(a) *Imperas nobis continentiam*) Non ſumit hic continentiam pro caſtitate, per quam aliquis ab omni delectatione venerea abſtinet, ſed generalius pro ea virtute, *per*
22. 4. *quam aliquis reſiſtit quibuſvis concupiſcentiis*
155. a. *pravis, qua in eo vehementes exſtunt*, ut ait
1. 6. S. Thomas. Eodem modo loquitur Ariſtoteles de continentia. 7. Ethic. Quæ nondum eſt virtus perfecta, ſed inchoatio quædam virtutum, ideoque maxime convenit incipientibus ſervire Deo: nam etſi in illis ratio ſit firmata contra paſſiones, ne ab eis ſuperetur: paſſionum tamen vehementia ac multitudo, oſtendit illos ad perfectam virtutem noudum perveniſſe; hæc enim appetitum ſenſitivum ſubdit rationi, & vehementiam concupiſcentiæ refringit.

(b) *Redigimur in unum*) Solius Dei amorem & obſequium, a quo peccatores & incontinentes diſperguntur in multas creaturas, ut ſæpe jam dictum eſt. Melius autem multo eſt, amare unum ſummum bonum, quam multa parva bona, & inordinato eorum amore amittere illud unum, quod neceſſarium eſt, ac ſolum ſufficit.

USUS.

Duo remedia ad ſuperandas hujus vitæ tentationes ſuggerit S. D. I. Spem, ſive fiduciam divinæ miſericordiæ. II. Orationem, cujus formam ac ſummam optimam præſcribit: *Da quod jubes, & jube quod vis*: etſi enim peccare poſſimus ex nobis, Dei tamen præcepta implere non poſſumus ſine Dei præcipientis gratia. Sicut oculos claudere poſſum cum volo, iis autem licet apertis videre non poſſum, niſi lux affulgeat, & adjuvet, ut S. D. alibi docet.

l. de geſtis Pelagii.

CAP.

CAP. XXX.

Confitetur se turpibus imaginibus vigilantem quidem non moveri, dormientem tamen illudi, oratque ab hoc malo liberari.

1. JUbes certe, ut contineam a concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitione seculi. Jussisti a concubitu, & de ipso conjugio melius aliquid, quam concessisti, monuisti. Et quoniam dedisti, factum est, & antequam dispensator Sacramenti tui fierem. Sed adhuc vivunt in memoria mea de qua multa locutus sum, talium rerum imagines, quas ibi consuetudo mea fixit: & occursant mihi vigilanti quidem carentes viribus, in somnis autem non solum usque ad delectationem sed etiam usque ad consensionem factumque simillimum. Et tantum valet imaginis illusio in anima mea, & in carne mea, ut dormienti falsa visa persuadeant, quod vigilanti vera non possunt. Nunquid tunc ego non sum Domine Deus meus? Et tamen tantum interest inter meipsum & meipsum, intra momentum quo hinc ad soporem transeo vel huc inde retranseo.

2. Ubi est tunc ratio, qua vigilans animus talibus suggestionibus resistit, & si res ipsæ ingerantur, inconcussus manet? Nunquid clauditur cum oculis? Nunquid sopitur cum sensibus corporis? Et unde sæpe etiam in somnis resistimus,

mus, noſtrique propoſiti memores, atque in eo caſtiſſime permanentes nullum talibus illecebris adhibemus aſſenſum? Et tamen tantum intereſt, ut cum aliter accidit, evigilantes ad conſcientiæ requiem redeamus: ipſaque diſtantia reperiamus nos non feciſſe, quod tamen in nobis quoquo modo factum eſſe doleamus. Nunquid non potens eſt manus tua Deus omnipotens, ſanare omnus languores animæ meæ: atque abundantiore gratia tua, laſcivos motus etiam mei ſoporis extinguere?

3. Augebis Domine magnis magiſque in me munera tua, ut anima mea ſequatur me ad te, concupiſcentiæ viſco expedita, ut non ſit rebellis ſibi; atque ut in ſomnis etiam non ſolum non perpetret iſtas corruptelarum turpitudines, per imagines animales uſque ad carnis fluxum, ſed ne conſentiat quidem. Nam ut nihil tale vel tantillum libeat, quantum poſſit nutu cohiberi, etiam in caſto dormientis affectu: non tantum in hac vita, ſed etiam in hac ætate, non magnum eſt omnipotenti, qui vales facere *ſupra quam petimus, & intelligimus*. Nunc tamen, quid adhuc ſim in hoc genere mali mei, dixi bono domino meo, exultans cum tremore in eo, quod donaſti mihi: & lugens in eo, quod inconſummatus ſum, ſperans perfecturum te in me miſericordias tuas, uſque ad pacem plenariam; quam tecum habebunt interiora & exteriora mea, *cum abſorpta fuerit mors in victoriam*.

Epheſ. 3. 20.

1. *Cor.* 15. 54.

USUS.

U S U S.

1. S. Auguſtinus cenſuit caſtitatem conjugio meliorem, *& de ipſo conjugio* inquit, *melius aliquid, quam conceſſiſti, monuiſti*, nimirum conſilium caſtitatis perpetuæ inſpirando, quod S. D. ſtatim a ſua converſione amplexus eſt, & tum presbyter, tum Epiſcopus, ſive Sacramenti divini diſpenſator, caſtiſſime obſervavit, ita ut teſte Poſſidio, *fœminarum intra domum ſuam nullam converſari ſit paſſus, ne quidem germanam ſororem, nec patrui ſui filias, nec unquam ſolus cum fœmina ſine teſtibus ſermonem contulerit*: admirnado caſtitatis exemplo, quo omnem prioris vitæ licentiam compenſavit. Viderint hæretici, qui caſtitatem abominantur, & miniſtris quoque verbi divini conjugium præceptum volunt, utrum ipſi ſpiritum Dei habeant, an potius S. Auguſtinus. *In vita c. 26.*

2. Admiranda eſt S. D. humilitas, qui id, quod eſt maximæ verecundiæ, etſi nullius ſit culpæ, de ſe confiteri non dubitavit. Quem imitantur timorati, in confeſſione humiliter exponentes, ſi quas illuſiones nocturnas paſſi ſunt, ut forte ſi negligentius in ejiciendis iis ſordibus jam expergefacti ſe geſſiſſent, culpam illam expient.

3. Triplex hac in re documentum S. D. ſuggerit. I. Ut evigilantes doleamus. II. Ut poſtquam advertimus nos in culpa non eſſe, mox ad conſcientiæ quietem redeamus. III. Ut Deum pro liberatione rogemus. Serviet hymnus ille: *Te lucis ante terminum &c.* quem quotidie ſub cubitum recitare adverſus hanc infirmitatem conſultum eſt.

CAP.

CAP. XXXI.

Alimenta ſicut medicamenta ſumenda, magnum illum eſse, quiſquis non rapitur aliquantum extra metas neceſſitatis; ſe talem non eſse.

1. ESt alia malitia diei, quæ utinam ſufficiat ei! Reficimus enim quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo, priuſquam eſcas & ventrem deſtruas: (*a*) cum occideris indigentiam meam ſatietate mirifica, & corruptibile hoc indueris incorruptione ſempiterna. Nunc autem ſuavis eſt mihi neceſſitas, & adverſus iſtam ſuavitatem pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero jejuniis, ſæpius in ſervitutem redigens corpus meum, & dolores mei voluptate pelluntur. Nam fames & ſitis, quidam dolores ſunt. Urunt, & ſicut febris necant, niſi alimentorum medicina ſuccurrat. Quæ quoniam præſto eſt, ex conſolatione munerum tuorum, in quibus noſtræ infirmitati terra, & aqua, & cœlum ſerviunt, calamitates delitiæ vocantur. Hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.

2. Sed dum ad quietem ſatietatis ex indigentiæ moleſtia tranſeo, in ipſo tranſitu mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ. Ipſe enim tranſitus voluptas eſt: & non eſt alius, qua tranſeatur, quam qua tranſire cogit neceſſitas. Et cum ſalus ſit cauſa edendi ac bibendi,

ad-

adjungit ſe tanquam pediſſequa, periculoſa jucunditas: & plerumque præire conatur, ut ejus cauſa fiat, quod ſalutis cauſa me facere vel dico, vel volo. Nec idem modus utriuſque eſt: Nam (*b*) quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt. Et ſæpe incertum fit, utrum adhuc neceſſaria corporis cura ſubſidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia miniſterium ſuppetat. Ad hoc incertum hilareſcit infelix anima, & in eo præparat excuſationis patrocinium: gaudens non apparere, quod ſatis ſit moderationi valetudinis, ut obtentu ſalutis obumbret negotium voluptatis.

2. His tentationibus quotidie conor reſiſtere, & invoco dexteram tuam ad ſalutem meam, & ad te refero æſtus meos: quia conſilium mihi de hac re nondum ſtat. Audio vocem jubentis Dei mei: *Non graventur corda veſtra, in crapula & ebrietate.* Ebrietas longe eſt a me, miſereberis, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam ſurrepit ſervo tuo, miſereberis, ut longe fiat a me. *Nemo enim poteſt eſſe continens, niſi tu des.* Multa nobis orantibus tribuis, & quicquid boni, antequam oremus, accipimus, a te accipimus, & ut hoc poſtea cognoſceremus, a te accipimus. Ebrioſus nunquam fui, ſed ebrioſos a te ſobrios factos, ego novi. Ergo a te factum eſt, ut hoc non eſſent, qui nunquam fuerunt: a quo etiam factum eſt, ut hoc non ſemper eſſent, qui fuerunt: *Luc.* 21. 34. *Sap.* 8. 21.

a quo

a quo etiam factum est, ut scirent utrique, a quo factum est.

Eccl. 18. 30. 4. Audivi & aliam vocem tuam: *Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere.* Audivi & illam ex munere tuo, quam multum amavi: *Neque si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, deerit nobis.* Hoc est dicere: nec illa res me copiosum faciet; nec illa ærumnosum. Audivi & alteram: *Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse; & abundare novi, & penuriam pati novi. Omnia possum in eo, qui me confortat.* Ecce miles castrorum cœlestium, non pulvis, quod nos sumus: sed memento Domine, *quia pulvis sumus*, & de pulvere fecisti hominem, & *perierat, & inventus est.* Nec ille in se potuit, quia itidem pulvis fuit, quem talia dicentem afflatu tuæ inspirationis adamavi. *Omnia possum*, inquit, *in eo, qui me confortat.* Conforta me, ut possim. Da quod jubes, & jube quod vis. Iste se accepisse confitetur, & quod *gloriatur, in Domino gloriatur.* Audivi alium rogantem ut accipiat: *Aufer a me*, inquit, *concupiscentias ventris.* Unde apparet sancte Deus meus te dare, cum fit, quod imperas fieri. Docuisti me pater bone, *omnia munda mundis.* Sed malum esse homini, qui per offensionem manducat; & *omnem creaturam tuam bonam esse, nibilque abjiciendum, quod cum gratiarum actione per-*

Phil. 4. 12. *Gen.* 3. 19. *Luc.* 15. *Phil.* 4. 12. 2. *Cor.* 1. 21. *Eccl.* 23. 6. *Tit.* 1. 15. 1. *Tim.* 4. 4.

percipitur ; & quia eſca nos non commendat Deo , & ut nemo nos judicet in cibo , aut in potu , & ut qui manducat non manducantem non ſpernat , & qui non manducat , manducantem non judicet . Didici hæc , gratias tibi , laudes tibi Deo meo , magiſtro meo , pulſatori aurium mearum , illuſtratori cordis mei . Eripe me ab omni tentatione . 1. Cor. 8. 8. Col. 2. 16. Rom. 14.

6. Non ego immunditiam obſonii timeo , ſed immunditiam cupiditatis . Scio Noe omne carnis genus , quod cibo eſſet uſui , manducare permiſſum ; Heliam cibo carnis refectum ; Joannem mirabili abſtinentia præditum , animalibus , hoc eſt , locuſtis in eſcam cedentibus , non fuiſſe pollutum . Et ſcio Eſau lenticulæ concupiſcentia deceptum , & David propter aquæ deſiderium , a ſeipſo reprehenſum ; & regem noſtrum non de carne , ſed de pane eſſe tentatum . Ideoque & populus in eremo , non quia carnes deſideravit , ſed quia eſcæ deſiderio adverſus Dominum murmuravit , meruit improbari . In his ergo tentationibus poſitus , certo quotidie adverſus concupiſcentiam manducandi & bibendi . Non enim eſt , quod ſemel præcidere , & ulterius non attingere decernam , ſicut de concubitu potui . Itaque fræni gutturis temperata relaxatione & conſtrictione tenendi ſunt . Et quis eſt Domine , qui non rapiatur aliquantulum extra metas neceſſitatis ? Quiſquis eſt , magnus eſt , Gen. 9. 2. 3. Reg. 17. 6. Matt. 3. 4. Geneſ. 25. 34. 2. Reg. 23. 17. Matt. 4. 3. Nu. 11. 20.

eſt, magnificet nomen tuum. Ego autem non ſum, quia peccator homo
Rom.8. 34. ſum. Sed & ego magnifico nomen tuum, & *interpellat te pro peccatis meis*, qui vicit ſeculum, numerans
Pſ.138. 16. me inter infirma membra corporis ſui, quia & *imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur*.

NOTÆ.

(a) *Cum occideris indigentiam*) Satiaveris apperitum meum immenſa dulcedine tua, aut abſtuleris in morte, omnem cibi ac potus neceſſitatem.

(b) *Quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt*) *Ipſa hæc nos modum neceſſitatis ſentire non ſinit, & ipſum limitem procurandæ ſalutis (ſi quæ adſint delectabilia) rapiendo abſcondit & tranſilit: putantibus nobis ſatis non eſſe, quod ſatis eſt, dum libenter ejus provocationibus ducimur, exiſtimantes nos adhuc agere negotium valetudinis, cum agamus potius voluptatis. Ita*
l.4.contra Jul. c.14. *neſcit cupiditas, ubi finiatur neceſſitas*, ait alibi S. D.

(c) *Non ego immunditiam obſonii timeo*) Nullum enim obſonium per ſe immundum eſt, nec coinquinat hominem niſi per legem juſtam veretur; quo modo Deus prohibuit Adam & Evæ eſum pomi, & Eccleſia carnes in quadrageſima, aliiſque quibuſdam diebus.

USUS.

1. Magnum ſobrietatis & temperantiæ ſtimulum S. D. ſubdit: I. Dum demonſtrat alimenta eſſe medicamenta. Nullus æger, niſi inſanit, plus de pharmacis ſumit, quam ſanitati conducit; neque nobis ergo plus de cibo & potu ſumendum, quam neceſſitas poſtulat. II. Idem ſuadet S. Scri-

ptura

ptura luculentis monitis, quæ juvabit expendere. III. Invitat exemplo S. Pauli, imo & ſuo, domabat enim gulam jejuniis frequentibus, ut hic teſtatur. *Menſa autem utebatur frugali & parca, quę inter olera & legumina, aliquando carnes propter hoſpites, vel quoſque infirmiores continebat*, uti refert Poſſid. *In vit. c. 22.*

2. Difficillimum eſt menſuram neceſſitatis, in cibo & potu invenire ac tenere. S. D. etſi fateatur conſilium ſibi hac de re nondum ſtetiſſe, aliqua tamen ejus reperiendæ media ſuggerit. I. Jejunium, & reliquam corporis mortificationem. II. Tentationum gulæ, cum ea appetitum allicit, quotidianam repreſſionem. III. Orationem, & divini auxilii ardentem implorationem. S. Ignatius in libello Exercitiorum utiles aliquot regulas tradidit, ad victum recte temperandum, & menſuram naturæ debitam inveniendam.

3. Gula non ſolum reprimenda eſt in cibis delicatioribus, ſed vilioribus quoque, quod S. D. eorum exemplis ſuadet, qui immoderato lenticulæ, aut aquæ uſu deliquerunt.

CAP. XXXII.

Illecebra odorum ſe non nimis tangi, ſæpe tamen occultos affectus per experientiam manifeſtari.

1. DE illecebra odorum, non fatago nimis. Cum abſunt, non requiro: cum adſunt, non reſpuo, paratus etiam eis ſemper carere. Ita mihi videor; forſitan fallor. Sunt enim & iſtæ plangendæ tenebræ in quibus me latet facultas mea, quæ in me eſt: ut animus meus, de viribus ſuis ipſe ſe interrogans, non facile ſibi credendum exi-

existimet : quia & quod nunc inest, plerunque occultum est, nisi experientia manifestetur. Et nemo securus esse debet in ista vita, quæ tota *tentatio*
Job. 1.1. nominatur : utrum qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Una spes, una fiducia, una firma promissio, misericordia tua.

U S U S.

Verissimum est, quod S. D. hic deplorat, neminem sibi facile credere debere, sæpe enim latet occultum vitium, quod experientia manifestat. Multi se sobrios, patientes, humiles putant, qui, ubi occasio adest, intemperantissimi, furiosi, superbi deprehenduntur.

C A P. XXXIII.

Sacras melodias in Ecclesia potius approbandas quam improbandas, se tamen pœnaliter peccare, quoties magis cantu movetur, quam re, quæ canitur.

1. VOluptates aurium tenacius me implicaverant, & subjugaverant : sed resolvisti, & liberasti me. Nunc in sonis, quos animant eloquia tua, cum suavi & artificiosa voce cantantur, fateor, aliquantulum acquiesco : non quidem ut hæream, sed ut surgam, cum volo. Attamen, cum ipsis sententiis, quibus vivunt, ut admittantur ad me, quærunt in corde meo nonnullius dignitatis locum, & vix eis præbeo congruentem. Aliquando enim plus mihi videor honoris eis tri-

Digitized by Google

tribuere quam decet, eum ipſis ſanctis dictis, religioſius & ardentius ſentio moveri animos noſtros in flammam pietatis, cum ita cantantur, quam ſi non ita cantarentur: & omnes affectus ſpiritus noſtri, pro ſui diverſitate, habere proprios modos in voce atque cantu, quorum neſcio qua occulta familiaritate excitentur.

2. Sed delectatio carnis meæ, cui mentem enervandam non oportet dari, ſæpe me fallit, dum rationem ſenſus non ita comitatur, ut patienter ſit poſterior: ſed tantum quia propter illam meruit admitti, etiam præcurrere ac ducere conatur. Ita in his pecco non ſentiens, ſed poſtea ſentio. Aliquando autem hanc ipſam fallaciam immoderatius cavens, erro nimia ſeveritate, ſed valde interdum, ut melos omne cantilenarum ſuavium, quibus Davidicum Pſalterium frequentatur, ab auribus meis removeri velim, atque ipſius eccleſiæ. Tutiuſque mihi videtur, quod de Alexandrino Epiſcopo Athanaſio, ſæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis, faciebat ſonare lectorem Pſalmi, ut pronuncianti vicinior eſſet, quam canenti.

3. Veruntamen cum reminiſcor lacrymas meas, quas fudi ad cantus eccleſiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipſo commoveor non cantu, ſed rebus quæ cantantu, (cum liquida voce & convenientiſſima modulatione cantantur) magnam inſti-

tuti hujus utilitatem rurſus agnoſco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum ſalubritatis, magiſque adducor, non quidem irretractabilem ſententiam proferens, cantandi conſuetudinem approbare in eccleſia: ut per oblectamenta aurium, infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat. Tamen, cum mihi accidit, ut me amplius cantus quam res quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor; & tunc mallem non audire cantantem. Ecce ubi ſum! Flete mecum, & pro me flete, qui aliquid boni vobiſcum intus agitis, unde facta procedunt. Nam qui non agitis, non vos hæc movent. Tu autem Domine Deus meus, reſpice, exaudi, & vide, & miſerere, & ſana me: in cujus oculis mihi quæſtio factus ſum, & ipſe eſt languor meus.

NOTÆ.

Apparet incredibilis puritas S. D. qua conſcientiam ab omni etiam levi peccato, quale eſſe poteſt, delectari liberius cantu Eccleſiaſtico, mundam ſervare ſtuduit. Quod ipſius exemplum movere ſaltem nos debet, ad cantus leviores ab Eccleſia arcendos, & omne petulantiæ genus in templo vitandum.

CAP.

CAP. XXXIV.

Se crebro implicari ſeductionibus oculorum, in luce Solis, & rebus pulcris ac artificioſis, cum ad pulcritudinem divinam unice ſit aſpirandum.

1. REſtat voluptas oculorum iſtorum carnis meæ, de qua loquor confeſſiones, quas audiant aures templi tui, autes fraternæ ac piæ, ut concludamus tentationes concupiſcentiæ carnis: quæ me adhuc pulſant ingemiſcentem, & habitaculum meum, quod de cœlo eſt, ſuperindui cupientem. Pulcras formas & varias, nitidos & amœnos colores amant oculi. Non teneant hæc animam meam; teneat eam Deus, qui hæc fecit, bona quidem valde, ſed ipſe eſt bonum meum; non hæc. Et tangunt me vigilantem totis diebus, nec requies ab eis datur mihi, ſicut datur a vocibus canoris aliquando ab omnibus in ſilentio. Ipſa enim regina colorum lux iſta, perfundens cuncta quæ cernimus, ubi per diem fuero, multimodo allapſu blanditur mihi aliud agenti, & eam non advertenti. Inſinuat autem ſe ita vehementer, ut ſi rèpente ſubtrahatur, cum deſiderio requiratur: & (*a*) ſi diu abſit, contriſtat animum. O lux, quam videbat Tobias, cum clauſis oculis iſtis, filium docebat vitæ viam, & ei præibat pede caritatis, nuſquam errans! Aut quam videbat Iſaac, prægravatis & opertis ſenectu-

2. Cor. 5. 2.

Gen. 13. 1.

Tob. 4.

Gen. 27. 28. & 40.

te carneis luminibus, cum filios non agnoſcendo benediceret, ſed benedicendo agnoſcere meruit! Aut quem videbat Jacob, cum & ipſe prægrandi ætate captus oculis, in filiis præſignata futuri populi genera, luminoſo corde radiavit: & nepotibus ſuis ex Joſeph, (*b*) divexas myſtice manus, non ſicut pater eorum foris corrigebat, ſed ſicut ipſe intus diſcernebat, impoſuit. Ipſa eſt lux, una eſt, & alia non eſt, & unum omnes, qui vident & amant eam. At iſta corporalis, de qua loquebar, illecebroſa ac periculoſa dulcedine, condit vitam ſeculi cæcis amatoribus. Qui autem de ipſa laudare te norunt, Deus creator omnium, abſumunt eam in hymno tuo, non aſſumuntur ab ea in ſomno ſuo. Sic eſſe cupio.

Gen. 48. 13.

3. Reſiſto ſeductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam, & erigo ad te inviſibiles oculos, ut tu evellas de laqueo pedes meos. Tu ſubinde evellis eos, nam illaqueantur. Tu non ceſſas evellere, ego autem crebro hæreo, ubique ſparſis inſidiis; quoniam *non dormies, neque dormitabis, qui cuſtodis Iſrael*. Quam innumerabilia variis artibus & opificiis, in veſtibus, calceamentis, vaſis, & hujuſcemodi fabricationibus, picturis etiam, diverſiſque figmentis: atque his uſum neceſſarium atque moderatum, & piam ſignificationem longe tranſgredientibus, addiderunt homines ad illecebras oculorum! (*c*) foras ſe-

Pſal. 24. 15.

ſequentes , quod faciunt ; intus relinquentes, a quo facti ſunt ; & exterminantes , quod facti ſunt.

4. At ego Deus meus & decus meum , etiam hinc tibi dico hymnum , & ſacrifico laudem ſanctificatori meo ; quoniam pulcra trajecta per animas in manus artificioſas , ab illa pulcritudine veniunt , quæ ſuper animas eſt , cui ſuſpirat anima mea die ac nocte . Sed pulcritudinum exteriorum operatores , & ſectatores inde trahunt approbandi modum , non autem inde trahunt utendi modum. Et ibi eſt , & non vident eum , ut non eant longius , & *fortitudinem ſuam ad te cuſtodiant* , nec eam ſpargant in delitioſas laſſitudines . Ego autem hæc loquens atque diſcernens , etiam iſtis pulcris greſſum innecto . Sed tu evellis Domine , evellis tu , quoniam *miſericordia tua ante oculos meos eſt* . Nam ego capior miſerabiliter , & tu eveliis miſericorditer , aliquando non ſentientem , quia ſuſpenſius incideram ; aliquando cum dolore , quia jam inhæſeram .

Pſal. 58. 10.

Pſ. 25. 3.

NOTÆ.

(a) *Et ſi diu abſit , contriſtat animum*) Hinc cæci qui omni lucis uſu carent , miſeri judicantur, ipſeque patientiſſimus Tobias , *quale gaudium* , inquit , *mihi erit , qui in tenebris ſedeo , & lumen cœli non video ?*

Tob. 5. 12.

(b) *Divexas myſtice manus*) Joſeph Jacob patri , filios benedicendos offerens Manaſſem majorem natu ſtatuit ad dexteram patris , Ephraim juniorem ad ſiniſtram . Sed Iacob commutans manus decuſſatim ,

Gen. 48.

dextram posuit supra Ephraim, sinistram supra Manassen, etsi renitente patre. Vidit nimirum Jacob lumine prophetico illustratus, Deum velle minorem majori præponere.

(c) *Foras sequentes, quod faciunt*) Dum delectantur opificiis & artificiis suis, intus relinquentes Deum, a quo facti sunt, & exterminantes in se imaginem illius, secundum quam facti sunt.

USUS.

1. Insigne exemplum prælucet S. D. ad custodiam oculorum; nimirum pulcritudine Dei captus, pulcritudinem creaturarum non æstimat, nec sectatur.

2. Docet, quomodo a luce corporea assurgere debeamus ad lucem incorpoream, & longe majoris facere quam illam: item ex artificiis hominum, ascendere ad artificem ipsorum artificum Deum.

3. Monet ipsos artifices, ut non solum opera sua artificiose, prælucente divina Sapientia elaborent, verum & modum recte utendi arte sua, eadem Sapientia duce, addiscant.

CAP. XXXV.

Curiositatem nostram, quam per concupiscentiam oculorum intelligi putat, in multis minutissimis rebus, quotidie tentari & labi, & hinc orationes sæpe interrumpi.

1. HUc accedit alia forma tentationis multiplicius periculosa. Præter eam enim concupiscentiam carnis, quæ inest in delectatione omnium sensuum & voluptatum, cui servientes depereunt, qui longe se faciunt a te: inest

ineſt animæ per eoſdem ſenſus corporis quædam non ſe oblectandi in carne, ſed (*a*) experiendi per carnem, vana & curioſa cupiditas, nomine cognitionis & ſcientiæ palliata. Quæ quoniam & in appetitu noſcendi eſt, oculi autem ſunt ad cognoſcendum in ſenſibus principes, *concupiſcentia oculorum* eloquio divino 1. *Jo.* 2. appellata eſt. Ad oculos enim proprie 16. videre pertinet. (*b*) Utimur autem hoc verbo etiam in ceteris ſenſibus, cum eos ad cognoſcendum intendimus. Neque enim dicimus, audi, quam rutilet, aut olfac, quam niteat, aut guſta, quam ſplendeat, aut palpa, quam fulgeat. Videri enim dicuntur hæc omnia. Dicimus autem non ſolum, vide, quid luceat, quod ſoli oculi ſentire poſſunt; ſed vide etiam, quid ſonet; vide, quid oleat; vide quid ſapiat; vide, quam durum ſit. Ideoque generalis experientia ſenſuum, concupiſcentia (ſicut dictum eſt) oculorum vocatur, quia videndi officium, in quo primatum oculi tenent, etiam ceteri ſenſus ſibi de ſimilitudine uſurpant, cum aliquid cognitionis explorant.

2. Ex hoc autem evidentius diſcernitur, quid voluptatis, quid curioſitatis agatur per ſenſus. Quod voluptas pulcra, canora, ſuavia, ſapida, lenia ſectatur. (*c*) Curioſitas autem etiam his contraria, tentandi cauſa: non ad ſubeundam moleſtiam, ſed ad experiendi noſcendique libidinem. Quid enim voluptatis habet videre in laniato cadavere, quod exhorreas? & ta-

micus, ut ſignum aliquod petam!

4. Sed obſecro te per Regem noſtrum, & patriam Hieruſalem, ſimplicem, caſtam, ut quemadmodum a me longe eſt iſta conſenſio, ita ſit ſemper longe atque longius. Pro ſalute autem cujuſquam cum te rogo, alius multum differens finis eſt intentionis meæ: & te facientem quod vis, das mihi, & dabis libenter ſequi. Veruntamen in quam multis minutiſſimis & contemptibilibus rebus, curioſitas quotidie noſtra tentatur, & quam ſæpe labamur, quis enumerat? Quoties narrantes inania, primo quaſi toleramus, ne offendamus infirmos, deinde paulatim libenter advertimus? Canem currentem poſt leporem jam non ſpecto, cum in circo fit: at vero in agro ſi caſu tranſeam, avertit me fortaſſis, & ab aliqua magna cogitatione, atque ad ſe convertit illa venatio: non deviare cogens corpore jumenti, ſed cordis inclinatione. Et niſi jam mihi demonſtrata infirmitate mea, cito admoneas, aut ex ipſa viſione, per aliquam conſiderationem in te aſſurgere: aut totum contemnere, atque tranſire, vanus hebeſco.

5. Quid cum me domi ſedentem ſtellio muſcas captans, vel aranea retibus ſuis irruentes implicans, ſæpe intentum facit? Num quia parva ſunt animalia, ideo non res eadem geritur? Pergo inde ad laudandum te creatorem mirificum, atque ordinatorem rerum omnium, ſed non inde intentus eſſe incipio. (*f*) Aliud eſt cito ſurgere, aliud eſt non

cadere . Et talibus vita mea plena eſt, & una ſpes mea in magna valde miſericordia tua . Cum enim hujuſmodi rerum conceptaculum ſit cor noſtrum, & portat copioſæ vanitatis catervas; hinc & orationes noſtræ ſæpe interrumpuntur atque turbantur, & ante conſpectum tuum, dum ad aures tuas vocem cordis intendimus, neſcio unde irruentibus nugatoriis cogitationibus, res tanta præciditur.

NOTÆ.

(a) *Experiendi per carnem vana & curioſa cupiditas*) Alii per concupiſcentiam oculorum avaritiam intelligunt . S. D. curioſitatem ſive inordinatum quiaſcunque res cognoſcendi deſiderium deſignari exiſtimat, non improbabiliter . Optime S. Thomas
1. 2. q. 77. a. 5. ait, intelligi tum *Concupiſcentiam inordinatæ cognitionis*, tum *ipſarum rerum, quæ exterius oculis proponuntur*.

(b) *Utimur hoc verbo etiam in ceteris ſenſibus*) Quia nempe, videre, generaliter ſumptum idem eſt, quod cognoſcere: omnis autem ſenſus eſt cognoſcitivus, quam doctrinam alibi quoque S. D. tradit.

Ser. 33. de verbis Domini l. 2. de doct. Chriſt. c. 22. & 23. l. 3. diſq. mag c. p. 1. q. 8. & l. 6. in an. monit. 7. V. S. Th. 2. 2. q. 97. ar. 2.

(c) *Curioſitas autem etiam his contraria*, &c.) clare explicat, quomodo differat concupiſcentia carnis, complectens delectationes omnes ſenſuum, ab hac curioſitate, quæ non ſolum pulcra & ſuavia, verum & deformia & acerba cognoſcere appetit.

(d) *Per artes magicas*) In has multi propter curioſitatem incidunt, quod S. D. alibi quoque monet, & conſentit Delrius, qui ſalutaria monita habet.

(e) *Deus tentatur*) Flagitare ſigna & prodigia ad explorandam divinam ſapientiam, potentiam, bonitatem, eſt tentare Deum, & peccatum: quia impium eſt dubitare de his, quæ ad divinam perfectionem

pertis

pertinent. Rogare vero pro ſalute alterius divinitus reſtituenda, aut Dei gloria aliis manifeſtanda per aliquod prodigium, non eſt peccatum, idque ſancti frequenter fecerunt. Ipſe S. D. ſe Innocentio viro Illuſtri, a quo poſt Baptiſmum Carthaginem revertſus hoſpitio ſuſceptus eſt, precibus ad Deum fuſis una cum ſociis, ſanitatem impetraſſe affimat.

(f) *Aliud eſt cito ſurgere, aliud non cadere*) Cum quis ſua culpa per curioſitatem diſtrahitur, reus eſt, etſi diu non hæreat, non enim ideo non cecidit, quia cito ſurrexit. *lib. 22. de civ. c. 8.*

U S U S.

1. Diſcamus S. D. Magiſtro, Curioſitatis pericula & laqueos agnoſcere ac vitare.

2. Si orationem ab alienis cogitationibus quietam deſideramus, concupiſcentiam oculorum refrænemus, effuſio in exteriora, rerumque vanarum notitia, ſunt diſtractionum noſtrarum ſemina.

C A P. XXXVI.

Dum neceſſarium eſt amari & timeri ab hominibus, facile perſuadet ſuperbia, ut velimus amari & timeri non propter Deum, ſed pro Deo, quo vituperante laus nulla prodeſt.

1. NUnquid etiam hoc inter contemnenda deputabam, aut aliquid nos reducet in ſpem, niſi tota miſericordia tua, quoniam cœpiſti mutare nos? Et tu ſcis, quanta ex parte mutaveris, qui me primitus ſanas (a) a libidine vindicandi me, ut propitius fias etiam ceteris omnibus iniquitati-

bus meis, & ſanes omnes languores meos, & redimas de corruptione vitam meam, & *corones me in miſeratione & miſericordia*, & ſaties in bonis deſiderium meum: quia compreſſiſti a timore tuo ſuperbiam meam, & manſuefeciſti jugo tuo cervicem meam. Et nunc porto illud, & leve eſt mihi; quoniam ſic promiſiſti, & feciſti, & vere ſic erat, & neſciebam, quando id ſubire metuebam.

*Pſ.*102. 3.

2. Sed nunquid Domine, qui ſolus ſine typho dominaris, quia ſolus verus dominus es, qui non habes dominum, nunquid hoc quoque tertium tentationis genus ceſſavit a me, aut ceſſare in hac tota vita poteſt timeri & amari velle ab hominibus, non propter aliud, ſed ut inde ſit gaudium, quod non eſt gaudium? Miſera vita eſt, & fœda jactantia. Hinc ſit, vel maxime non amare te, nec caſte timere te. Ideoque *tu ſuperbis reſiſtis, humilibus autem das gratiam*, & intonas ſuper ambitiones ſeculi, & contremiſcunt fundamenta montium. Itaque nobis, quoniam propter quædam humanæ ſocietatis officia, neceſſarium eſt amari & timeri ab hominibus, inſtat adverſarius veræ beatitudinis noſtræ, ubique ſpargens in laqueis, euge, euge: ut dum avide colligimus, incaute capiamur, & a veritate tua gaudium noſtrum deponamus, atque in hominum fallacia ponamus: libeatque nos amari & timeri; non propter te, ſed pro te; atque iſto modo ſui ſimiles factos

*Jac.*4.6.

Digitized by Google

ſtos ſecum habeat, non ad concordiam caritatis, ſed ad conſortium ſupplicii, qui ſtatuit *ſedem ſuam* (b) *ponere in aquilone*, ut te perverſa & diſtorta via imitantes, tenebroſi frigidive ſervirent. *Eſai.14. 13.*

3. Nos autem Domine, puſillus grex tuus ecce ſumus, tu nos poſſide. Prætende alas tuas, & fugiamus ſub eas. Gloria noſtra tu eſto, propter te amemur, & verbum tuum timeatur in nobis. Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec eripietur damnante te. Cum autem non peccator laudatur, in deſideriis animæ ſuæ, nec qui iniqua gerit, benedicitur: ſed laudatur homo propter aliquod bonum, quod dediſti ei: at ille plus gaudet ſibi laudari ſe, quam ipſum donum habere, unde laudatur: etiam iſte, te vituperante laudatur. Et melior jam ille, qui laudavit; quam iſte, qui laudatus eſt. Illi enim placuit in homine donum Dei, huic amplius placuit donum hominis, quam Dei.

NOTÆ.

(a) *A libidine vindicandi me*) Æquiſſimo animo S. D. injurias toleraſſe ſcribit Lancillotus. Argumento eſt, quod pro Donatiſtis, qui necem ipſi moliti erant, interceſſit apud Proconſulem Donatum. *Et loquere, & ſenti*, ait, *quidquid libet de Auguſtino, ſola me in oculis Dei, conſcientia non accuſet*: non ſane æſtimans ullas injurias. Unde Deus propitius factus eſt omnibus iniquitatibus ejus, nam qui dimittit debitoribus ſuis, ei dimittuntur debita omnia. *l. 3. vit. c. 52. ep. 127. l. contra Secund. Manic. c. 1.*

(b) Pe-

(b) *Ponere in Aquilone*) Aquilo ventus ſeptentrionalis frigidus & ſiccus, pro ipſo ſeptentrione ponitur, ubi meræ tenebræ & frigus; unde ad ſignificandum regnum tenebrarum transfertur, ejuſque Principem Diabolum, cui ſuperbi in cæcitate mentis, ſine calore caritatis miſerabiliter ſerviunt.

U S U S.

1. Neceſſaria ſunt iis, qui Eccleſiæ & Reipublicæ præſunt, timor, amor, honor, laus: abſque his enim contemnuntur, nec ſubditos recte moderari poſſunt. Hoc ergo laborent, ne *Euge illud honoris*, ipſos in vanam complacentiam præcipitet, ſimileſque fiant regi filiorum ſuperbiæ.

2. Qui laudes affectat humanas, conſcius ſe Deo non placere, meminerit illius quod S. D. ſuggerit, ſe ejuſmodi laudibus non defenſum iri in judicio, nec liberandum a damnatione.

3. Dona Dei per complacentiam & acceptationem humanæ laudis, vertuntur in damnum noſtrum, unde apparet, quantum cavendum ſit ab hac peſte.

C A P. XXXVII.

Cum non liceat mala agere, ut laudari non poſſimus, ſe hoc ſolum confiteri poſſe, quod delectetur laudibus, ſed plus veritate, quam laudibus.

1. TEntamur his tentationibus quotidie Domine, ſine ceſſatione tentamur. Quotidiana fornax noſtra, eſt humana lingua. Imperas nobis & in hoc genere continentiam: Da quod jubes, & jube quod vis. Tu noſti de hac re ad

te

Digitized by Google

te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum. Neque enim facile colligo, quam ſim ab iſta peſte mundatior, & multum timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non. Eſt enim qualiſcunque in aliis generibus tentationum mihi facultas explorandi me, in hoc pene nulla eſt. Nam & a voluptatibus carnis, & a curioſitate ſupervacanea cognoſcendi, video quantum aſſecutus ſim, poſſe refrænare animum meum, cum eis rebus careo, vel voluntate, cum adſunt; vel neceſſitate, cum deſunt. Tunc enim me interrogo, quam magis minuſve mihi moleſtum ſit non habere? Divitiæ vero, quæ ob hoc expetuntur, ut alicui iſtarum trium cupiditatum, vel duabus earum, vel omnibus ſerviant; ſi perſentiſcere non poteſt animus, utrum eas habens contemnat, poſſunt & dimitti, ut ſe probet.

2. Laude vero ut careamus, atque in eo experiamur, quid poſſumus; nunquid male vivendum eſt, & tam perdite atque immaniter, ut nemo nos noverit, qui non deteſtetur? Quæ major dementia dici, aut cogitari poteſt? At ſi bonæ vitæ bonorumque operum comes & ſolet & debet eſſe laudatio, tam comitatum ejus, quam ipſam bonam vitam deſeri non oportet. Non autem ſentio, ſine quo eſſe, aut æquo animo, aut ægre poſſim, niſi cum abfuerit. Quid igitur tibi in hoc genere tentationis Domine confiteor? Quid? niſi de-

le-

lectari me laudibus, sed amplius ipsa veritate, quam laudibus. Nam si mihi proponatur, utrum malim furens, aut in omnibus rebus errans, ab omnibus hominibus laudari: an constans & in veritate certissimus, ab omnibus vituperari? video quid eligam.

3. Veruntamen nollem, ut vel augeret mihi gaudium cujuslibet boni mei, suffragatio oris alieni. Sed auget fateor, non solum, sed & vituperatio minuit. Et cum ista miseria mea perturbor, subintrat mihi excusatio, quæ qualis sit, tu scis Deus, nam me incertum facit. Quia enim nobis imperasti non tantum continentiam, id est, a quibus rebus amorem cohibeamus, verum etiam justitiam, id est, quo eum conferamus: nec te tantum voluisti a nobis, verum etiam proximum diligi, sæpe mihi videor de profectu aut spe proximi delectari, cum bene intelligentis laude delector: & rursus ejus malo contristari, cum eum audio vituperare, quod aut ignorat, aut bonum est. Nam & contristor aliquando laudibus meis, cum vel ea laudantur in me, in quibus mihi ipse displiceo: vel etiam bona minora & levia pluris æstimantur, quam æstimanda sint.

4. Sed rursus unde scio, an propterea sic afficior, quia nolo de meipso a me dissentire laudatorem meum; non quia illius utilitate moveor, sed quia eadem bona, quæ mihi in me placent, jucundiora mihi sunt, cum & alteri placent?

Quo-

Quodammodo enim non ego laudor, cum de me ſententia mea non laudatur; quandoquidem aut illa laudantur, quæ mihi diſplicent: aut illa amplius, quæ mihi minus placent. Ergone de hoc incertus ſum mei? Ecce in te veritas video, non me laudibus meis propter me, ſed propter proximi utilitatem moveri oportere. Et utrum ita ſit, neſcio. Minus mihi in hac re notus ſum ipſe, quam tibi.

5. Obſecro te Deus meus, & meipſum mihi indica, ut confitear oraturis pro me fratribus meis quod in me ſaucium comperero. Iterum me diligentius interrogem: Si utilitate proximi moveor in laudibus meis, cur minus moveor, ſi quiſquam alius injuſte vituperetur, quam ſi ego? Cur ea contumelia magis mordeor, quæ in me, quam quæ in alium eadem iniquitate coram me jacitur? An & ego hoc neſcio? Etiam ne id reſtat, ut ipſe me ſeducam, & verum non faciam coram te in corde & lingua mea? Inſaniam iſtam Domine longe fac a me, ne *oleum peccatoris mihi ſit os meum, ad impinguandum caput meum*. *Egenus & pauper ego ſum*; & melior in occulto gemitu diſpliceens mihi, & quærens miſericordiam tuam, donec reficiatur defectus meus, & perficiatur uſque in pacem, quam neſcit arrogantis oculus. [p] Pſ. 140. 5. Pſ. 108. 22.

USUS.

Digitized by Google

U S U S.

1. Quotidiana & nunquam interrupta ſuperbiæ infeſtatio adingens humilitatis deſiderium ac ſtudium nos movere debet, tanto magis, quanto certius ſcimus, nos *non poſſe intrare in regnum cælorum, niſi efficiamur ut parvuli.*

2. Non eſt fugienda laus, faciendo vituperio digna, ſed cum S. Auguſtino conandum eſt. I. Ut plus delectemur veritate quam laudibus, facturi laude digna, etſi nemo nos laudaret. II. Cum perturbamur defectu laudis, aut titillamur ejus ſuffragio, pro viribus ejuſmodi Vanitas reprimenda eſt. III. Eo eniti debemus, ut ob ſolam Dei gloriam delectemur, laudibus tum propriis, tum alienis. Gravis hæc & difficilis eſt pugna, ſed ſi perſeveremus orando & pugnando, vincemus cum S. Auguſtino, qui in ſuis libris nihil magis docet, quam humilitatem, Doctor tanto major, quanto humilior.

C A P. XXXVIII.

In iis, quæ coram aliis fiunt, etiam in ipſo contemptu laudis, eſſe periculum vanæ gloriæ.

1. SErmo autem ore procedens, & facta quæ innoteſcunt hominibus, habent tentationem periculoſiſſimam ab amore laudis, qui ad privatam quandam excellentiam contrahit, & emendicata ſuffragia tentat; & cum a me in me arguitur, eo ipſo quo arguitur. Et ſæpe homo de ipſo vanæ gloriæ contemptu vanius gloriatur: ideoque, non jam de ipſo vanæ gloriæ contemptu gloriatur. Non enim eam contemnit, cum gloriatur intus.

USUS.

Digitized by Google

U S U S.

Ingens hoc ipſum humilitatis incitamentum eſt, ſe tam miſerum agnoſcere, ut contemptum laudis in ſuperbiam, id eſt, pharmacum in venenum vertat, niſi cæleſtis medicus tumorem noſtrum ſanet.

C A P. XXXIX.

Timere ſe id quoque tentationis genus, quo aliqui placent ſibi de ſe, nec placere affectant ceteris, ſed invident.

1. ETiam intus eſt aliud in eodem genere tentationis malum, quo inaneſcunt, qui placent ſibi de ſe, quamvis aliis vel placeant, vel diſpliceant, nec placere affectant ceteris. Sed ſibi placentes, multum tibi diſpliacent, non tantum de non bonis quaſi bonis, verum etiam de bonis tuis, quaſi ſuis: aut etiam ſicut de tuis, ſed tanquam ex meritis ſuis: aut etiam ſicut ex tua gratia, ſed non ſecundum ſua merita, non tamen ſocialiter gaudentes, ſed aliis invidentes eam. In his omnibus atque hujuſcemodi periculis & laboribus, vides tremorem cordis mei: ſed & vulnera mea magis ſubinde a te ſanari, quam mihi non infligi ſentio.

U S U S.

Remedia adverſus tam multiplices ſuperbiæ tentationes paſſim in libris ſpiritualibus ad manum ſunt. Præ reliquis egregie de humilitate ſcripſit *Jacobus Alvarez* tractatu abſolutiſſimo, ubi omnes Superbiæ fraudes ejuſ-

que

que remedia aperit, multaque egregia ex S. D. noſtro accumulat. Cum quo vigilandum eſt in aſſiduo cordis tremore, & gratiæ Deo agendæ, qui vulnera ſuperbarum cogitationum, quæ nobis non ſentientibus ſæpe ſubrepunt, ſanat bonis inſpirationibus: oſtendens nobis occultis modis vanitatem noſtram, & veritatem ſuam.

CAP. XL.

Se Deo ducente ac docente perluſtraſſe omnia, extra & intra ſe, & horum nihil eſſe Deum; in eo ſe, cum poteſt, delectari, & ſubinde in affectum inuſitatum intromitti.

1. UBi non mecum ambulaſti veritas, docens quid caveam, & quid appetam, cum ad te referrem inferiora viſa mea, quæ potui, teque conſulerem? Luſtravi mundum foris ſenſu, quo potui: & attendi vitam corporis mei de me, ſenſuſque ipſos meos. Inde ingreſſus ſum in receſſus memoriæ meæ multiplices amplitudines, plenas miris modis copiarum innumerabilium, & conſideravi, & expavi, & nihil eorum diſcernere potui ſine te, & nihil eorum eſſe te inveni. Nec ego ipſe inventor, qui peragravi omnia, & diſtinguere & pro ſuis quæque dignitatibus æſtimare conatus ſum, excipiens alia nunciantibus ſenſibus, & interrogans, alia mecum commixta ſentiens, ipſoſque nuncios dinoſcens atque dinumerans, jamque in memoria elatis opibus alia pertractans, alia recondens, alia eruens.

2. Nec

2. Nec ego ipſe, cum hæc agerem, id eſt, vis mea, qua id agebam, nec ipſa eras tu, quia lux es tu permanens, quam de omnibus conſulebam, an eſſent, quid eſſent, quanti pendenda eſſent? Et audiebam docentem ac jubentem, & ſæpe iſtud facio. Hoc me delectat, & ab omnibus actionibus neceſſitatis, quantum relaxari poſſum, ad iſtam voluptatem refugio. Neque in his omnibus, quæ percurro conſulens te, invenio tutum locum animæ meæ, niſi in te, quo colligantur ſparſa mea, nec a te quicquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in affectum multum inuſitatum introrſus, ad neſcio quam dulcedinem, quæ ſi perficiatur in me, neſcio quid erit, quod vita iſta non erit. Sed recido in hæc ærumnoſis ponderibus, & reſorbeor ſolitis, & teneor, & multum fleo, ſed multum teneor. Tantum conſuetudinis ſarcina digna eſt: Hic eſſe valeo, nec volo: illic volo, nec valeo, miſer utrobique.

USUS.

1. Omnem veritatis, virtutum, vitiorum cognitionem S. D. in meditatione adeptus eſt: ibi Deum conſuluit, an, quid, & quanti pendendæ ſint omnes creaturæ? inde lux divina affulſit, monſtravitque facienda & omittenda. Imitemur S. D. certi nos parum in Spiritu profecturos, niſi multum res divinas meditemur. S. D. fatetur ſe omne tempus a neceſſariis occupationibus vacuum, deliciis contemplationis ac meditationis impendiſſe. Impendamus nos tantum, quantum officii ac inſtituti ratio poſtulat.

2. Largitur Deus electis ſuis in meditatione

ne non raro quendam præguſtum, & veluti promulſidem æternæ beatitudinis, ut exclamare cogantur: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine!* ſed bene S. Bernardus, *in his parva morula*, redire coguntur ad ſolita vitæ munia, deprimente neceſſitate & conſuetudine, quod hic deplorat S. D.

CAP. XLI.

Confeſſum ſe languores ſuos, Deumque invocaſſe, quem amiſerat, quia volebat eum poſſidere cum mendacio.

1. Deoque conſideravi languores peccatorum meorum, (*a*) in cupiditate triplici: & dexteram tuam invocavi, ad ſalutem meam. Vidi enim ſplendorem tuum corde ſaucio, & repercuſſus dixi: Quis illuc poteſt? *Projectus ſum a facie oculorum tuorum*. Tu es veritas ſuper omnia præſidens. At ego per avaritiam meam (*b*) non amittere te volui, ſed volui tecum poſſidere mendacium; ſicut nemo vult ita falſum dicere, ut neſciat ipſe, quid verum ſit. Itaque amiſi te, quia non dignaris cum mendacio poſſideri.

Pſ. 30. 23.

NOTÆ.

(a) *In cupiditate triplici*) Carnis, oculorum, ſuperbiæ, de qua S. Joan. cujus impulſu homo peccat, dum triplex bonum inordinate appetit. I. Quod reipſa in ipſo recipitur, ut voluptas cibi, potus, Veneris. II. Quod per inanes tantum ſpecies ſeu apprehenſionem, & curioſitate ac varietate delectat. III. Quod totum extra ipſum eſt, ut honor, laus,

1. Joan. 2. 16.

laus, gloria. I. Eſt concupiſcentia carnis. II. Concupiſcentia oculorum. III. Superbia vitæ.

(b) *Non amittere te volui*) Nemo quantumvis impius Deum vult amittere, quem novit eſſe ſummum bonum. Quod omnes neceſſario appetunt, etſi media difficilia ad illud aſſequendum neceſſaria multi repudient.

U S U S.

1. Mirabilis fuit S. D. converſio, qui ex graviſſimis vitiis luxuriæ, ſuperbiæ, vanitatis, ita integre emerſit, ut non niſi pauculæ & vix culpabiles imperfectiones in ipſo permanſerint. Ubi nos hæremus? Sequamur, aut ſaltem ſequi deſideremus. Auguſtinus caſtus, humilis, ſeculi contemptor eſſe cœpit, & conſtanter permanſit. Inſpice & fac ſecundum exemplar converſionis ejus, qui peccaſti ſecundum exemplum illius.

2. Non dignatur *Deus cum mendacio poſſideri*; hoc totum impedimentum converſionis & profectus noſtri eſt, quia volumus in Deo & ſimul in creaturis delectari, & mentimur nobis ipſis, id poſſe fieri.

C A P. XLII.

Quoſdam quæſiviſſe reconciliationem cum Deo per Angelos, & illuſos a Dæmone, qui eſt mediator fallax.

1. QUem invenirem, qui me reconciliaret tibi? An obeundum mihi fuit ad angelos? qua prece? quibus ſacramentis? (a) Multi conantes ad te redire, neque per ſeipſos valentes, ſicut audio, tentaverunt hæc: & inciderunt in deſiderium curioſarum viſionum, & digni habiti ſunt illuſionibus. Elati enim te quærebant doctrinæ faſtu, exc-

exerentes potius quam tundentes pectora : & adduxerunt sibi per similitudinem cordis sui, conspirantes & socias superbiæ suæ *potestates aeris hujus*, quibus per potentias magicas deciperentur, quærentes mediatorem, per quem purgarentur, & non erat. Diabolus enim erat, transfigurans se in angelum lucis.

Ephes. 2. 2.

2. Et multum illexit superbam carnem, quod carneo corpore ipse non esset. Erant enim illi mortales & peccatores : Tu autem Domine, cui reconciliari superbe quærebant, immortalis & sine peccato. *Mediator* autem *inter Deum & homines*, oportebat ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus; ne in utroque hominibus similis, longe esset a Deo: aut in utroque Deo similis, longe esset ab hominibus, atque ita mediator non esset. Fallax itaque ille mediator, quo per secreta judicia tua, superbia meretur illudi, unum cum hominibus habet, id est peccatum; aliud videri vult habere cum Deo', ut quia carnis mortalitate non tegitur, pro immortali se ostentet. Sed quia *stipendium peccati mors* est, hoc habet commune cum hominibus, unde simul damnetur in mortem.

1. Tim. 2. 5.

Rom. 6. 23.

NOTÆ.

(a) *Multi conantes redire ad te, &c.*) Videtur significare aliquos superbia & curiositate seductos, dum divinas visiones & revelationes quærunt, incidisse in Diabolicas illusiones, deceptos a Dæmone transfigurante se in Angelum lucis.

[b] *Me-*

Digitized by Google

(b) *Mediator autem &c.*) Dæmon cum Deo communem oſtentat immortalitatem , ſed cum hominibus ſimile nihil habet niſi peccatum , & peccati ſupplicium . Quare non poteſt eſſe verus mediator , nec expiare peccatum , cum ſit ipſe peccator .

CAP. XLIII.

Verax mediator Chriſtus eſt , in illo ſe jactaſſe curam ſuam , cum meditaretur ſolitudinem , & conſideraſſe ſanguinem ejus , pretium ſuum .

1. VErax autem mediator , quem ſecreta tua miſericordia demonſtraſti humilibus , & miſiſti , ut ejus exemplo etiam ipſam diſcerent humilitatem , mediator ille Dei & hominum , homo Chriſtus Jeſus , inter mortales peccatores & immortalem juſtum apparuit , mortalis cum hominibus , juſtus cum Deo . Ut quoniam ſtipendium juſtitiæ , vita & pax eſt , per juſtitiam conjunctam Deo , evacuaret mortem juſtificatorum impiorum , quam cum illis voluit habere communem . Hic demonſtratus eſt antiquis ſanctis , ut ita ipſi per fidem futuræ paſſionis ejus , ſicut nos per fidem præteritam , ſalvi fierent . In quantum enim homo , in tantum mediator , in quantum autem Verbum , non medius quia æqualis Deo : & Deus apud Deum , ſimul cum Spiritu ſancto unus Deus .

2. Quomodo nos amaſti pater bone , qui *filio tuo unico non peperciſti , ſed pro nobis impiis tradidiſti eum !* Quo- *Rom. 8. 32.*

modo nos amasti? pro quibus ille, qui
Phil. 2. 6. *non rapinam arbitratus est esse æqualis tibi, factus est subditus usque ad mortem, mortem autem crucis, unus ille*
Ps. 87. 6. *in mortuis liber, potestatem habens ponendi animam suam, & potestatem*
Joan. 10. 48. *habens iterum sumendi eam*; pro nobis tibi victor & victima, & ideo victor, quia victima; pro nobis tibi sacerdos & sacrificium; & ideo sacerdos, quia sacrificium, faciens tibi nos de servis filios, de te nascendo, nobis serviendo. Merito mihi spes valida in illo est,
Ps. 102. 3. quod *sanabis omnes languores meos* per
Rom. 8. 34. eum, qui sedet ad dexteram tuam, & *te interpellat pro nobis*, alioquin desperarem. Multi enim & magni sunt iidem languores mei; multi sunt & magni, sed amplior est medicina tua. Potuimus putare Verbum tuum remotum esse a conjunctione hominis, & desperare de nobis: nisi caro fieret, & habitaret in nobis.

3. Conterritus peccatis meis & mole miseriæ meæ, agitaveram in corde, meditatusque fueram fugam in solitudinem. Sed prohibuisti mihi, & confir-
2. Cor. 5. 14. masti me, dicens: ideo *pro omnibus Christus mortuus est, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est*. Ecce Domine jacto
Ps. 118. 18. in te curam meam, ut vivam, & *considerabo mirabilia de lege tua*. Tu scis imperitiam meam, & infirmitatem meam, doce me, & sana me. Ille tuus unicus: *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi*, *redemit* me
Col. 1. 3.

san-

ſanguine ſuo. Non calumnientur mihi ſuperbi: quoniam cogito precium meum, & manduco, & bibo, & erogo: & pauper cupio ſaturari ex eo, inter illos, qui *edunt & ſaturantur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.* *Pſ.* 11. 8. *Pſ.* 21. 27.

N O T Æ.

1. *In quantum enim homo, in tantum mediator*) Sic enim medius eſt inter Deum & hominem, ſimilis Deo per divinitatem & juſtitiam, ſimilis nobis per humanam naturam.

2. *Inter mortuos liber*) aliis enim hominibus impoſita eſt neceſſitas moriendi, Chriſtus libere illam ſubiit, *habens poteſtatem ponendi animam ſuam* in cruce, *& iterum ſumendi* in reſurrectione. *Pſ.* 87. 8. *Joan.* 10.

3. *Ideo Victor, quia victima*) Ideo enim vicit Diabolum, quia in ara crucis cruentum ſacrificium pro nobis obtulit.

4. *Ideo Sacerdos, quia ſacrificium*) Nullum enim aliud ſacrificium obtulit, aut inſtituit præter ſeipſum, nec ad aliud a Deo patre conſtitutus eſt Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, quam ut pro nobis offerret ſeipſum, & daret animam ſuam redemptionem pro multis.

5. *De te naſcendo, nobis ſerviendo*) Ex altero enim ut Deus, potuit afferre condignum pretium redemptionis, ex iſto ut homo, potuit peragere opus redemptionis noſtræ.

6. *Cogito pretium meum*) Sanguinem Chriſti, (*& manduco, & bibo*) in Miſſæ ſacrificio (*& erogo*) diſtribuens Euchariſtiam communicantibus.

U S U S.

1. Etſi peccatorum magnitudo incitaret ad grandem pœnitentiam & vitam ſolitariam S. Auguſtinum, vocavit tamen illum Deus ad regimen animarum, ut innumeras ex luto hæreſis & ſcelerum extraheret, in quo ipſe hæſerat. Paruit ille, & maluit Chriſto vi-

vere, ac miniſter redemptionis ejus effici, quam vivere ſibi ſoli. Qua in re illuſtre exemplum dedit, etiam in vita communi & officiis Eccleſiaſticis, prioris vitæ delicta, caritate Dei ac proximi poſſe expiari.

2. Videtur vero S. D. ad perfectionem, quam in illo veneratur orbis, triplici maxime medio perveniſſe, ut hic inſinuat. I. Jactando omnem curam ac fiduciam in Deo, & meritis Chriſti. II. Conſiderando mirabilia de lege divina per frequentem meditationem. III. Crebra & haud dubie quotidiana Sacrificii Miſſæ celebratione, in quo pretium ſuum manducabat, & bibebat ipſe, & aliis ſæpe erogabat. Ex hoc triplici fonte manavit ingens Mortificationis ſtudium, quo triplicem concupiſcentiam edomuit, illuſtrique exemplo ad ſui imitationem omnes confeſſionum ſuarum lectores invitavit. Ut qui imitamur peccantem, imitemur & pœnitentem, totoque corde ad Deum ſe convertentem.

LIBER XI.

CAPUT I.

Cur confitemur Deo ſcienti.

NUnquid Domine cum tua ſit æternitas, ignoras, quæ tibi dico: aut ad tempus vides, quod fit in tempore? Cur ergo tibi tot rerum narrationes digero? Non utique, ut per me noveris ea, ſed affectum meum excito in te, & eorum, qui hæc legunt; ut dicamus omnes: Magnus Dominus, & laudabilis valde. Jam dixi, & dicam, amore amoris tui facio iſtud.

Nam

Nam & oramus, & tamen veritas ait: Novit pater veſter, quid vobis opus ſit, prius quam petatis ab eo. Affectum ergo noſtrum patefacimus in te: confitendo tibi miſerias noſtras, & miſericordias tuas ſuper nos: ut liberes nos omnino, quoniam cæpiſti: ut deſinamus eſſe miſeri in nobis, & beatificemur in te: quoniam vocaſti nos, ut ſimus pauperes ſpiritu, & mites, & lugentes: & eſurientes ac ſitientes juſtitiam, & miſericordes, & mundi corde, & pacifici. Ecce narravi tibi multa, quæ potui, & quæ volui; quoniam tu prior voluiſti, ut confiterer tibi Domino Deo meo, quoniam bonus es, quoniam in ſæculum miſericordia tua.

CAP. II.

Petit liberari a peccato & ab erroribus, & duci ad veram cognitionem.

1. QUando autem ſufficio calami lingua enunciare omnia hortamenta tua, & omnes terrores tuos & conſolationes & gubernationes, quibus me perduxiſti prædicare verbum tuum, & ſacramentum tuum diſpenſare populo tuo? Et ſi ſufficio hæc enunciare ex ordine, caro mihi valent ſtillæ temporum; & olim inardeſco meditari in lege tua, & in ea tibi confiteri ſcientiam & imperitiam meam, primordia illuminationis tuæ, & reliquias tenebrarum mearum, quouſque devoretur a fortitu-

dine infirmitas. Et nolo, defluant id horæ, quas invenio liberas a neceſſitatibus reficiendi corporis, & intentionis animi, & ſervitutis, quam debemus hominibus & quam non debemus, & tamen reddimus.

2. Domine Deus meus intende orationi meæ; & miſericordia tua exaudiat deſiderium meum: quoniam non mihi ſoli æſtuat, ſed uſui vult eſſe fraternæ charitatis; & vides in corde meo, quia ſic eſt; ut ſacrificem tibi famulatum cogitationis & linguæ meæ: & da, quod offeram tibi. Inops enim & pauper ſum, tu dives in omnes invocantes te, qui ſecurus curam noſtri geris. Circumcide ab omni temeritate, omnique mendacio, interiora & exteriora labia mea. Sint caſtæ deliciæ meæ, ſcripturæ tuæ; nec fallar in eis, nec fallam ex eis. Domine attende, & miſerere Domine Deus meus, lux cæcorum & virtus infirmorum, ſtatimque lux videntium & virtus fortium: attende animam meam, & audi clamantem de profundo. Nam niſi adſint & in profundo aures tuæ, quo ibimus? quo clamabimus? Tuus eſt dies, & tua eſt nox. Ad nutum tuum momenta tranſvolant.

3. Largire inde ſpatium meditationibus noſtris in abdita legis tuæ, neque adverſus pulſantes claudas eam. Neque enim fruſtra ſcribi voluiſti tot paginarum opaca ſecreta. Aut non habent illæ ſylvæ cervos ſuos, recipientes ſe in eas, & reſumentes, & ambulantes, & paſcentes, recumbentes, & ruminantes;

res; O Domine perfice me, & revela mihi eas! Ecce vox tua, gaudium meum; vox tua, ſuper affluentiam voluptatum. Da quod amo: Amo enim; & hoc tu dediſti. Nec dona tua deſeras, nec herbam tuam ſpernas ſitientem. Confitear tibi: quidquid invenero in libris tuis; & audiam vocem laudis, & te bibam, & conſiderem mirabilia de lege tua, ab uſque principio, in quo feciſti cælum & terram, uſque ad regnum tecum perpetuum ſanctæ civitatis tuæ. Domine miſerere mei, & exaudi deſiderium meum. Puto enim, quod non ſit de terra, non de auro & argento, & lapidibus, aut decoris veſtibus, aut honoribus & poteſtatibus, aut voluptatibus carnis; neque de neceſſariis corpori, & huic vitæ peregrinationis noſtræ: quæ omnia apponuntur nobis, quærentibus regnum & juſtitiam tuam. Vide Domine Deus meus, unde ſit deſiderium meum. Narraverunt mihi injuſti delectationes ſuas, ſed non ſicut lex tua Domine. Ecce unde eſt deſiderium meum.

4. Vide pater, aſpice, & approba: & placeat in conſpectu miſericordiæ tuæ, invenire me gratiam ante te, ut aperiantur pulſanti mihi interiora ſermonum tuorum. Obſecro per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, virum dexteræ tuæ, filium hominis, quem confirmaſti tibi mediatorem tuum & noſtrum, per quem nos quæſiſti, non quærentes te: quæſiſti autem, ut quæreremus te verbum tuum, per quod

feciſti omnia, in quibus & me: unicum tuum, per quem vocaſti in adoptionem populum credentium, in quo & me: per eum te obſecro, qui ſedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Ipſum quæro in libris tuis; Moyſes de illo ſcripſit: Hoc ipſe ait, hoc veritas ait.

CAP. III.

Creatio cæli & terræ.

1. AUdiam & intelligam, quomodo in principio feciſti cælum & terram. Scripſit hoc Moyſes, ſcripſit & abiit, tranſiit hinc ad te. Neque enim nunc ante me eſt: nam ſi eſſet, tenerem & rogarem eum, & per te obſecrarem, ut mihi iſta panderet; & præberem aures corporis mei, ſonis erumpentibus ex ore ejus. Et ſi Hebræa voce loqueretur, fruſtra pulſaret ſenſum meum, nec inde mentem meam quidquam tangeret. Si autem Latine, ſcirem quid diceret.

2. Sed unde ſcirem, an verum diceret? Quod ſi hoc ſcirem, num & ab illo ſcirem? Intus utique mihi, intus in domicilio cogitationis; nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec Barbara vox, ſed veritas, ſine oris & linguæ organis, ſine ſtrepitu ſyllabarum diceret. Verum dicit: & ego ſtatim certus con-

confidenter illi homini tuo dicerem. Verum dicis. Cum ergo illum interrogare non poſſum, te, quo plenus vera dixit, veritas, te rogo Deus meus: rogo parce peccatis meis: & qui illi ſervo tuo dediſti hæc dicere, da & mihi hæc intelligere.

CAP. IV.

Creatura clamat creatorem Deum.

1. ECce ſunt cœlum & terra: clamant quod facta ſunt: Mutantur enim, atque variantur. Quicquid enim factum non eſt, & tamen eſt, non eſt in eo quidquam, quod ante non erat, quod eſt mutari atque variari. Clamant etiam, quod ſeipſa non fecerint; ideo ſumus, quia facti ſumus. Non ergo eramus, antequam eſſemus, ut fieri poſſemus a nobis. Et vox dicentium, eſt ipſa evidentia. Tu ergo Domine feciſti ea; qui pulcher es; pulchra ſunt enim: qui bonus es, bona ſunt enim, qui es, ſunt enim. Nec ita pulchra ſunt, nec ita bona ſunt, nec ita ſunt, ſicut tu conditor eorum: cui comparata, nec pulchra ſunt, nec bona ſunt, nec ſunt, Scimus hæc, gratias tibi. Et ſcientia noſtra ſcientiæ tuæ comparata, ignorantia eſt.

Digitized by Google

CAP. V.

Ex nihilo conditus mundus.

1. IN principio, fecit Deus cœlum & terram. Quomodo autem feciſti cælum & terram, & quæ machina tam grandis operationis tuæ? Non enim ſicut homo artifex formans corpus de corpore, arbitratu animæ, volentis imponere utcunque ſpeciem, quam cernit in ſemetipſa interno oculo. Et unde hoc valeret, niſi quia tu feciſti eam? Et imponit ſpeciem jam exiſtenti: & habenti ut eſſet; veluti terræ, aut lapidi, aut ligno, aut auro, aut id genus rerum cuilibet. Et unde iſta eſſent, niſi tu inſtituiſſes ea? Tu fabro corpus, tu animum membris imperitantem feciſti; tu materiam, unde facit aliquid: tu ingenium, quo artem capiat, & videat intus, quid faciat foris. Tu ſenſum corporis, quo interprete trajiciat ab animo ad materiam, id quod facit; & renuntiet animo quid factum ſit; ut ille intus conſulat præſidentem ſibi veritatem, an bene factum ſit. Te laudent hæc omnia, creatorem omnium.

2. Sed tu quomodo facies ea? Quomodo feciſti Deus cœlum & terram? Non utique in cœlo, neque in terra, feciſti cælum & terram; neque in aere, aut in aquis, quoniam & hæc pertinent ad cœlum & terram: Neque in univerſo mundo feciſti univerſum mundum, quia nom erat, ubi fieret,

ret, antequam fieret, ut eſſet: Nec manu tenebas aliquid, unde faceres cœlum & terram. Nam unde tibi hoc, quod tu non feceras, unde aliquid faceres? Quid enim eſt, niſi quia tu es? Ergo dixiſti, & facta ſunt, atque in verbo tuo feciſti ea.

CAP. VI.

Verbo æterno Deus condidit omnia.

1. SEd quomodo dixiſti? Nunquid illo modo, quo facta eſt vox de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus? Illa enim vox acta atque tranſacta eſt, cœpta & finita. Sonuerunt ſyllabæ: atque tranſierunt; ſecunda poſt primam, tertia poſt ſecundam; atque inde ex ordine, donec ultima poſt ceteras, ſilentiumque poſt ultimam. Unde claret atque eminet, quod creaturæ motus expreſſit eam, ſerviens æternæ voluntati tuæ ipſe temporalis. Et hæc ad tempus facta verba tua, nunciavit auris exterior menti prudenti, cujus auris interior poſita eſt ad æternum verbum tuum. At illa comparavit hæc verba temporaliter ſonantia cum æterno in ſilentio verbo tuo, & dixit: Aliud eſt, longe aliud eſt. Hæc longe infra me ſunt: nec ſunt, quia fugiunt & præterеunt: verbum autem Dei ſupra me, manet in æternum.

2. Si ergo verbis ſonantibus & præterеuntibus dixiſti, ut fieret cœlum &

terra, atque ita feciſti cœlum & terram, erat jam creatura corporalis ante cœlum & terram, cujus motibus temporalibus temporaliter vox illa percurreret. Nullum autem corpus ante cœlum & terram. Aut ſi erat: id certe ſine tranſitoria voce feceras, unde tranſitoriam vocem faceres, qua diceres, ut fieret cœlum & terra. Quidquid enim illud eſſet, unde talis vox fieret, niſi abs te factum eſſet, omnino non eſſet. Ut ergo fieret corpus, unde iſta verba fierent; quo verbo a te dictum eſt?

CAP. VII.

Filius Dei, verbum patris coæternum.

1. VOcas itaque nos ad intelligendum verbum, Deum apud te Deum, quod ſempiterne dicitur, & eo ſempiterne dicuntur omnia. Neque enim finitur, quod dicebatur, & dicitur aliud, ut poſſint dici omnia; ſed ſimul ad ſempiterne omnia. Alioquin, jam tempus, & mutatio, & non vera æternitas, nec vera immortalitas. Hoc novi Deus meus, & gratias ago. Novi, confiteor tibi Domine; mecumque novit, & benedicit, quiſquis ingratus non eſt certæ veritati.

2. Novimus Domine, novimus; quoniam in quantum quidquid non eſt, quod erat & eſt quod non erat, in tantum moritur & oritur: Non ergo quidquam verbi tui cedit, atque ſuccedit, quoniam

Digitized by Google

niam vere immortale atque æternum eſt . Et ideo verbo tuo tibi coæterno ſimul & ſempiterno dicis omnia , quæ dicis : & fit , quicquid dicis , ut fiat . Nec aliter , quam dicendo , facis , nec tamen ſimul & ſempiterna fiunt omnia , quæ dicendo facis .

CAP. VIII.

Verbo Dei docemur in omnibus .

1. CUr ? quæſo te , Domine Deus meus . Utrumque video , ſed quomodo id eloquar , neſcio : niſi quia omne , quod eſſe incipit , & eſſe deſinit : tunc eſſe incipit , & tunc deſinit , quando debuiſſe incipere vel deſinere in æterna ratione cognoſcitur ? ubi nec incipit aliquid , nec deſinit . Ipſum eſt verbum tuum , quod & principium , qui loquitur in nobis . Sic in evangelio per carnem ait , & hoc inſonuit foris auribus hominum , ut crederetur , & intus quæreretur , & inveniretur in æterna veritate , ubi omnes diſcipulos bonus & ſolus magiſter docet . Ibi audio (Domine) vocem tuam dicentem mihi , quoniam ille loquitur nobis , qui docet nos . Qui autem non docet nos , etiam ſi loquitur , non nobis loquitur .

2. Quis porro nos docet , niſi ſtabilis veritas ? Quia & per creaturam mirabilem cum admonemur , ad veritatem ſtabilem ducimur , ubi vere diſcimus , cum ſtamus & audimus eum ; & gaudio gau-

gaudemus propter vocem ſponſi, reddentes nos unde ſumus. Et idem principium: quia niſi maneret, cum erraremus, non eſſet, quo rediremus. Cum autem redimus ab errore, cognoſcendo utique redimus. Ut autem cognoſcamus, docet nos, quia principium eſt, & loquitur nobis.

CAP. IX.

Quomodo verbum Dei loquatur cordi.

1. IN hoc principio Deus feciſti cœlum & terram, in verbo tuo, in filio tuo, in virtute tua, in ſapientia tua, in veritate tua; miro modo dicens, & miro modo faciens. Quis comprehendet? Quis enarrabit? Quid eſt aliud, quod inter lucet mihi, & percutit cor meum ſine læſione; & inhorreſco; & inardeſco? Inhorreſco, in quantum diſſimilis ei ſum, inardeſco, in quantum ſimilis ei ſum.

2. Sapientia, ſapientia eſt, quæ interlucet mihi diſcindens nubilum meum, quod me rurſus cooperit deficientem ab ea caligine atque aggere pœnarum mearum. Quoniam ſic infirmatus eſt in egeſtate vigor meus, ut non ſufferam bonum meum, donec tu Domine, qui propitius factus es omnibus iniquitatibus meis, etiam ſanes languores meos. Quia & redimes de corruptione vitam meam, & coronabis me in miſeratione & miſericordia, & ſatiabis in bonis deſide-

ſiderium meum ; quoniam renovabitur juventus mea, ſicut aquilæ . Spe enim ſalvi facti ſumus , & promiſſa tua per patientiam expectamus .. Audiat te intus ſermocinantem , qui poteſt . Ego fidenter ex oraculo tuo , clamabo .. Quam magnificata ſunt opera tua Domine ! omnia in ſapientia feciſti ; & illa eſt principium , & in eo principio feciſti cœlum , & terram ..

CAP. X.

Voluntas Dei principium neſcit .

1. NOnne ecce pleni ſunt vetuſtatis ſuæ , qui nobis dicunt : Quid faciebat Deus , antequam faceret cœlum & terram ? Si enim vacabat , inquiunt , & non operabatur aliquid , cur non ſic ſemper & deinceps , quemadmodum retro ſemper ceſſavit ab opere ? Si enim ullus motus in Deo novus extitit , & voluntas nova , ut conderet creaturam , quam nunquam ante condiderat , quomodo jam vera æternitas , ubi oritur voluntas , quæ non erat ? Neque enim voluntas Dei creatura eſt , ſed ante creaturam : quia non crearetur aliquid , niſi creatoris voluntas præcederet ..

CAP.

CAP. XI.

Æternitas Dei nescit tempora.

1. AD ipsam ergo Dei substantiam, pertinet voluntas ejus. Quod si exortum est aliquid in Dei substantia, quod prius non erat, non veraciter dicitur æterna illa substantia. Si autem voluntas Dei sempiterna erat, ut esset creatura, cur non sempiterna & creatura? Qui hæc dicunt, nondum te intelligunt (o sapientia Dei, lux mentium) nondum intelligunt, quomodo fiant, quæ per te atque in te fiunt, & conantur æterna sapere: sed adhuc in præteritis & futuris rerum motibus cor eorum volitat, & adhuc vanum est.

2. Quis tenebit illud, & affiget illud, ut paululum stet, & paululum rapiat splendorem semper stantis æternitatis, & comparet cum temporibus nunquam stantibus, & videat esse incomparabilem: & videat longum tempus, nisi ex multis prætereuntibus motibus, qui simul extendi non possunt, longum non fieri: non autem præterire quidquam in æterno, sed totum esse præsens, nullum vero tempus totum esse præsens, & videat omne præteritum propelli ex futuro: & omne futurum ex præterito consequi; & omne præteritum ac futurum, ab eo quod semper est præsens, creari, & excurrere? Quis tenebit cor hominis, ut stet & videat, quomodo stans dictet futura & præteri-

ta

ta tempora, nec futura nec præterita æternitas? Nunquid manus mea valet hoc, aut manus oris mei per loquelas agit tam grandem rem?

CAP. XII.

Quid Deus fecerit ante mundi creationem.

1. ECce respondeo dicenti. Quid faciebat Deus, antequam faceret cœlum & terram? Respondeo, non illud, quod quidam respondisse perhibetur joculariter, eludens quæstionis violentiam, Alta, inquit, scrutantibus gehennas parabat. Aliud est videre: aliud est ridere. Hæc non respondeo. Libentius enim responderim. Nescio, quod nescit: quam illud, unde irridetur, qui alta interrogavit; & laudatur, qui falsa respondebit. Sed dico te, Deus noster, omnis creaturæ creatorem. Et si cœli & terræ nomine omnis creatura intelligitur, audenter dico; Antequam faceret Deus cœlum & terram, non faciebat aliquid. Si enim faciebat, quid nisi creaturam faciebat? Et utinam sic sciam, quidquid utiliter scire cupio; quemadmodum scio, quod nulla fiebat creatura, antequam fieret ulla creatura.

CAP. XIII.

Quod ante tempora a Deo creata, nulla fuerint tempora.

1. AT si cujusquam volatilis sensus vagatur per imagines retro temporum & te Deum omnipotentem, & omnia creantem, & omnitentem, cœli, & terræ artificem, ab opere tanto, antequam id faceres, per innumerabilia sæcula cessasse miratur, evigilet atque attendat: quia falsa miratur. Nam unde poterant innumerabilia secula præterire, quæ ipse non feceras, cum sis omnium seculorum auctor & conditor? Aut quæ tempora fuissent, quæ abs te condita non essent? At quomodo præterirent, si nunquam fuissent? Cum ergo sis operator omnium temporum, si fuit aliquod tempus, antequam faceres cœlum & terram, cur dicitur, quod ab opere cessabas? Idipsum enim tempus tu feceras: nec præterire potuerunt tempora, antequam faceres tempora. Si autem ante cœlum & terram nullum erat tempus, cur quæritur, quid tunc faciebas? Non enim erat tunc, ubi non erat tempus; nec in tempore tempora præcedis: alioquin non omnia tempora præcederes.

2. Sed præcedis omnia tempora præterita, celsitudine semper præsentis æternitatis: & superas omnia futura; quia & illa futura sunt; & cum venerint, præterita erunt: tu autem idem ipse es, & anni

& anni tui non deficient: Anni tui nec eunt, nec veniunt: isti autem nostri, & eunt, & veniunt, ut omnes veniant. Anni tui omnes simul stant, quoniam stant: nec euntes a venientibus excluduntur, quia non transeunt: isti autem nostri omnes erunt, cum omnes non erunt. Anni tui dies unus: & dies tuus non quotidie, sed hodie: quia hodiernus tuus non cedit crastino, neque succedit hesterno. Hodiernus tuus æternitas; ideo coæternum genuisti, cui dixisti: Ego hodie genui te. Omnia tempora tu fecisti, & ante omnia tempora tu es, nec aliquo tempore non erat tempus.

CAP. XIV.

Temporis differentiæ tres.

1. NUllo ergo tempore non feceras aliquid, quia ipsum tempus tu feceras; & nulla tempora tibi coæterna sunt, quia tu permanes. At illa si permanerent, non essent tempora. Quid enim est tempus? Quis hoc facile breviterque explicaverit? Quis hoc ad verbum de illo proferendum, vel cogitatione comprehenderit? Quid autem familiarius & notius in loquendo commemoramus quam tempus? Et intelligimus utique, cum id loquimur: Intelligimus etiam, cum alio loquente id audimus.

2. Quid ergo est tempus? Si nemo ex me quærat, scio; si quærenti explicare

plicare velim, neſcio: Fidenter tamen dico, ſcire me, quod ſi nihil præteriret, non eſſet præteritum tempus; & ſi nihil adveniret, non eſſet futurum tempus: & ſi nihil eſſet, non eſſet præſens tempus. Duo ergo illa tempora, præteritum & futurum, quomodo ſunt, quando & præteritum jam non eſt, & futurum nondum eſt? Præſens autem ſi ſemper eſſet præſens, nec in præteritum tranſiret, jam non eſſet tempus, ſed æternitas. Si ergo præſens, ut tempus ſit, ideo fit, quia in præteritum tranſit, quomodo & hoc eſſe dicimus, cui cauſa, ut ſit, illa eſt, quia non erit? ut ſcilicet non vere dicamus tempus eſſe, niſi quia tendit ad non eſſe.

CAP. XV.

Menſura temporis in quo.

1. ET tamen dicimus longum tempus & breve tempus, neque hoc niſi de præterito aut futuro dicimus. Præteritum tempus longum (verbi gratia) vocamus ante centum annos, futurum itidem longum poſt centum annos. Breve autem præteritum (ſicut puta) dicimus ante decem dies, & breve futurum poſt decem dies. Sed quo pacto longum eſt aut breve, quod non eſt? Præteritum enim jam non eſt, & futurum nondum eſt: Non itaque dicamus: longum eſt, ſed dicamus de præterito, longum fuit, & de futuro, lon-

longum erit. Domine Deus meus lux mea, nonne & hic veritas tua deridebit hominem? Quod enim longum fuit præteritum tempus? Cum jam eſſet præteritum, longum fuit? an cum adhuc præſens eſſet? Tunc enim poterat eſſe longum, quando erat quod eſſet longum. Præteritum vero jam non erat: unde nec longum eſſe poterat quod omnino non erat. Non ergo dicamus, longum fuit præteritum tempus, neque enim inveniemus, quid fuerit longum: quando, ex quo præteritum eſt, non eſt. Sed dicamus, longum fuit illud præſens tempus, quia cum præſens eſſet, longum erat. Nondum enim præterierat, ut non eſſet, & ideo erat, quod longum eſſe poſſet. Poſtea vero quam præterierit, ſimul & longum eſſe deſtitit, quod eſſe deſtitit.

2. Videamus ergo anima humana, utrum & præſens tempus poſſit eſſe longum. Datum enim tibi eſt ſentire moras, atque metiri. Quid reſpondebis mihi? An centum anni præſentes, longum tempus eſt? Vide prius, utrum poſſint præſentes eſſe centum anni. Si enim primus eorum annus agitur, ipſe præſens eſt: nonaginta vero & novem futuri ſunt, & ideo nondum ſunt. Si autem ſecundus annus agitur, jam unus eſt præteritus, alter præſens, ceteri futuri. Atque ita ſi mediorum quemlibet centenarii hujus numeri annum præſentem poſuerimus, ante illum præteriti eunt, poſt illum futuri. Quo

cir-

circa centum anni præſentes eſſe non potuerunt. Vide ſaltem, utrum qui agitur, unus ipſe ſit præſens, & ejus enim, ſi primus agitur menſis, futuri ſunt ceteri. Si ſecundus, jam & primus præteriit, & reliqui nondum ſunt. Ergo nec annus, qui agitur, totus eſt præſens: & ſi non totus eſt præſens, non eſt annus præſens. Duodecim enim menſes annus eſt: quotum quilibet unus menſis, qui agitur, ipſe præſens eſt, ceteri autem præteriti aut futuri. Quanquam neque menſis, qui agitur, præſens eſt, ſed unus dies. Si primus futuris ceteris, ſi noviſſimus, præteritis ceteris, ſi mediorum quilibet, inter præteritos & futuros.

3. Ecce præſens tempus, quod ſolum inveniebamus, longum appellandum, vix ad unius diei ſpatium contractum eſt. Sed diſcutiamus etiam ipſum, quia nec unus dies totus eſt præſens. Nocturnis enim & diurnis horis omnibus viginti quatuor expletur. Quarum prima ceteras futuras habet, noviſſima præteritas, aliqua vero interjectarum ante ſe præteritas, poſt ſe futuras. Et ipſa una hora fugitivis particulis agitatur. Quicquid ejus avolavit, præteritum eſt; quicquid ejus reſtat, futurum: Si quid intelligitur temporis, quod in nullas jam, vel imminutiſſimas, momentorum partes dividi poſſit, id ſolum eſt, quod præſens dicatur. Quod tamen ita raptim a futuro in præteritum tranſvolat, ut nulla morula

Digitized by Google

rula extendatur ; Nam ſi extenditur ; dividitur in præteritum & futurum . Præſens autem nullum habet ſpatium . Ubi eſt ergo tempus , quod longum dicamus ? An futurum ? Non quidem dicimus , longum eſt , quia nondum eſt , quod longum ſit , ſed dicimus , longum erit . Quando igitur erit ? Si enim & tunc , cum adhuc futurum erit non erit longum : quia quid ſit longum , nondum erit . Si autem tunc erit , longum , cum ex futuro , quod nondum eſt , eſſe jam cœperit , & præſens factum erit , ut poſſit eſſe : quod longum ſit , jam ſuperioribus vocibus clamat præſens tempus , longum ſe eſſe non poſſe .

CAP. XVI.

Quale tempus metiri liceat , & quale non .

1. ET tamen Domine ſentimus intervalla temporum , & comparamus ſibimet , & dicimus alia longiora , & alia breviora . Metimur etiam , quanto ſit brevius an longius illud tempus , quam illud , & reſpondemus , duplum eſſe hoc , vel triplum ; illud autem ſimplum : aut tantum hoc eſſe , quantum illud . Sed prætereuntia metimur tempora , cum ſentiendo metimur . Præterita vero , quæ jam non ſunt , aut futura , quæ nondum ſunt , quis metiri poteſt , niſi forte audebit quis dicere , metiri poteſt , quod

quod non eſt? Cum ergo præterit tempus, ſentiri & metiri poteſt: cum autem præterierit, quoniam non eſt, non poteſt.

CAP. XVII.

Tempus præteritum & futurum ubi ſint.

1. QUæro pater, non affirmo; Deus meus præſide mihi, & rege me. Quiſnam eſt, qui dicat mihi non eſſe tria tempora, ſicut pueri didicimus: pueroſque docuimus, præteritum, præſens & futurum, ſed tantum præſens, quoniam illa duo non ſunt? An & ipſa ſunt, ſed ex aliquo procedit occulto, cum ex futuro fit præſens, & in aliquod recedit occultum, cum ex præſenti fit præteritum? Nam ubi ea viderunt, qui futura cecinerunt, ſi nondum ſunt, neque enim poteſt videri, id quod non eſt. Et qui narrant præterita, non utique vera narrarent, ſi animo illa non cernerent. Quæ ſi nulla eſſent, cerni omnino non poſſent. Sunt ergo & futura, & præterita.

CAP. XVIII.

Quomodo præterita & futura tempora, præſentia ſunt.

1. SIne me Domine amplius quærere; Spes mea, non conturbetur intentio mea. Si enim ſunt futura & præteri-

terita, volo ſcire, ubi ſint. Quod ſi nondum valeo, ſcio tamen, ubicunque ſunt, non ibi ea futura eſſe aut præterita, ſed præſentia. Nam ſi & ibi futura ſunt, nondum ibi ſunt: Si & ibi præterita ſunt, jam ibi non ſunt. Ubicunque ergo ſunt, quæcunque ſunt, non ſunt niſi præſentia; quanquam præterita cum vera narrantur, ex memoria proferuntur; non res ipſæ, quæ præterierunt; ſed verba concepta ex imaginibus earum: quæ in animo velut veſtigia per ſenſus prætereundo fixerunt. Pueritia quippe mea, quæ jam non eſt, in tempore præterito eſt, quod jam non eſt. Imaginem vero ejus, cum eam recolo & narro, in præſenti tempore intueor, quia eſt adhuc in memoria mea.

2. Utrum ſimilis ſit cauſa etiam prædicendorum futurorum, ut rerum quæ nondum ſunt, jam exiſtentes præſententur imagines, confiteor Deus meus, neſcio. Illud ſane ſcio, nos plerunque præmeditari futuras actiones noſtras; eamque præmeditationem eſſe præſentem; actionem autem, qua præmeditamur, nondum eſſe: quia futura eſt. Quam cum aggreſſi fuerimus, & quod præmeditamur, agere cœperimus, tunc erit illa actio: quia tunc non futura, ſed præſens eſt. Quoquo modo ſe itaque habeat arcana præſentia futurorum, videri, niſi quod eſt, non poteſt. Quod autem jam eſt, non futurum, ſed præſens eſt. Cum ergo videri dicuntur futura, non ipſa quæ nondum ſunt, id eſt, quæ futura ſunt, ſed eorum cauſæ vel ſigna forſitan videntur, quæ jam ſunt: Ideo non futura, ſed præſentia ſunt jam

videntibus, ex quibus futura prædicantur animo concepta: Quæ rursus conceptiones jam sunt, & eas præsentes apud se intuentur, qui illa prædicunt.

3. Loquatur mihi aliquod exemplum tanta rerum numerositas. Intueor auroram, orituram solem prænuncio. Quod intueor, præsens est: quod prænuncio futurum. Non sol futurus, qui jam est, sed ortus ejus, qui nondum est. Tamen etiam ortum ipsum nisi animo imaginarer, sicut modo cum id loquor; non eum possem prædicere; Sed nec illa aurora, quam in cœlo video, solis ortus est, quamvis eum præcedat, nec illa imaginatio in animo meo; quæ duo præsentia cernuntur, ut futurus ille ante dicatur. Futura ergo nondum sunt. Et si nondum sunt, non sunt: & si non sunt, videri omnino non possunt, sed prædici possunt ex præsentibus, quæ jam sunt, & videntur.

CAP. XIX.

Quomodo præsciantur futura.

1. TU autem regnator creaturæ tuæ, quis est modus, quo doces animas, ea quæ futura sunt? Docuisti enim prophetas tuos. Quisnam ille modus est quo doces futura cui futurum quidquam non est; vel potius de futuris doces præsentia? Nam quod non est, nec doceri utique potest. Nimis longe est modus iste ab acie mea. Invaluit ex me, non potero ad illum: potero autem ex te, cum dederis tu dulce lumen occultorum oculorum meorum.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XX.

Differentia temporum quomodo nominanda.

1. QUod autem nunc liquet & claret, nec futura ſunt, nec præterita. Nec proprie dicitur, tempora ſunt tria, præteritum, præſens, & futurum: Sed fortaſſe proprie diceretur, tempora ſunt tria: præſens de præteritis; præſens de præſentibus; præſens de futuris. Sunt enim hæc in anima tria quædam, & alibi ea non video. Præſens de præteritis memoria, præſens de præſentibus contuitus, præſens de futuris expectatio. Si hæc permittimur dicere, tria tempora video, fateorque, tria ſunt. Dicatur etiam, tempora ſunt tria, præteritum, præſens, & futurum, ſicut abutitur conſuetudo, dicatur. Ecce non curo, non reſiſto, nec reprehendo, dum tamen intelligatur, quod dicitur, neque id, quod futurum eſt, eſſe jam; neque id, quod præteritum eſt. Pauca ſunt enim, quæ proprie loquimur, plura non proprie, ſed agnoſcitur, quid velimus.

CAP. XXI.

Quomodo tempus liceat metiri.

1. DIxi ergo paulo ante, quod prætereuntia tempora metimur; ut poſſimus dicere, duplum eſſe hoc temporis, ad illud ſimplum: aut tantum hoc, quan-

tum illud, & ſi quid aliud de partibus temporum, poſſumus renuntiare metiendo: Quocirca, ut dicebam, prætereuntia metimur tempora. Et ſi quis mihi dicat, unde ſcis? reſpondeam, ſcio, quia metimur; nec metiri, quæ non ſunt poſſumus: & non ſunt præterita vel futura. Præſens vero tempus quomodo metimur, quando non habet ſpatium? Metimur ergo dum præterit; cum autem præterierit, non metimur. Quid enim metiatur, non erit.

2. Sed unde, & qua, & quo præterit, cum metimur. Unde, niſi ex futuro? Qua, niſi per præſens? Quo niſi in præteritum? Ex illo ergo quod nondum eſt: per illud quod ſpatio caret, in illud quod jam non eſt. Quid autem metimur, niſi tempus in aliquo ſpatio? Neque enim dicimus ſimpla, & dupla, & tripla; & qualia, & ſi quid hoc modo in tempore dicimus, niſi inter ſpatia temporum. In quo ergo ſpatio metimur tempus præteriens? Utrum in futuro, unde præterit? Sed quod nondum eſt, non metimur. An in præſenti, quo præterit? Sed nullum ſpatium non metimur. An præterito, quo præterit? Sed quod jam non eſt, non metimur.

CAP. XXII.

Petit enigmatis ſolutionem a Deo,

1. EXarſit animus meus noſſe iſtud implicatiſſimum ænigma. Noli claudere Domine Deus, bone pater, per Chriſtum obſecro, noli claudere deſiderio meo iſta & uſitata & abdita, quo minus in ea penetret, & diluceſcant allucente miſericor-

cordia tua Domine! Quem percunctabor de his? Et cui fructuosius confitebor imperitiam meam nisi tibi, cui non sunt molesta studia mea, flammantia vehementer in scripturas tuas? Da, quod amo: amo enim; & hoc tu dedisti: Da pater, qui vere nosti data bona dare filiis tuis. Da, quoniam suscepi cognoscere te; & labor est ante me, donec aperias.

2. Per Christum obsecro, in nomine ejus sancti sanctorum: nemo mihi obstrepat. Et eo credidi, propter quod & loquor. Hæc est spes mea, ad hanc vivo, ut contempler delectationes Domini. Ecce veteres posuisti dies meos, & transeunt, & quomodo, nescio. Et dicimus. Tempus & tempus, tempora & tempora. Quamdiu dixit hoc ille, quamdiu fecit hoc ille: & quam longo tempore illud non vidi; & duplum temporis habet hæc syllaba, ad illam simplam brevem. Dicimus hæc, & audimus hæc; & intelligimur, & intelligimus. Manifestissima & usitatissima sunt, & eadem rursus nimis latent, & nova est inventio eorum.

CAP. XXIII.

Quid sit tempus.

1. AUdivi a quodam homine docto, quod solis ac lunæ ac siderum motus, ipsa sint tempora, & non anni. Cur enim non potius omnium corporum motus, sint tempora? An vero, si cessarent cœli lumina, & moveretur rota figuli, non esset tempus, quo metiremur eos gyros,

& diceremus, aut æqualibus morulis agi, aut ſi alias tardius, alias velocius moveretur, alios magis diuturnos eſſe, alios minus? Aut cum hoc diceremus, non & nos in tempore loqueremur? Aut eſſent in verbis noſtris aliæ longæ ſyllabæ, aliæ breves, niſi quia illæ longiore tempore ſonuiſſent, iſtæ breviore? Deus, dona hominibus videre in parvo communes notitias rerum parvarum, atque magnarum.

2. Sunt & ſidera, & luminaria cœli in ſignis, & in temporibus, & in annis, & in diebus. Sunt vero: ſed nec ego dixerim circuitum illius lingneolæ rotæ diem eſſe, nec tamen ideo tempus non eſſe. Ille dixerit. Ego ſcire cupio vim naturamque temporis, quo metimur corporum motus; & dicimus illum motum, verbi gratia, tempore duplo eſſe diuturniorem quam iſtum. Nam quæro, quoniam dies dicitur, non tantum morula ſolis ſuper terram, ſecundum quod aliud eſt dies, aliud nox: ſed etiam totus ejus circuitus, ab oriente uſque ad orientem, ſecundum quod dicimus, tot dies tranſierunt. Cum ſuis enim noctibus dicuntur tot dies, nec extra reputantur ſpatia noctium. Quoniam ergo dies expletur motu ſolis, atque circuitu ab oriente uſque ad orientem, quæro utrum motus ipſe ſit dies, an mora ipſa quanta peragitur, an utrumque. Si enim primum dies eſſet: dies ergo eſſet etiam ſi tanto ſpatio temporis ſol curſum illum peregiſſet, quantum eſt horæ unius. Si ſecundum: non ergo eſſet dies, ſi ab ortu ſolis uſque in

ortum

ortum alterum, tam brevis mora eſſet, quam eſt horæ unius: ſed vicies, & quater circumiret ſol ut expleret diem. Si utrumque, nec ille appellaretur dies, ſi horæ ſpatio ſol totum ſuum gyrum circumiret; nec ille, ſi ſole ceſſante tantum temporis præteriret, quanto peragere ſol totum ambitum de mane aſſolet.

3. Non itaque nunc quæram, quid ſit illud, quod vocatur dies? ſed quid ſit tempus quo metientes ſolis circuitum, diceremus cum dimidio ſpatio temporis peractum minus quam ſolet, ſi tanto ſpatio temporis peractus eſſet, quanto peraguntur horæ duodecim. Et utrumque tempus comparantes diceremus illud ſimplum, hoc duplum; etiam ſi aliquando illo ſimplo, aliquando iſto duplo, ſol ab oriente uſque ad orientem circumiret. Nemo ergo mihi dicat cæleſtium corporum motus eſſe tempora; quia & cujuſdam voto cum ſol ſtetiſſet, ut victorioſum prælium perageret, ſol ſtabat, ſed tempus ibat. Per ſuum quippe ſpatium temporis, quod ei ſufficeret, illa pugna geſta, atque finita eſt. Video igitur tempus, quandam eſſe diſtenſionem. Sed video, an videre mihi videor? Tu demonſtrabis lux, veritas.

CAP. XXIV.

Tempus eſt, quo metimur motum corporis.

1. JUbes, ut approbem, ſi quis dicat tempus eſſe motum corporis? Non

jubes. Nam corpus nullum niſi in tempore moveri audio. Tu dicis. Ipſum autem corporis motum, tempus eſſe non audio. Non tu dicis. Cum enim movetur corpus, tempore metior, quamdiu moveatur, ex quo moveri incipit, donec deſinat. Et ſi non vidi, ex quo cæpit, & perſeverat moveri, ut non videam cum deſinit, non valeo metiri, niſi forte ex quo videre incipio, donec deſinam. Quod ſi diu video, tantummodo longum tempus eſſe renuncio, non autem quantum ſit: quia & quantum cum dicimus, collatione dicimus; velut tantum hoc quantum illud, aut duplum hoc ad illud, & ſi quid aliud iſto modo. Si autem notare potuerimus locorum ſpatia, unde & qua veniat corpus quod movetur: vel partes ejus, ſi tanquam in torno movetur: poſſumus dicere, quantum ſit temporis, ex quo ab illo loco, uſque ad illum locum, motus corporis, vel partis ejus effectus eſt.

2. Cum itaque aliud ſit motus corporis, aliud quo metimur, quamdiu ſit; quis non ſentiat, quid horum potius tempus dicendum ſit? Nam etſi varie corpus aliquando movetur, aliquando ſtat; non ſolum motum ejus, ſed etiam ſtatum tempore metimur: & dicimus, tantum ſtetit, quantum motum eſt; aut duplo, vel triplo ſtetit, ad id quod motum eſt; & ſi quid aliud noſtra dimenſio ſive comprehenderit, ſive exiſtimaverit, ut dici ſolet, plus minus. Non eſt ergo tempus corporis motus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXV.

Rurſus orat.

1. ET confiteor tibi (Domine) ignorare me adhuc, quid ſit tempus; & rurſus confiteor tibi Domine ſcire, me in tempore iſta dicere, & diu me jam loqui de tempore: atque idipſum diu, non eſſe niſi moram temporis. Quomodo igitur hoc ſciam, quando quod ſit tempus neſcio? An forte neſcio, quemadmodum dicam, quod ſcio? Hei mihi, qui neſcio ſaltem quid neſciam: Ecce Deus meus coram te, quia non mentior; ſicut loquor, ita eſt cor meum. Tu illuminabis lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.

CAP. XXVI.

Menſura pedum, & ſyllabarum.

1. NOnne tibi confitetur anima mea confeſſione veridica, metiri me tempora? Itane Deus meus metior, & quid metiar, neſcio? Metior motum corporis in tempore, item ipſum tempus non metior? An vero corporis motum metirer, quamdiu ſit, & quamdiu hinc illuc perveniat, niſi tempus in quo movetur, metirer? Ipſum ergo tempus unde metior? An tempore breviore metimur longius, ſicut ſpatio cubiti ſpatium tranſtri? Sic enim videmur ſpatio brevis ſyllabæ metiri ſpatium longæ ſyllabæ, atque id duplum dicere. Ita metimur ſpatia carminum, ſpa-

tiis verſuum ; & ſpatia verſuum , ſpatiis pedum , & ſpatia pedum , ſpatiis ſyllabarum, & ſpatia longarum, ſpatiis brevium : non in paginis ; nam eo modo loca metimur, non tempora : ſed cum voces pronuntiando tranſeunt , & dicimus , longum carmen eſt ; nam tot verſibus contexitur : longi verſus ; nam tot pedibus conſtant , longi pedes ; nam tot ſyllabis tenduntur : longa ſyllaba ; nam dupla eſt ad brevem .

2. Sed neque ita comprehenditur certa menſura temporis : quandoquidem fieri poteſt , ut ampliori ſpatio temporis perſonet verſus brevior , ſi productius pronuncietur , quam longior , ſi correptius . Ita carmen , ita pes , ita ſyllaba . Inde mihi viſum eſt , nihil eſſe aliud tempus quam diſtenſionem : ſed cujus rei , neſcio ; & mirum , ſi non ipſius animi . Quid enim metior , obſecro Deus meus , & dico , aut indefinite , longius eſt hoc tempus quam illud ; aut etiam definite , duplum eſt hoc ad illud ? Tempus metior , ſcio . Sed non metior futurum , quia nondum eſt . Non metior præſens, quia nullo ſpatio traditur. Non metior præteritum, quia jam non eſt. Quid ergo metior ? An prætereuntia tempora , non præterita ? Sic enim dixeram .

CAP. XXVII.

Quando metimur tempus .

1. INſiſte anime meus, & attende ſortiter . Deus adjutor noſter , ipſe fecit nos , & non ipſi nos . Attende ubi albeſcit veritas . Ecce puta , vox corporis in-

incipit ſonare, & ſonat, & adhuc ſonat, & ecce deſinit ſonare, jamque ſilentium eſt, & vox illa præterita eſt: non & eſt jam. Vox futura erat, antequam ſonaret: & non poterat metiri, quia nondum erat; & nunc non poteſt, quia jam non eſt. Tunc ergo poterat, cum ſonabat, quia tunc erat quæ metiri poſſet. Sed & tunc non ſtabat; ibat enim, & præteribat. An ideo magis poterat? Præteriens igitur tendebatur in aliquod ſpatium temporis, quo metiri poſſet, quoniam præſens nullum habet ſpatium. Si ergo tunc poterat, ecce; puta altera cœpit ſonare, & adhuc ſonat, continuato tenore ſine ulla diſtinctione; metiamur eam dum ſonat. Cum enim ſonare ceſſaverit, jam præterita erit, & non erit, quæ poſſit metiri.

2. Metiamur plane, & dicamus, quanta ſit. Sed adhuc ſonat, nec metiri poteſt, niſi ab initio ſui quo ſonare cœpit, uſque ad finem quo deſinit. Ipſum quippe intervallum metimur, ab aliquo initio uſque ad aliquem finem. Quapropter vox, quæ nondum finita eſt, metiri non poteſt, ut dicatur quam longa, vel brevis ſit: nec dici, aut æqualis alicui, aut ad aliquam ſimpla, vel dupla, vel quid aliud. Cum autem finita fuerit, jam non erit. Quo pacto igitur metiri poterit? Et metimur tamen tempora, nec ea quæ nondum ſunt, nec ea quæ jam non ſunt, nec ea quæ nulla mora extenduntur, nec ea quæ terminos non habent. Nec futura ergo, nec præterita, nec præſentia, nec prætereuntia tempora metimur, & metimur tamen tempora.

3. Deus creator omnium, verſus iſte octo ſyllabarum, brevibus & longis alternat ſyllabis. Quatuor itaque breves: prima, tertia, quinta, ſeptima, ſimplæ ſunt ad quatuor longas, ſecundam, quartam, ſextam, & octavam. Hæ ſingulæ ad illas ſingulas, duplum habent temporis: pronuncio, & renuncio; & ita eſt, quantum ſentitur ſenſu manifeſto. Quantum ſenſus manifeſtus eſt, brevi ſyllaba longam metior, eamque habere bis tantum ſentio. Sed cum altera poſt alteram ſonat, ſi prior brevis, longa poſterior, quomodo tenebo brevem, & quomodo eam longæ metiens applicabo, ut inveniam, quod bis tantum habeat: quandoquidem longa ſonare non incipit, niſi brevis ſonare deſiterit? Ipſam quoque longam non præſentem metior, quando niſi finitam non metior. Ejus autem finitio, præteritio eſt. Quid ergo eſt, quod metior? Ubi eſt, quam metior, brevis? Ubi eſt longa, quam metior? Ambæ ſonuerunt, avolaverunt, præterierunt, jam non ſunt; & ego metior? Fidenterque reſpondeo, quantum exercitato ſenſu fiditur, illam ſimplam eſſe, illam duplam, in ſpatio ſcilicet temporis. Neque hoc poſſum, niſi quia præterierunt, & finitæ ſunt. Non ergo ipſas, quæ jam non ſunt, ſed aliquid in memoria mea metior, quod infixum manet. In te, anime meus, tempora metior. Noli mihi obſtrepere quod eſt; noli tibi obſtrepere turbis affectionum tuarum. In te, inquam, tempora metior, affectionem, quam res prætereuntes in te faciunt,

& cum

& cum illæ præterierint, manet. Ipſam metior præſentem, non eas quæ præterierunt, ut fieret. Ipſam metior, cum tempora metior. Ergo aut ipſa ſunt tempora, aut non tempora metior.

4. Quid cum metimur ſilentia, & dicimus, illud ſilentium tantum tenuiſſe temporis, quantum illa vox tenuit, nonne cogitationem tendimus ad menſuram vocis, quaſi ſonaret: ut aliquid de intervallis ſilentiorum, in ſpatio temporis renunciare poſſimus? Nam & voce, atque ore ceſſante, peragimus cogitando carmina, & verſus, & quemque ſermonem, motionumque dimenſiones quaſlibet; & de ſpatiis temporum, quantum illud ad illud ſit, renunciamus, non aliter, ac ſi ea ſonando diceremus. Si voluerit aliquis edere longiuſculam vocem, & conſtituerit præmeditando quam longa futura ſit, egit utique iſte ſpatium temporis in ſilentio, memoriæque commendans, cœpit edere illam vocem, quæ ſonat, donec ad propoſitum terminum perducatur. Imo ſonuit, & ſonabit. Nam quod ejus jam perfectum eſt, utique ſonuit; quod autem reſtat, ſonabit. Atque ita peragitur, dum præſens intentio futurum in præteritum trajicit, diminutione futuri creſcente præterito, donec conſumptione futuri ſit totum præteritum.

CAP.

CAP. XXVIII.

Animo metimur tempora.

1. SEd quomodo minuitur aut consumitur futurum, quod nondum est? Aut quomodo crescit præteritum, quod jam non est; nisi quia in animo, qui illud agit, tria sunt? Nam expectat, & attendit, & meminit, ut id quod expectat, per id quod attendit, transeat in id, quod meminerit. Quis igitur negat futura nondum esse? Sed tamen jam est in animo expectatio futurorum. Et quis negat præterita jam non esse? Sed tamen adhuc est in animo memoria præteritorum. Et quis negat præsens tempus carere spatio, quia in puncto præterit? Sed tamen perdurat attentio, per quam pergat abesse, quod aderit. Non igitur longum tempus futurum, quod non est; sed longum futurum, longa expectatio futuri est. Neque longum præteritum tempus, quod non est; sed longum præteritum, longa memoria præteriti est.

2. Dicturus sum canticum, quod novi. Antequam incipiam, in totum expectatio mea tenditur: Cum autem cœpero, quantum ex illo in præteritum decerpsero, tantum tenditur in memoria mea, atque distenditur vita hujus actionis meæ in memoriam, propter quod dixi, & in expectationem, propter quod dicturus sum; præsens tamen adest attentio mea, per quam trajicitur, quod erat fu-

futurum, ut fiat præteritum. Quod quanto magis agitur, & agitur, tanto breviata expectatione prolongatur memoria, donec tota expectatio consumatur, cum tota actio finita transierit in memoriam. Et quod in toto cantico, hoc in singulis particulis ejus fit, atque in singulis syllabis ejus; hoc in actione longiore, cujus forte particula est illud canticum; Hoc in tota vita hominis, cujus partes sunt omnes actiones hominis: Hoc in toto sæculo filiorum hominum, cujus partes sunt omnes vitæ hominum.

CAP. XXIX.

Animi extensio.

1. SEd quoniam melior est misericordia tua super vitas, ecce distensio est vita mea, & me suscepit dextera tua, in Domino meo, mediatore filio hominis inter te unum, & nos multos, in multis, per multa; ut per eum apprehendam, in quo & apprehensus sum; & a veteribus diebus colligam, sequens unum, præterita oblitus: non in ea, quæ futura sunt, transitura sunt, sed in ea, quæ ante sunt, non distentus, sed intentus: non secundum distensionem, sed secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis: ubi audiam vocem laudis tuæ, & contempler delectationem tuam, nec venientem, nec prætereuntem. Nunc vero anni mei in gemitibus: & tu solatium meum Domine pater meus æternus es. At ego in tempora dissilui, quo-

quorum ordinem neſcio: & tumultuoſis varietatibus dilaniantur cogitationes meæ, intima viſcera animæ meæ, donec in te confluam purgatus, & liquidus, igne amoris tui.

CAP. XXX.

Quo extendendus animus.

1. ET ſtabo, atque ſolidabor in te, in forma mea, veritate tua; nec patiar quæſtiones hominum, qui pœnali morbo plus ſitiunt, quam capiunt, & dicunt: Quid faciebat Deus, antequam faceret cœlum, & terram? Aut quid ei venit in mentem, ut aliquid faceret; cum antea nunquam aliquid fecerit? Da illis Domine bene cogitare, quid dicant; & invenire, quia non dicitur nunquam, ubi non eſt tempus. Quod ergo dicitur nunquam feciſſe, quid aliud dicitur, niſi nullo tempore feciſſe? Videant itaque nullum tempus eſſe poſſe ſine creatura tua, & deſinant iſtam vanitatem loqui. Extendantur etiam in ea, quæ ante ſunt, & intelligant, te ante omnia tempora, æternum creatorem omnium temporum, neque ulla tempora tibi eſſe coæterna, nec ullam creaturam, etiam ſi eſt aliqua ſupra tempora.

CAP. XXXI.

Quomodo cognoſcitur Deus, quomodo creatura.

1. DOmine Deus, quis ille ſinus eſt alti ſecreti tui, & quam longe inde me

me projecerunt conſequentia delictorum meorum? Sana oculos meos, ut congaudeam luci tuæ. Certe ſi eſt tam grandi ſcientia, & præſcientia pollens animus cui cuncta præterita, & futura ita nota ſint, ſicut mihi unum canticum notiſſimum, nimirum mirabilis eſt animus iſte, atque ad horrorem ſtupendus. Quippe, quem ita non lateat quidquid peractum, & quicquid reliquum ſæculorum eſt, quemadmodum me non latet cantantem illud canticum, quid, & quantum ejus abierit ab exordio, quid, & quantum reſtet ad finem. Sed abſit, ut tu conditor univerſitatis, conditor animarum, & corporum, abſit ut ita noveris omnia futura, & præterita. Longe tu, longe mirabilius, longeque ſecretius. Neque enim ſicut nota cantantis, notumve canticum audientis, expectatione vocum futurarum, & memoria præteritarum, variatur affectus, ſenſuſque diſtenditur: ita tibi, aliquid accidit incommutabiliter æterno, hoc eſt, vere æterno creatori mentium. Sicut ergo noſti in principio cœlum, & terram, ſine varietate notitiæ tuæ: ita feciſti in principio cœlum, & terram, ſine diſtinctione actionis tuæ. Qui intelligit confiteatur tibi; & qui non intelligit, confiteatur tibi. O quam excelſus es! & humiles corde ſunt domus tua. Tu enim erigis eliſos, & non cadunt quorum fortitudo tu es.

LIBER XII.

CAPUT I.

Difficilis inquisitio veri.

MUlta satagit cor meum domine, in hac inopia vitæ meæ, pulsatum verbis sanctæ scripturæ tuæ. Et ideo plerumque in sermone, copiosa est egestas humanæ intelligentiæ: quia plus loquitur inquisitio, quam inventio; & longior est impetratione petitio, & operosior est manus pulsans, quam sumens. Tenemus promissum, quis corrumpet illud? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: Pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur. Promissa tua sunt. Et quis falli timeat, cum promittit veritas?

CAP. II.

De duplici cœlo, & terra.

1. COnfiteatur altitudini tuæ humilitas linguæ meæ, quoniam tu fecisti cœlum & terram, hoc cœlum, quod video, terramque, quam calco. Unde est hæc terra, quam porto? tu fecisti. Sed ubi est cœlum cœli Domino? de quo audivimus in voce Psalmi: Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis homi-

minum. Ubi eſt cœlum, quod non cernimus? cui terra eſt hoc omne, quod cernimus. Hoc enim totum corporeum; non ubique totum ita accepit ſpeciem pulcram in noviſſimis, cujus fundus eſt terra noſtra, ſed ad illum cœlum cœli, etiam terræ noſtræ cœlum terra eſt. Et hoc utrumque magnum corpus, non abſurde terra eſt, at illud neſcio quale cœlum, quod Domino eſt, non filiis hominum.

CAP. III.

Tenebræ ſuper faciem abyſſi.

1. ET nimirum hæc terra erat inviſibilis, & incompoſita, & neſcio quæ profunditas abyſſi, ſuper quam non erat lux, quia nulla ſpecies erat illi. Unde juſſiſti, ut ſcriberetur, quod tenebræ erant ſuper abyſſum; quid aliud, quam lucis abſentia? Ubi enim lux eſſet, ſi eſſet, niſi ſupereſſet eminendo, & illuſtrando? Ubi ergo lux nondum erat, quid erat adeſſe tenebras, niſi abeſſe lucem? Super itaque erant tenebræ, quia lux ſuper aberat, ſicut ſonus ubi non eſt, ſilentium eſt. Et quid eſt eſſe ibi ſilentium, niſi ſonum ibi non eſſe? Nonne tu Domine docuiſti hanc animam, quæ tibi confitetur? Nonne tu Domine docuiſti me, quod priuſquam iſtam informem materiam formares, atque diſtingueres, non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non ſpiritus? non tamen omnino nihil; erat quædam informitas, ſine ulla ſpecie.

CAP.

CAP. IV.

Materia prima, Hyle.

1. QUid ergo vocaretur, quo etiam ſenſu tardioribus utcumque inſinuaretur, niſi uſitato aliquo vocabulo? Quid autem in omnibus mundi partibus, reperiri poteſt propinquius infirmitati omnimodæ, quam terra, & abyſſus? Minus enim ſpecioſa ſunt pro ſuo gradu infimo, quam cetera ſuperiora perlucida, & luculenta omnia. Cur ergo non accipiam infirmitatem materiæ quam ſine ſpecie feceras, unde ſpecioſum mundum faceres, ita commode hominibus intimatam, ut appellaretur terra inviſibilis, & incompoſita?

CAP. V.

Hyle qualis.

1. CUm in ea quærit cogitatio, quid ſenſus attingat: & dicit ſibi, non eſt intelligibilis forma, ſicut vita, ſicut juſtitia, quia materies eſt corporum: neque ſentibilis eſt, quoniam quid videatur, & quid ſentiatur in inviſibili, & incompoſita, non eſt: Dum ſibi hæc dicit humana cogitatio, conetur eam vel noſſe ignorando, vel ignorare noſcendo.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VI.

Quid ſenſerit aliquando de materia prima, & quid modo.

1. EGo vero Domine, ſi totum confitear tibi ore meo, & calamo meo, quidquid de iſta materia docuiſti me: Cujus antea nomen audiens, & non intelligens; narrantibus mihi eis, qui non intelligerent eam, cum ſpeciebus innumeris, & variis cogitabam: & ideo non eam cogitabam: fœdas & horribiles formas perturbatis ordinibus volvebat animus; ſed formas tamen: & informe appellabam, non quod careret forma, ſed quod talem haberet, ut ſi appareret inſolitum, & incongruum, averſaretur ſenſus meus, & conturbaretur infirmitas hominis. Verum autem illud, quod cogitabam, non privatione omnis formæ, ſed comparatione formoſiorum erat informe: & ſuadebat vera ratio, ut omnis formæ qualeſcunque reliquias omnino detraherem, ſi vellem prorſus informe cogitare; & non poteram: Citius enim non eſſe cenſebam, quod omni forma privaretur; quam cigitabam quiddam inter formam, & nihil, nec formatum, nec nihil, informe prope nihil.

2. Et ceſſavit mens mea interrogare hinc ſpiritum meum, plenum imaginibus formatorum corporum, & eas pro arbitrio mutantem, atque variantem. Et intendi in ipſa corpora, eorumque mutabilitatem altius inſpexi, qua deſinunt eſſe, quod fuerant, & incipiunt eſſe quod

non

non erant. Eundemque tranſitum de forma in formam, per informe quiddam fieri ſuſpicatus ſum; non per omnino nihil: ſed noſſe cupiebam, non ſuſpicari. Et ſi totum tibi confiteatur vox,& ſtylus meus, quidquid de iſta quæſtione enodaſti mihi, quis legentium capere durabit? Nec ideo tamen ceſſabit cor meum dare tibi honorem, & canticum laudis, de his quæ dicere non ſufficit. Mutabilitas enim rerum mutabilium capax ipſa eſt formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles. Et hæc quid eſt? Nunquid animus? Nunquid corpus? Nunquid ſpecies animi, vel corporis? Si dici poſſet: Nihil aliquid eſt, & non eſt; hoc eam dicerem: & tamen jam utcunque erat, ut ſpecies caperet iſtas viſibiles, & compoſitas.

CAP. VII.

Cœlum terra majus.

1. ET unde utcunque erat, niſi eſſet abs te, a quo ſunt omnia, in quantumcunque ſunt? Sed tanto alte longius, quanto diſſimilius. Neque enim locis. Itaque tu Domine, qui non es alias aliud, & alias aliter, ſed idipſum, & idipſum, & idipſum; Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens; in principio, quod eſt in te, in ſapientia tua, quæ nata eſt de ſubſtantia tua, feciſti aliquid, & de nihilo.

2. Feciſti enim cœlum & terram, non de te; nam eſſet æquale unigenito tuo, ac per hoc & tibi: & nullo modo juſtum eſſet,

Digitized by Google

set, ut æquale tibi esset, quod in te non esset. Et aliud præter te non erat, unde faceres ea Deus, una Trinitas, & trina unitas. Et ideo de nihilo fecisti cœlum, & terram, magnum quiddam, & parvum quiddam, quoniam omnipotens, & bonus es, ad facienda omnia bona, magnum cœlum & parvam terram, tu eras, & aliud nihil; unde fecisti cœlum & terram, duo quædam, unum prope te, alterum prope nihil. Unum, quo superior tu esses, alterum quo inferius nihil esset.

CAP. VIII.

Materia prima ex nihilo, ex hac omnia.

1. SEd illud cœlum cœli tibi Domine; terra autem quam dedisti filiis hominum cernendam, atque tangendam, non erat talis, qualem nunc cernimus, & tangimus. Invisibilis enim erat, & incomposita: & abyssus erat, super quam non erat lux, aut tenebræ erant super abyssum: id est, magis quam in abysso. Ista quippe abyssus, aquarum jam visibilium, etiam in profundis suis habet speciei suæ lucem, utcunque sensibilem piscibus, & repentibus in suo fundo animantibus. Illud autem totum prope nihil erat, quoniam adhuc omnino informe erat. Jam tamen erat, quod formari posset. Tu enim Domine fecisti mundum de materia informi, quam fecisti de nulla re pœne nullam rem, unde faceres magna, quæ miramur filii hominum.

2. Valde enim mirabile hoc cœlum cor-

po-

poreum, quod firmamentum inter aquam & aquam: ſecundo die poſt conditionem lucis dixiſti: Fiat, & ſic factum eſt. Quod firmamentum vocaſti cœlum, ſed cœlum terræ hujus, & maris, quæ feciſti tertio die, dando ſpeciem viſibilem informi materiæ, quam feciſti ante omnem diem. Jam enim feceras, & cœlum ante omnem diem: ſed cœlum cœli hujus: quia in principio feceras cœlum, & terram: Terra autem ipſa, quam feceras, informis materies erat, quia inviſibilis erat, & incompoſita, & tenebræ ſuper abyſſum. De qua terra inviſibili, & incompoſita, de qua informitate, de quo pœne nihilo faceres hæc omnia, quibus iſte mutabilis mundus conſtat, & non conſtat, in quo ipſa mutabilitas apparet, & in quo ſentiri, & dinumerari poſſunt tempora: Quia rerum mutationibus fiunt tempora, dum variantur, & vertuntur ſpecies, quarum materies prædicta eſt terra inviſibilis.

CAP. IX.

Cœlum cœli quid.

1. Deoque ſpiritus doctor famuli tui, cum te commemorat feciſſe in principio cœlum, & terram, tacet de temporibus, ſilet de diebus. Nimirum enim cœlum cœli, quod in principio feciſti, creatura eſt aliqua intellectualis: quanquam nequaquam tibi Trinitati coæterna: particeps tamen æternitatis tuæ, valde mutabilitatem ſuam præ dulcedine feliciſſimæ contemplationis tuæ cohibet; & ſine ullo lapſu,

lapſu, ex quo facta eſt, inhærendo tibi, excedit omnem volubilem viciſſitudinem temporum. Iſta vero informitas terræ inviſibilis, & incompoſitæ, nec ipſa in diebus numerata eſt. Ubi enim nulla ſpecies, nullus ordo; nec venit quidquam nec præterit. Et ubi hoc non fit, non ſunt utique dies, nec viciſſitudo ſpatiorum temporalium.

CAP. X.

Credere ſcripturis.

1. O Veritas lumen cordis mei, non tenebræ meæ loquantur mihi, defluxi ad iſta, & obſcuratus ſum, ſed hinc etiam hinc adamavi te. Erravi, & recordatus ſum tui. Audivi vocem tuam poſt me, ut redirem, & vix audivi, propter tumultus peccatorum. Et nunc ecce redeo, æſtuans, & anhelans ad fontem tuum. Nemo me prohibeat, hunc bibam, & tunc vivam. Nam non ego vita mea. Si male vixi; ex me mors mihi fui, & in te reviviſco. Tu me alloquere, tu mihi ſermocinare. Credidi libris tuis, & verba eorum arcana valde.

CAP. XI.

Quid a Deo didicerit.

1. J Am dixiſti mihi Domine voce forti in aurem interiorem, quia tu æternus es, ſolus habens immortalitatem; quoniam ex nulla ſpecie moruve

mutaris, nec temporibus variatur voluntas tua; quia non eſt immortalis voluntas, quæ alia, & alia eſt. Hoc in conſpectu tuo claret mihi, & magis magiſque clareſcat, oro te; atque in ea manifeſtatione perſiſtam ſobrius, ſub alis tuis. Item dixiſti mihi Domine voce forti in aurem interiorem, quod omnes naturas, atque ſubſtantias, quæ non ſunt, quod tu es, & tamen ſunt, tu feciſti, & hoc ſolum a te non eſt, quod non eſt, motuſque voluntatis a te, qui es, ad id quod minus eſt, quia talis motus delictum, atque peccatum eſt: & quod nullius peccatum, aut tibi nocet, aut perturbat ordinem imperii tui, vel in primo, vel in imo. Hoc in conſpectu tuo claret mihi, & magis magiſque clareſcat, oro te, atque in ea manifeſtatione perſiſtam ſobrius, ſub alis tuis.

2. Item dixiſti mihi voce forti in aurem interiorem, quod nec illa creatura tibi coæterna eſt, cujus voluntas tu ſolus es: teque perſeverantiſſima caſtitate hauriens, mutabilitatem ſuam nuſquam & nunquam exerit: & te ſibi ſemper præſente, ad quem toto affectu ſe tenet, non habens futurum quod expectet, nec in præteritum trajiciens, quod meminerit, nulla vice variatur, nec in tempora ulla diſtenditur. O beata, ſi qua iſta eſt, inhærendo beatitudini tuæ, beata, ſempiterno inhabitatore te, atque illuſtratore ſuo. Nec invenio, quid libentius appellandum exiſtimem cœlum cœli domino, quam domum tuam contemplantem delectationem tuam, ſine ullo defe-

defectu egrediendi in aliud : mentem puram concordissime unam stabilimento pacis sanctorum spirituum, civium civitatis tuæ in cœlestibus, super ista cœlestia. Unde intelligat anima, quantum peregrinatione, longinqua facta est, si jam sitit tibi : si jam factæ sunt ei lacrymæ suæ panis, dum dicitur ei per singulos dies, ubi est Deus tuus ? Si jam petit a te unam, & hanc requirit, ut inhabitet in domo tua, per omnes dies vitæ meæ.

3. Et quæ vita ejus, nisi tu ? Et qui dies tui, nisi æternitas tua, sicut anni tui, qui non deficiunt, quia idem ipse es ? Hinc ergo intelligat anima, quæ potest ; quam longe super omnia tempora sis æternus, quando tua domus, quæ peregrinata non est, quamvis non sit tibi coæterna, tamen indesinenter, & indeficienter tibi cohærendo, nullam patitur vicissitudinem temporum. Hoc in cospecto tuo claret mihi ; & magis magisque claresçat, oro te ; atque in hac manifestatione persistam sobrius, sub alis tuis. Ecce, nescio quid informe in istis mutationibus rerum extremarum atque infirmarum. Et quis dicet mihi, nisi quisquis per inania cordis sui cum suis phantasmatibus vagatur & volvitur? Quis nisi talis dicet mihi, quod diminuta, atque consumpta omni specie, si sola remaneat informitas per quam de specie in speciem res mutabatur, & vertebatur, possit exhibere vices temporum ? Omnino enim non potest ; quia sine varietate motionum, non sunt tempora : & nulla varietas, ubi nulla species.

CAP. XII.

Creatura duplex.

1. QUibus conſideratis, quantum donas Deus meus, quantum me ad pulſandum excitas, quantumque pulſanti aperis? Duo reperio, quæ feciſti carentia temporibus, cum tibi neutrum coæternum ſit. Unum quod ita formatum eſt, ut ſine ullo defectu contemplationis, ſine ullo intervallo mutationis, quamvis mutabile, tamen, non mutatum, tua æternitate, atque incommutabilitate perfruatur. Alterum, quod ita informe erat, ut ex qua forma, in quam formam vel motionis vel ſtationis mutaretur, quo tempori ſubderetur, non haberet. Sed hoc ut informe eſſet, non reliquiſti, quoniam feciſti ante omnem diem, in principio cœlum, & terram, hæc duo quæ dicebam.

2. Terra autem inviſibilis erat, & incompoſita, & tenebræ ſuper abyſſum. Quibus verbis inſinuatur informitas, ut gradatim excipiantur, qui omnimodam ſpeciei privationem, nec tamen ad nihilum perventionem cogitare non poſſunt, unde fieret aliud cœlum, & terra viſibilis, atque compoſita, & aqua ſpecioſa, & quidquid deinceps in conſtitutione hujus mundi, non ſine diebus factum commemoratur, quia talia ſunt, ut in eis agantur viciſſitudines temporum, propter ordinatas commutationes motionum, atque formarum.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIII.

Creatura ſpiritualis qualis.

1. HOc interim ſentio, Deus meus, cum audio loquentem ſcripturam tuam: in principio fecit Deus cœlum & terram: terra autem erat inviſibilis, & incompoſita, & tenebræ erant ſuper abyſſum: neque commemorantem quoto die feceris hæc. Sic interim ſentio, propter illud cœlum cœli, cœlum intellectuale, ubi eſt intellectus noſſe ſimul, non ex parte, non in ænigmate, non per ſpeculum, ſed ex toto in manifeſtata facie ad faciem: non modo hoc, modo illud, ſed quod dictum eſt, noſſe ſimul ſine ulla viciſſitudine temporum: & propter inviſibilem, atque incompoſitam terram, ſine ulla viciſſitudine temporum, quæ ſolet habere modo hoc, & modo illud; quia ubi nulla ſpecies, nuſquam eſt hoc, aut illud: Propter duo hæc primitus formatum, & penitus informe, illud cœlum, ſed cœlum cœli, hoc vero terram, ſed terram inviſibilem, & incompoſitam; propter duo hæc interim ſentio ſine commemoratione dierum, dicere ſcripturam tuam: In principio fecit Deus cœlum, & terram, ſtatim quippe ſubjecit, quam terram dixerit. Et quod ſecundo die commemoratur factum firmamentum, & vocatum cœlum, inſinuat de quo cœlo prius ſine diebus ſermo locutus ſit.

Digitized by Google

CAP. XIV.

Scripturæ profunditas.

1. MIra profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis; sed profunditas, Deus meus, mira profunditas. Horror est, intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris. Odi hostes ejus vehementer. O si occidas eos gladio bis acuto, & non sint hostes ejus: Sic enim amo eos occidi sibi, ut vivant tibi. Ecce autem alii non reprehensores, sed laudatores libri Geneseos: Non, inquiunt, hoc voluit in his verbis intelligi spiritus Dei, qui per Moysen famulum ejus ista conscripsit; non hoc voluit intelligi, quod tu dicis, sed aliud, quod nos dicimus. Quibus ego, te arbitro, Deus omnium nostrorum, ita respondeo.

CAP. XV.

Quantum interſit inter conditorem, & condita.

1. NUm dicetis falsa esse, quæ mihi veritas voce forti in aurem interiorem dicit, de vera æternitate creatoris: quod nequaquam ejus substantia per tempora varietur; nec ejus voluntas extra ejus substantiam sit? Unde non eum modo velle hoc, modo velle illud; sed semel & simul, & semper velle omnia, quæ vult: non iterum, & iterum:

neque

neque nunc iſta, nunc illa, nec velle poſtea, quod nolebat; aut nolle, quod prius volebat: quia talis voluntas mobilis eſt, & omne mutabile æternum non eſt; Deus autem noſter æternus eſt. Idem, quod mihi dicitur in aurem interiorem, expectatio rerum venturarum, fit contuitus, cum venerint: idemque contuitus, fit memoria, cum præterierint. Omnis porro intentio, quæ ita variatur, mutabilis eſt, & omne mutabile æternum non eſt: Deus autem noſter æternus eſt. Hæc colligo, atque conjungo, & invenio, Deum meum, Deum æternum, non aliquam tali nova voluntate condidiſſe creaturam, nec ſcientiam ejus tranſitorium aliquid pati.

2. Quid ergo dicetis contradictores? An falſa ſunt iſta? Non, inquiunt. Quid illud? Nam falſum eſt, omnem naturam formatam, materiamve formabilem non eſſe, niſi ab illo, qui ſumme bonus eſt, quia ſumme eſt? Neque hoc negamus, inquiunt. Quid igitur? An illud negatis, ſublimem quandam eſſe creaturam, tum caſto amore cohærentem Deo vero, & vero æterno: ut quamvis ei coæterna non ſit, in nullam tamen temporum varietatem, & viciſſitudinem, ab illo ſe reſolvat, ac defluat, ſed in ejus ſolius veraciſſima contemplatione requieſcat? Quoniam tu Deus diligenti te, quantum præcipis, oſtendis ei te, & ſufficis ei; & ideo non declinat a te, nec ad ſe. Hæc eſt domus Dei non terrena, neque ulla cœleſti mole corporea; ſed ſpiritualis, & parti-

Digitized by Google

ceps æternitatis tuæ, quia ſine labe in æternum. Statuiſti enim eam in ſeculum, & in ſeculum ſeculi; præceptum poſuiſti, & non præteribit. Nec tamen tibi Deo coæterna, quoniam non ſine initio, facta eſt enim. Nam & ſi non invenimus tempus ante illam; prior quippe omnium creata eſt ſapientia: nec utique illa ſapientia tibi Deus noſter, patri ſuo plane coæterna, & æqualis, & per quam creata ſunt omnia, & in quo principio feciſti cœlum, & terram: Sed profecto ſapientia, quæ creata eſt, intellectualis natura ſcilicet, quæ contemplatione luminis lumen eſt: Dicitur enim & ipſa, quamvis creata, ſapientia.

3. Sed quantum intereſt inter lumen, quod illuminat, & quod illuminatur; tantum inter ſapientiam quæ creat, & iſtam quæ creata eſt, ſicut inter juſtitiam juſtificantem, & juſtitiam, quæ juſtificatione facta eſt. Nam & nos dicti ſumus juſtitia tua. Ait enim quidam fervus tuus, ut nos ſimus juſtitia Dei in ipſo. Ergo, quia prior omnium creata eſt quædam ſapientia, quæ creata eſt mens rationalis, & intellectualis caſtæ civitatis tuæ, matris noſtræ, quæ ſurſum eſt, & libera eſt, & æterna in cœlis. Quibus cœlis, niſi qui te laudant cęli cęlorum? Quia hoc eſt, & cęlum cęli domino. Et ſi non invenimus tempus ante illam, quia & creaturam temporis antecedit, quæ prior omnium creata eſt, ante illam tamen eſt ipſius creatoris æternitas, a quo facta ſumpſit exordium, quamvis non temporis, quoniam nondum erat tem-

tempus, ipſius tamen conditionis ſuæ. Unde ita eſt abs te Deo noſtro, ut aliud ſit plane quam tu, & non idipſum. Quoniam, & ſi non ſolum ante illam, ſed nec in illa invenimus tempus, quia eſt idonea faciem tuam ſemper videre, nec uſpiam deflectitur ab ea: Quo fit, ut nulla mutatione varietur: Ineſt ei tamen ipſa mutabilitas, unde tenebreſceret, & frigeſceret, niſi amore grandi tibi cohærens, tanquam ſemper meridies luceret, & ferveret ex te.

4. O domus luminoſa, & ſpecioſa, dilexi decorem tuum, & locum habitationis gloriæ domini mei, fabricatoris & poſſeſſoris tui. Tibi ſuſpiret peregrinatio mea: & dico ei, qui fecit te, ut poſſideat & me in te, quia fecit & me. Erravi ſicut ovis perdita, ſed in humeris paſtoris mei, ſtructoris tui, ſpero me reportari tibi. Quid dicitis mihi, quos alloquebar contradictores: qui tamen, & Moyſen pium famulum Dei, & libros ejus oracula ſancti Spiritus creditis? Eſtne iſta domus Dei? Non quidem Deo coæterna, ſed tamen ſecundum modum ſuum æterna in cęlis: ubi vices temporum fruſtra quæritis, quia non invenietis? Supergreditur enim omnem diſtentionem, & omne ſpatium ætatis volubile, cui ſemper inhærere Deo bonum eſt. Eſt, inquiunt. Quid igitur ex his, quæ clamavit cor meum ad Deum meum, cum audiret interius vocem laudis ejus, quid tandem falſum eſſe contenditis? An quia erat informis materies, ubi propter nullam for-

mam nullus ordo erat? Ubi autem nullus ordo erat, nulla esse vicissitudo temporum poterat: & tamen hoc pene nihil. In quantum non omnino nihil erat, ab illo utique erat, a quo est, quicquid est, quod utcunque aliquid est. Hoc quoque, ajunt, non negamus.

CAP. XVI.

Adversus eos, qui contradicunt veritati divinæ.

1. CUm his enim volo coram te aliquid colloqui Deus meus, qui hæc omnia, quæ intus in mente mea non tacet veritas tua, vera esse concedunt. Nam qui hæc negant, latrent quantum volunt, & obstrepant sibi: persuadere conabor, ut quiescant, & viam præbeant ad se verbo tuo. Quod si noluerint, & repulerint me, obsecro te Deus meus, ne tu sileas a me. Tu loquere in corde meo veraciter: solus enim tu sic loqueris; Et dimittam eos foris sufflantes in pulverem, & excitantes terram in oculos suos, & intrem in cubile meum, & cantem tibi amatoria; gemens inenarrabiles gemitus in peregrinatione mea; & recordans Hierusalem extento in eam sursum corde, Hierusalem patriam meam, Hierusalem matrem meam; teque super eam regnatorem, illustratorem, patrem, tutorem, maritum, castas & fortes delicias, & solidum gaudium, & omnia bona ineffabilia simul & omnia quia unum summum, & ve-

& verum bonum : & non avertar , donec in ejus pacem matris chariſſimæ , ubi ſunt primitiæ ſpiritus mei , unde mihi iſta certa ſunt , colligas totum quod ſum , a diſperſione , & deformitate hac , & conformes , atque confirmes in æternum , Deus meus , miſericordia mea . Cum his autem , qui cuncta illa , quæ vera ſunt , falſa eſſe non dicunt , honorantes , & in culmine ſequendæ auctoritatis nobiſcum conſtituentes illam per ſanctum Moyſen editam ſanctam ſcripturam tuam , & tamen nobis aliquid contradicunt , ita loquor . Tu eſto Deus noſter arbiter , inter confeſſiones meas , & contradictiones eorum .

CAP. XVII.

Quid cęli , & terræ nominibus ſignificatum .

1. DIcunt enim , quamvis vera ſint hæc , non ea tamen duo Moyſes intuebatur , cum ſpiritu revelante diceret : In principio fecit Deus cœlum , & terram . Non cęli nomine ſpiritualem , vel intellectualem illam creaturam ſemper faciem Dei contemplantem , ſignificavit : nec terræ nomine , informem materiam . Quid igitur ? Quod nos dicimus , inquiunt , hoc ille vir ſenſit , hoc verbis iſtis elocutus eſt . Quid illud eſt ? Nomine ajunt cęli , & terræ totum iſtum viſibilem mundum prius univerſaliter , & breviter ſignificare voluit , ut poſtea digereret dierum enumeratio-

ne quaſi articulatim univerſa, quæ ſancto Spiritui placuit, ſic enunciare. Tales quippe homines erant, rudis ille, atque carnalis populus, cui loquebatur: ut eis opera Dei, nonniſi ſola viſibilia commendanda judicaret: terram vero inviſibilem, & incompoſitam, tenebroſamque abyſſum. Unde conſequenter oſtenditur, per illos dies facta, atque diſpoſita eſſe cuncta iſta viſibilia, quæ nota ſunt omnibus, non incongruenter informem iſtam materiam intelligendam eſſe conſentiunt.

2. Quid ſi dicat alius, eandem informitatem, confuſionemque materiæ, cęli, & terræ nomine prius inſinuatam, quod ex ea mundus iſte viſibilis, cum omnibus naturis, quæ in eo manifeſtiſſime apparent, qui cęli, & terræ nomine ſæpe appellari ſolet, conditus atque perfectus eſt? Quid ſi dicat & alius, cælum & terram quidem inviſibilem, inviſibilemque naturam non indecenter appellatam: ac per hoc univerſam creaturam, quam fecit in ſapientia, ideſt, in principio, Deus, hujuſcemodi duobus vocabulis eſſe comprehenſam? Veruntamen, quia non de ipſa ſubſtantia Dei, ſed ex nihilo cuncta facta ſunt, quia non ſunt idipſum quod Deus, & ineſt quædam mutabilitas omnibus, ſive maneant, ſicut æterna domus Dei; ſive mutentur, ſicut anima hominis, & corpus: Communem omnium rerum inviſibilium, viſibiliumque materiem adhuc informem, ſed certe formabilem; unde fieret cęlum, & terra, ideſt, inviſibilis, atque viſibilis jam utraque for-

formata creatura, his nominibus enunciata, quibus appellaretur terra inviſibilis, & incompoſita; & tenebræ ſuper abyſſum: ea diſtinctione, ut terra inviſibilis, & incompoſita intelligatur materies corporalis, ante qualitatem formæ; tenebræ autem ſuper abyſſum, ſpiritualis materies ante cohibitionem quaſi fluentis immoderationis, & ante illuminationem ſapientiæ.

3. Eſt adhuc quod dicat, ſi quis aliud velit, non ſcilicet jam perfectas, atque formatas inviſibiles, viſibileſque naturas cœli, & terræ nomine ſignificari, cum legitur: In principio fecit Deus cœlum, & terram, ſed ipſam adhuc informem inchoationem rerum, formabilem, creabilemque materiam his nominibus appellatam, quod in ea jam eſſent iſta confuſa, nondum qualitatibus formiſque diſtincta: quæ nunc jam digeſta ſuis ordinibus, vocantur cœlum, & terra, illa ſpiritualis, hæc corporalis creatura.

CAP. XVIII.

Quis error innoxius in ſcripturis.

1. QUibus omnibus auditis, & conſideratis, nolo verbis contendere. Ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium. Ad ædificationem autem bona eſt lex, ſi quis ea legitime utatur: quia finis ejus eſt caritas, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Et novit magiſter noſter, in quibus duobus præceptis, totam legem

Pro-

Prophetaſque ſuſpenderit. Quæ mihi ardenter confitenti, Deus meus, lumen oculorum meorum in occulto, quid mihi abeſt, cum diverſa in his verbis intelligi poſſint, quæ tamen vera ſint? Quid inquam mihi obeſt, ſi aliud ego ſenſero, quam ſenſit alius eum ſenſiſſe qui ſcripſit? Omnes quidem, qui legimus, nitimur hoc indagare atque comprehendere, quod voluit ille, quem legimus. Et cum eum veridicum credimus, nihil quod falſum eſſe, vel novimus, vel putamus, audemus eum exiſtimare dixiſſe. Dum ergo quiſquis conatur id ſentire in ſcripturis ſanctis, quod in eis ſenſit ille, qui ſcripſit: quid mali eſt, ſi hoc ſentiat, quod tu lux omnium veridicarum mentium oſtendis verum eſſe: etiam ſi hoc non ſenſit ille, quem legit, cum & ille verum, nec tamen hoc ſenſerit?

CAP. XIX.

Quæ liquido vera.

1. VErum eſt enim Domine, feciſſe te cœlum & terram: & verum eſt, Principium eſſe ſapientiam tuam, in qua feciſti omnia. Item verum eſt, quod mundus iſte viſibilis, habet magnas partes ſuas cœlum & terram, brevi complexione factarum omnium conditarumque naturarum. Et verum eſt, quod omne mutabile inſinuat notitiæ noſtræ quandam informitatem, qua formam capit, vel qua mutatur, & vertitur. Verum eſt,

eſt, nulla tempora perpeti: quod ita cohærct formæ incommutabili, ut quamvis ſit mutabile, non mutetur. Verum eſt informitatem, quæ prope nihil eſt, vices temporum habere non poſſe. Verum eſt, quod unde fit aliquid, poteſt quodam genere locutionis habere jam nomen ejus rei, quæ inde fit. Unde potuit vocari cœlum, & terra quælibet informitas, unde factum eſt cœlum, & terra. Verum eſt, omnium formatorum nihil eſſe informi vicinius, quam terram, & abyſſum. Verum eſt, quod non ſolum creatum, atque formatum, ſed etiam quicquid creabile atque formabile eſt, tu feciſti, ex quo ſunt omnia. Verum eſt, omne quod ex informi formatur, prius eſſe informe, deinde formatum.

CAP. XX.

In principio creavit, &c. varie intellectum.

1. EX his omnibus veris, de quibus non dubitant, quorum interiori oculo talia videre donaſti & qui Moyſen famulum tuum, in ſpiritu veritatis locutum eſſe immobiliter credunt. Ex his ergo omnibus aliud ſibi tollit, qui dicit: In principio fecit Deus cœlum & terram: id eſt, in verbo ſuo ſibi coæterno, fecit Deus intelligibilem, atque ſenſibilem, vel ſpiritualem, corporalemque creaturam. Aliud, qui dicit. In principio fecit Deus cœlum & terram: id eſt, in verbo ſuo ſibi coæterno, fecit Deus univerſam iſtam molem cor-

corporei mundi hujus, cum omnibus, quas continent, manifeſtis notiſque naturis.

2. Aliud, qui dicit: In principio fecit Deus cœlum & terram: ideſt, in verbo ſuo ſibi coæterno, fecit Deus informem materiam creaturæ ſpiritualis, & corporalis. Aliud, qui dicit: In principio fecit Deus cœlum & terram: id eſt, in verbo ſuo ſibi coæterno, fecit Deus informem materiam creaturæ corporalis, ubi confuſum adhuc erat cœlum & terra, quæ nunc jam diſtincta, atque formata, in iſtius mundi mole ſentimus. Aliud, qui dicit: In principio fecit Deus cœlum, & terram: id eſt, in ipſo exordio faciendi, atque operandi, fecit Deus informem materiam, confuſe habentem cœlum, & terram: unde formata nunc eminent, & apparent, cum omnibus quæ in eis ſunt.

CAP. XXI.

Terra erat inanis, varie intellectum.

1. ITem, quod attinet ad intellectum verborum ſequentium, ex illis omnibus veris, aliud ſibi tollit, qui dicit: Terra autem erat inviſibilis, & incompoſita, & tenebræ erant ſuper abyſſum: ideſt, incorporale illud, quod fecit Deus adhuc materies erat corporearum rerum informis, ſine ordine, ſine luce. Aliud, qui dicit: Terra autem erat inviſibilis, & incompoſita, tenebræ erant ſuper abyſſum: ideſt, hoc to-

totum, quod cœlum, & terra appellatum eſt, adhuc informis, & tenebroſa materies erat, unde fieret cœlum corporeum, & terra corporea, cum omnibus quæ in eis ſunt, corporeis ſenſibus nota. Aliud, qui dicit: Terra autem erat inviſibilis, & incompoſita, & tenebræ erant ſuper abyſſum: ideſt, hoc totum, quod cœlum, & terra appellatum eſt, adhuc informis, & tenebroſa materies erat: unde fieret cœlum intelligibile, quod alibi dicitur cœlum cœli, & terra, ſcilicet omnis natura corporea: ſub quo nomine, intelligatur etiam hoc cœlum corporeum: ideſt, unde fieret omnis inviſibilis viſibiliſque creatura.

2. Aliud, qui dicit: Terra autem erat inviſibilis, & incompoſita, & tenebræ erant ſuper abyſſum: non illam informitatem nomine cœli, & terræ Scriptura appellavit: ſed jam erat, inquit, ipſa informitas, quam terram inviſibilem, & incompoſitam, tenebroſamque abyſſum nominavit, de qua cœlum, & terram Deum feciſſe prædixerat, ſpiritualem ſcilicet corporalemque creaturam. Aliud, qui dicit: Terra autem erat inviſibilis, & incompoſita, & tenebræ erant ſuper abyſſum: ideſt, informis quædam jam materies erat, unde cœlum, & terram Deum feciſſe Scriptura prædixit: totam ſcilicet corpoream mundi molem, in duas maximas partes, ſuperiorem atque inferiorem diſtributam, cum omnibus quæ in eis ſunt viſitatis notiſque creaturis.

CAP.

CAP. XXII.

Et aquæ nomine cœli ac terra ſignificantur.

1. CUm enim duabus iſtis extremis ſententiis reſiſtere quiſquam ita tentaverit, ſi non vult, iſtam informitatem materiæ, cœli & terræ nomine appellatam videri: erat ergo aliquid, quod non fecerat Deus, unde cœlum & terram faceret. Neque enim ſcriptura narravit, quod iſtam materiam Deus fecerit, niſi ut intelligamus, eam cœli & terræ, aut ſolius terræ vocabulo ſignificatam, cum diceretur: In principio fecit Deus cœlum & terram, ut id, quod ſequitur: Terra autem erat inviſibilis, & incompoſita, quamvis informem materiam ſic placuerit appellare, non tamen intelligamus niſi eam, quam fecit Deus, in eo quod ſcriptum eſt: Fecit Deus cœlum, & terram.

2. Reſpondebunt aſſertores duarum iſtarum ſententiarum, quas extremas poſuimus, aut illius, aut illius, cum hæc audierint, & dicent: Informem quidem iſtam materiam non negamus a Deo factam, a quo ſunt omnia bona valde. Quia ſicut dicimus amplius bonum eſſe, quod creatum, atque formatum eſt: ita fatemur minus bonum eſſe, quod factum eſt creabile, atque formabile, ſed tamen bonum. Non autem commemoraſſe ſcripturam, quod hanc informitatem fecerit Deus; ſicut alia multa non com-

me-

memoravit, ut Cherubim, & Seraphim, & quæ Apoſtolus diſtincte ait, Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates; quæ tamen omnia Deum feciſſe, manifeſtum eſt.

3. Aut ſi in eo, quod dictum eſt: Fecit cœlum, & terram; comprehenſa ſunt omnia: quid de aquis dicimus, ſuper quas ferebatur ſpiritus Dei? Si enim terra nominata ſimul intelliguntur, quomodo jam terræ nomine, materies informis accipitur, quando tam ſpecioſas aquas videmus? Aut ſi ita accipitur, cur ex eadem informitate ſcriptum eſt factum firmamentum, & vocatum cœlum, neque ſcriptum eſt factas eſſe aquas? Non enim adhuc informes ſunt, & inviſæ, quas ita decora ſpecie fluere cernimus. Aut ſi tunc acceperunt iſtam ſpeciem, cum dixit Deus: Congregetur aqua, quæ eſt ſub firmamentum: ut congregatio ſit ipſa formatio: quid reſpondebitur de aquis, quæ ſuper firmamentum ſunt? Quia neque informes tam honorabilem ſedem accipere meruiſſent: nec ſcriptum eſt, qua voce formatæ ſint.

4. Unde ſi aliquid Geneſis tacuit Deum feciſſe, quod tamen Deum feciſſe, nec ſana fides, nec certus ambigit intellectus: Nec ideo ulla ſobria doctrina dicere audebit, iſtas aquas coæternas Deo quia in libro Geneſeos commemoratas quidem audivimus; ubi autem factæ ſint non invenimus: Cur non informem quoque illam materiam, quam ſcriptura hæc terram inviſibilem, & incompoſitam, tenebroſamque abyſſum appel-

pellat, docente veritate intelligamus a Deo factam esse de nihilo: ideoque illi non esse coæternam: quamvis, ubi facta sit, omiserit enunciare ista narratio?

CAP. XXIII.

A sensu scripturæ aberrare levius est, quam scripturam dicere falsam.

1. His ergo auditis atque perspectis, pro captu infirmitatis meæ, quam tibi confiteor scienti Deo meo, duo video dissensionum genera oboriri posse, cum aliquid a nunciis veracibus per signa enunciatur: Unum, si de veritate rerum: alterum, si de ipsius, qui annunciat, voluntate, dissensio est. Aliter enim quærimus de creaturæ conditione, quid verum sit, aliter autem, quid in his verbis Moyses egregius domesticus fidei tuæ, intelligere lectorem, auditoremque voluerit. In illo primo genere discedant a me omnes, qui ea, quæ falsa sunt, se scire arbitrantur. In hoc item altero, discedant a me omnes, qui ea quæ falsa sunt, Moysen dixisse arbitrantur. Conjungar autem illis Domine in te, & delecter cum eis in te, qui veritate tua pascuntur in latitudine caritatis: & accedamus simul ad verba libri tui, & quæramus in eis voluntatem tuam, per voluntatem famuli tui, cujus calamo dispensasti ea.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXIV.

Verax eſt ſcriptura, etiamſi non intelligitur.

1. SEd quis noſtrum ſic inveniet eam inter tam multa verba, quæ in illis verbis aliter, atque aliter intellectis occurrunt quærentibus: ut tam fidenter dicat hoc ſenſiſſe Moyſen, atque hoc in illa narratione voluiſſe intelligi, quam fidenter dicit hoc verum eſſe, ſive ille hoc ſenſerit, ſive aliud? Ecce enim Deus meus, ego ſervus tuus, qui vovi tibi ſacrificium confeſſionis in his litteris; & oro, ut ex miſericordia tua reddam tibi vota mea.

2. Ecce ego quam fidenter dico, in tuo verbo incommutabili omnia te feciſſe, inviſibilia, & viſibilia: Nunquid tam fidenter dico, non aliud quam hoc attendiſſe Moyſen, cum ſcriberet: In principio fecit Deus cœlum, & terram? Quia non ſicut in tua veritate hoc certum video, ita in ejus mente video id eum cogitaſſe, cum hæc ſcriberet. Potuit enim cogitare in ipſo faciendi exordio cum diceret: In principio; potuit, & cœlum, & terram hoc loco nullam jam formatam, perfectamque naturam, ſive ſpiritualem, ſive corporalem, ſed utramque inchoatam, & adhuc informem, velle intelligi.

3. Video quippe vere potuiſſe dici, quicquid horum diceretur: ſed quid horum in his verbis ille cogitaverit, non ita video. Quamvis ſive aliquid horum, ſive aliquid aliud quod a me commemora-

ratum non eſt, tantus vir ille mente conſpexerit, cum hæc verba promeret, verum eum vidiſſe, apteque id enunciaſſe non dubitem. Nemo mihi jam moleſtus ſit dicendo mihi, non hoc ſenſit Moyſes, quod tu dicis: ſed hoc ſenſit, quod ego dico. Si enim mihi diceret: unde ſcis hoc ſenſiſſe Moyſen, quod de his verbis ejus eloqueris? æquo animo ferre deberem: & reſponderem fortaſſe, quæ ſuperius reſpondi: vel aliquando uberius, ſi eſſet durior.

CAP. XXV.

Obſcuritas Geneſeos.

1. CUm vero dicit: Non hoc ille ſenſit quod tu dicis, ſed quod ego dico: neque tamen negat, quod uterque noſtrum dicit, utrumque verum eſſe: O vita pauperum Deus meus, in cujus ſinu non eſt contradictio: plue mihi mitigationes in cor ut patienter tales feram, qui non mihi hoc dicunt, quia divini ſunt, & in corde famuli tui viderunt, quod dicunt; ſed quia ſuperbi ſunt, nec noverunt Moyſis ſententiam, ſed amant ſuam; non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt. Alioquin, & aliam veram pariter amarent: ſicut & ego amo, quod dicunt, quando verum dicunt; non quia ipſorum eſt, ſed quia verum eſt; & ideo jam nec ipſorum eſt, quia verum eſt. Si autem ideo amant illud, quia verum eſt, jam & ipſorum eſt, & meum eſt, quoniam in commune omnium eſt veritatis amatorum.

2. Il-

2. Illud autem, quod contendunt, non hoc ſenſiſſe Moyſen, quod ego dico, ſed quod ipſi dicunt, nolo, non amo; quia & ſi ita eſt, tamen iſta temeritas non ſcientiæ, ſed audaciæ eſt: nec viſus, ſed typhus eam peperit. Ideoque Domine, tremenda ſunt judicia tua, quoniam veritas tua nec mea eſt, nec illius aut illius, ſed omnium noſtrum, quos ad ejus communionem publice vocas terribiliter admonens nos, ut nolimus eam habere privatam, ne privemur ea. Nam quiſquis id, quod tu omnibus ad fruendum proponis, ſibi proprie vindicat, & ſuum vult eſſe, quod omnium eſt, a communi propellitur ad ſua, hoc eſt a veritate ad mendacium. Qui enim loquitur mendacium, de ſuo loquitur.

3. Attende judex optime Deus, ipſa veritas attende; quid dicam contradictori huic, attende; coram te enim dico, & coram fratribus meis, qui legitime utuntur lege uſque ad finem charitatis: attende, & vide, quid ei dicam, ſi placet tibi. Hanc enim vocem huic refero fraternam, & pacificam. Si ambo videmus verum eſſe, quod dicis, & ambo videmus verum eſſe, quod dico, ubi quæſo id videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me, ſed ambo in ipſa, quæ ſupra mentes noſtras eſt, incommutabili veritate. Cum ergo de ipſa Domini Dei noſtri luce non contendamus, cur de proximi cogitatione contendimus? Quam ſic videre non poſſumus, ut videtur incommutabilis veritas: quando ſi ipſe Moyſes

ſes apparuiſſet nobis, atque dixiſſet, Hoc cogitavi; nec ſic eam videremus, ſed crederemus.

4. Non itaque ſupra, quam ſcriptum eſt, unus pro altero infletur adverſus alterum. Diligamus Dominum Deum noſtrum, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente noſtra, & proximum ſicut noſmetipſos. Propter quæ duo præcepta caritatis, ſenſiſſe Moyſen, quicquid in illis libris ſenſit, niſi crediderimus, mendacem faciemus Deum, cum de animo conſervi, aliter quam ille docuit, opinamur. Jam vide, quam ſtultum ſit, in tanta copia veriſſimarum ſententiarum, quæ de illis verbis erui poſſunt, temere affirmare, quam earum Moyſes potiſſimum ſenſerit, & pernicioſis contentionibus ipſam offendere caritatem, propter quam dixit omnia, cujus dicta conamur exponere.

CAP. XXVI.

Qui ſermo deceat ſcripturam.

1. ET tamen ego, Deus meus, celſitudo humilitatis meæ, & requies laboris mei, qui audis confeſſiones meas, & dimittis peccata mea: quoniam tu mihi præcipis, ut diligam proximum ſicut meipſum: non poſſum minus credere de Moyſe fideliſſimo famulo tuo, quam mihi optarem, ac deſiderarem abs te dari aliquid muneris, ſi tempore illo natus eſſem, quo ille, eoque loci me conſtituiſſes, ut per ſervitutem cordis ac linguæ meæ, litteræ

teræ illæ diſpenſarentur: quæ tanto poſt eſſent omnibus gentibus profuturæ: & per univerſum orbem, tanto auctoritatis culmine, omnium falſarum ſuperbarumque doctrinarum verba ſuperaturæ.

2. Vellem quippe, ſi tunc ego eſſem Moyſes (ex eadem namque maſſa omnes venimus: & quid eſt homo, niſi quia memor es ejus?) vellem ergo, ſi tunc ego eſſem quod ille, & mihi abs te Geneſeos liber ſcribendus injungeretur, talem mihi eloquendi facultatem dari, & eum texendi ſermonis modum: ut neque illi qui nondum queunt intelligere, quemadmodum creat Deus, tanquam excedentia vires ſuas, dicta recuſarent: & illi, qui hoc jam poſſunt, in quamlibet veram ſententiam cogitando veniſſent, eam non prætermiſſam in paucis verbis tui famuli reperirent: & ſi alius aliam vidiſſet in luce veritatis, nec ipſa in iiſdem verbis intelligenda deeſſet.

CAP. XXVII.

Ex fonte melius hauritur.

1. SIcut enim fons in parvo loco uberior eſt, pluribuſque rivis in ampliora ſpatia fluxum miniſtrat, quam quilibet eorum rivorum, quil per multa locorum ſpatia, ab eodem fonte deducitur: ita narratio diſpenſatoris tui, ſermocinaturis pluribus profutura, parvo ſermonis modulo ſcatet fluenta liquidæ veritatis, unde ſibi quiſque verum, quod de his rebus poteſt, hic illud, ille

illud, per longiores loquelarum anfractus trahàt.

2. Alii enim, cum hæc verba legunt vel audiunt, cogitant, Deum quaſi hominem, aut quaſi aliquam molem immenſa præditam poteſtate, novo quodam, & repentino placito, extra ſeipſam tanquam locis diſtantibus, feciſſe cœlum, & terram; duo magna corpora, ſupra & infra, quibus omnia continerentur. Et cum audiunt: Dixit Deus: fiat illud, & factum eſt illud; cogitant verba cœpta, & finita, ſonantia temporibus, atque tranſeuntia, poſt quorum tranſitum ſtatim exiſteret, quod juſſum eſt, ut exiſteret; & ſi quid forte aliud hoc modo ex familiaritate carnis opinantur. In quibus adhuc parvulis animalibus, dum iſto humillimo genere verborum, tanquam materno ſinu eorum geſtatur inſirmitas, ſalubriter ædificatur fides, qua certum habeant, & teneant, Deum feciſſe omnes naturas, quas eorum ſenſus mirabili varietate circumſpicit. Quorum ſi quiſpiam quaſi vilitatem dictorum aſpernatus, extra nutritorias cunas ſuperba imbecillitate ſe extenderit; heu cadet miſere. Domine Deus miſerere, ne implumem pullum conculcent, qui tranſeunt viam: & mitte angelum tuum, qui eum reponat in nido, ut vivat, donec volet.

CAP.

CAP. XXVIII.

Vane intelligitur a diverſis Scriptura.

1. ALii vero, quibus hæc verba non jam nidus, ſed opaca futura ſunt, vident in eis latentes fructus, & volitant lætantes, & garriunt ſcrutantes, & carpunt eos. Vident enim, cum hæc verba legunt, vel audiunt, tua Deus æterna, & ſtabili permanſione cuncta præterita, & futura tempora ſuperari, nec tamen quicquam eſſe temporalis creaturæ, quod tu non feceris. Cujus voluntas, quia idem eſt, quod tu; nullo modo mutata, vel, quæ antea non fuiſſet, exorta voluntate; feciſti omnia; non de re ſimilitudinem tuam formam omnium, ſed de nihilo diſſimilitudinem informemus; quæ formaretur per ſimilitudinem tuam, recurrens in te unum pro captu ordinato, quantum cuique rerum in ſuo genere datum eſt; & fierent omnia bona valde, ſive maneant circa te, ſive gradatim remotiorem diſtantiam per tempora, & loca pulcras narrationes faciant, aut patiantur. Vident hæc, & gaudent in luce veritatis tuæ, quantulum hinc valent.

2. Et alius eorum intendit in id, quod dictum eſt: In principio fecit Deus; & reſpicit ſapientiam principum, quia & loquitur ipſa nobis. Alius itidem intendit in eadem verba, & principium intelligit exordium rerum conditarum: & ſic accipit. In principio fecit; ac ſi diceretur: Primo fecit; atque in eis, qui intelligunt, In principio, quod in ſapientia feciſti cœ-

lum & terram. Alius eorum ipſum cœlum, & terram creabilem materiam cœli, & terræ, ſic eſſe credit cognominatam. Alius jam formatas, diſtinctaſque naturas: Alius unam formatam eandemque ſpiritualem, cœli nomine; aliam informem corporalis materiæ terræ nomine. Qui autem intelligunt in nominibus cœli, & terræ adhuc informem materiem, de qua formaretur cœlum, & terra, nec ipſi uno modo id intelligunt: ſed alius, unde conſumaretur intelligibilis, ſenſibiliſque creatura: alius tantum, unde ſenſibilis moles iſta corporea, ſinu grandi continens perſpicuas, promptaſque naturas. Nec illi uno modo qui jam diſpoſitas, digeſtaſque creaturas, cœlum & terram vocari hoc loco credunt: ſed alius inviſibilem, atque viſibilem: alius ſolam viſibilem, in qua luminoſum cœlum ſuſpicimus; & terram caliginoſam, quæque in eis ſunt.

CAP. XXIX.

Quot modis dicitur aliquid prius.

1. AT ille, qui non aliter accipit, in principio fecit, quam ſi diceretur: primo fecit; non habet, quomodo veraciter intelligat cœlum, & terram, niſi materiam cœli, & terræ intelligat, videlicet univerſæ, ideſt intelligibilis, corporaliſque creaturæ. Si enim jam formatam velit univerſam, recte ab eo quæri poterit. Si hoc primo fecit Deus, quid fecerit deinceps, & poſt univerſitatem? non

non inveniet: ac per hoc audiet invitus. Quomodo illud primo, ſi poſtea nihil? Cum vero dicit, primo informem, deinde formatam, non eſt abſurdum: ſi modo eſt idoneus diſcernere, quid præcedat æternitate, quid tempore, quid electione, quid origine. Æternitate, ſicut Deus omnia: tempore, ſicut flos fructum: electione, ſicut fructus florem; origine, ſicut ſonus cantum. In his quatuor, primum, & ultimum quæ commemoravi, difficillime intelliguntur, duo media facillime. Namque rara viſio eſt, & nimis ardua, conſpicere Domine æternitatem tuam, incommutabiliter mutabilia facientem, ac per hoc priorem.

2. Quis deinde ſic acuto cernat animo ut ſine labore magno dignoſcere valeat, quomodo ſit prior ſonus quam cantus? Ideo quia cantus eſt formatus ſonus, & eſſe utique aliquid non formatum poteſt: formari autem, quod non eſt, non poteſt. Sic eſt prior materies, quam id, quod ex ea fit. Non ideo prior, quia ipſa efficit, cum potius fiat: nec prior intervallo temporis. Neque enim priore tempore ſonos edimus informes ſine cantu, & eos poſteriore tempore in formam cantici coaptamus aut fingimus: ſicut ligna, quibus arca: vel argentum, quo vaſculum fabricatur. Tales quippe materiæ, tempore etiam præcedunt formas rerum, quæ fiunt ex eis. At in cantu, non ita eſt. Cum enim cantatur, auditur ſonus ejus. Non prius informiter ſonat, & deinde formatur in cantum.

3. Quod enim primo utcunque ſonuerit,

præterit, nec ex eo quidquam reperies, quod reſumptum arte componas; & ideo cantus in ſono ſuo vertitur, qui ſonus ejus, materies ejus eſt. Idem quippe formatur, ut cantus ſit: & ideo, ſicut dicebam, prior materies ſonandi quam forma cantandi, non per faciendi potentiam prior. Neque enim ſonus eſt cantandi artifex, ſed cantanti animæ ſubjacet ex corpore, de quo cantum faciat. Nec tempore prior: ſimul enim cum cantu editur. Nec prior electione: non enim potior ſonus, quam cantus: quandoquidem cantus eſt non tantum ſonus, verum etiam ſonus ſpecioſus. Sed prior eſt origine: quia non cantus formatur, ut ſonus ſit; ſed ſonus formatur, ut cantus ſit. Hoc exemplo, qui poteſt, intelligat, materiam rerum primo factam; & appellatam cœlum & terram, quia inde facta ſunt cœlum, & terra: Nec tempore primo factam, quia formæ rerum exerunt tempora: illa autem erat informis, jamque in temporibus ſimul animadvertitur. Nec tamen de illa narrari aliquid poteſt, niſi velut tempore prior ſit, cum pendatur extremior. Quia profecto meliora ſunt formata, quam informia, & præcedunt æternitate creatoris, ut eſſet de nihilo, unde aliquid fieret.

CAP. XXX.

Scrutandæ Scripturæ cum honore ſcriptoris.

1. IN hac diverſitate ſententiarum (verarum), concordiam pariat ipſa Veritas. Et Deus noſter miſereatur noſtri, ut le-

legitime lege utamur, præcepti fine, pura caritate. Ac per hoc, ſi quis quærit ex me, quid horum Moyſes ille tuus famulus ſenſerit, non ſunt hi ſermones confeſſionum mearum, ſi tibi non confiteor. Neſcio, & ſcio tamen illas veras eſſe ſententias, exceptis carnalibus, de quibus, quantum exiſtimavi, locutus ſum. Quos tamen bonæ ſpei parvulos hæc verba libri tui non territant, alta humiliter, & pauca copioſe? Sed omnes, quos in eis verbis vera cernere ac dicere fateor, diligamus nos invicem, pariterque diligamus te Deum noſtrum, fontem veritatis; ſi non vana, ſed ipſam ſitimus: eundemque famulum tuum ſcripturæ hujus diſpenſatorem, ſpiritu tuo plenum, ita honoremus, ut hoc eum, te revelante, cum hæc ſcriberet, attendiſſe credamus, quod in eis maxime, & luce veritatis, & fruge utilitatis, excellit.

CAP. XXXI.

Veritas, a quocumque dicta, recipienda.

1. ITa cum alius dixerit, Hoc ſenſit quod ego, & alius. Immo illud, quod ego: religioſius me arbitror dicere. Cur non utrumque potius, ſi utrumque verum eſt? Et ſi quid tertium, & ſi quid quartum, & ſi quid omnino aliud verum quiſpiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidiſſe credatur, per quem Deus unus ſacras literas vera, & diverſa viſuris multorum ſenſibus temperavit? Ego certe, quod intrepidus de corde meo pronuncio, ſi ad culmen auctoritatis aliquid ſcriberem, ſic

mallem ſcribere, ut quod veri quiſque de his tebus capere poſſet, mea verba reſonarent, quam ut unam veram ſententiam ad hoc apertius ponerem, ut excluderem ceteras, quarum falſitas me non poſſet offendere. Nolo itaque Deus meus tam præceps eſſe, ut hoc illum virum de te meruiſſe non credam. Senſit ille omnino in his verbis, atque cogitavit, cum ea ſcriberet, quicquid hic veri potuimus invenire: & quidquid nos non potuimus, aut nondum poſſumus, & tamen in eis inveniri poteſt.

CAP. XXXII.

Veritas revelata.

1. POſtremo Domine, qui Deus es, & non caro & ſanguis: ſi quid homo minus vidit, nunquid & ſpiritum tnum bonum, qui deducet me in terram rectam, latere potuit, quidquid eras in eis verbis tu ipſe revelaturus legentibus poſteris; etiam ſi ille, per quem dicta ſunt, unam fortaſſis ex multis veris ſententiam cogitavit. Quod ſi ita eſt, ſit igitur iila, quam cogitavit, ceteris excellentior. Nobis autem Domine, aut ipſam demonſtra, aut quam placet alteram veram: ut ſive nobis hoc, quod etiam illi homini tuo, ſive aliud ex eorundem verborum occaſione patefacias, tu tamen paſcas nos, non error illudat.

2. Ecce Domine Deus meus, quam multa de paucis verbis; quam multa, oro te, ſcripſimus? Quæ noſtræ vires, quæ tempora omnibus libris tuis, ad iſtum modum ſufficiant? Sine itaque me brevia in eis confiteri tibi; & eligere unum aliquid,

quid, quod tu inſpiraveris, verum, certum & bonum; etiam ſi multa occurrerint, ubi multa occurrere poterunt, ea fide confeſſionis meæ: ut ſi hoc dixero, quod ſenſit miniſter tuus recte atque optime: id enim conari me oportet. Quod ſi aſſecutus non fuero, id tamen dicam, quod mihi per ejus verba veritas tua dicere voluerit; quæ illi quoque dixit quod voluit.

LIBER XIII.

CAPUT I.

Invocat Deum.

INvoco te Deus meus miſericordia mea, qui feciſti me, & oblitum tui non oblitus es. Invoco te in animam meam: quam præparas ad capiendum te ex deſiderio, quod inſpiras ei: nunc invocantem te ne deſeras: qui priuſquam invocarem, præveniſti: & inſtitiſti crebreſcens multimodis vocibus, ut audirem de longinquo, & converterer, & vocantem me invocarem te. Tu enim Domine deleviſti omnia mala merita mea, ne retribueres manibus meis, in quibus a te defeci: & præveniſti omnia bona merita mea, ut retribueres manibus tuis, quibus me feciſti: quia & priuſquam eſſem, tu eras. Nec eram, cui præſtares, ut eſſem: & tamen ecce ſum, ex bonitate tua præveniente, totum hoc quod me feciſti, & unde me feciſti. Neque enim eguiſti me, aut ego tale bonum ſum, quo tu adjuveris, Domi-

ne meus & Deus meus. Non ut tibi sic serviam, quasi ne fatigeris in agendo: Aut ne minor sit potestas tua carens obsequio meo: Neque ut sic te colam, quasi terram, ut sis incultus, si non te colam. Sed ut serviam tibi, & colam te, ut de te mihi bene sit: a quo mihi est, ut sim, cui bene sit.

CAP. II.

Colimus agrum, & colimus numen: & de ordine creaturarum.

1. EX plenitudine quippe bonitatis tuæ, creatura tua subsistit, ut bonum, quod tibi nihil prodesset, nec de te æquale tibi esset, tamen quia ex te fieri potuit, non deesset. Quod enim te promeruit cœlum & terra: quæ fecisti in principio? Dicant, quid te promeruerunt spirituales corporalesque naturæ, quas fecisti in sapientia tua: ut inde penderent etiam inchoata & informia quæque in genere suo, vel spirituali, vel corporali, cuntia in immoderationem, & in longinquam dissimilitudinem tuam. Spirituale informe præstantius, quam si formatum corpus esset: corporale autem informe præstantius, quam si omnino nihil esset. Atque ita penderent in tuo verbo informia, nisi per idem verbum revocarentur ad unitatem tuam, & formarentur, & essent ab uno te summo bono universa bona valde. Qui te promeruerunt, ut essent saltem informia: quia neque hoc essent, nisi ex te?

2. Quid te promeruit materies corporalis,

lis, ut eſſet ſaltem inviſibilis & incompoſita? Quia neque hoc eſſet, niſi quia feciſti eam: ideoque te, quia non erat, promereri ut eſſet non poterat? Aut quid te promeruit inchoatio creaturæ ſpiritualis, ut ſaltem tenebroſa fluitaret, ſimilis abyſſo, tui diſſimilis, niſi per idem verbum converteretur ad idem, a quo facta eſt; atque ab eo illuminata lux fieret: quamvis non æqualiter, ramen conformis formæ æquali tibi? Sicut enim corpori, non hoc eſt eſſe; quod pulcrum eſſe, alioquin deforme eſſe non poſſet: ita etiam creato ſpiritui, non id eſt vivere, quod ſapienter vivere, alioquin incommutabiliter ſaperet. Bonum autem illi eſt hærere tibi ſemper, ne quod adeptus eſt converſione, averſione lumen amittat, & relabatur in vitam tenebroſæ abyſſo ſimilem. Nam & nos, qui ſecundum animam creatura ſpiritualis ſumus, averſi a te noſtro lumine, in ea vita fuimus aliquando tenebræ: & in reliquiis obſcuritatis noſtræ laboramus, donec ſimus juſtitia tua in unico tuo, ſicut montes Dei. Nam judicia tua fuimus, ſicut abyſſus multa.

CAP. III.

Ex Dei gratia omnia.

1. QUod autem in primis conditionibus dixiſti: Fiat lux, & facta eſt lux: non incongruenter hoc intelligo in creatura ſpirituali: quia erat jam qualiſcunque vita, quam illuminares. Sed

ſicut non te, promeruerat, ut eſſet talis vita, quæ illuminari poſſet: ita nec cum jam eſſet, promeruit te, ut illuminaretur. Neque enim ejus informitas placeret tibi, ſi non lux fieret: non exiſtendo, ſed intuendo illuminantem lucem, eique cohærendo, ut & quod utcunque vivit: & quod beate vivit, non deberet niſi gratiæ tuæ, converſa per commutationem meliorem ad id, quod neque in melius, neque in deterius commutari poteſt. Quod tu ſolus es, quia ſolus ſimpliciter es: cui non eſt aliud vivere, aliud beate vivere, quia tua beatitudo tu es.

CAP. IV.

Deus non eget rebus conditis.

2. QUid ergo tibi deeſſet ad bonum, quod tu tibi es, etiam ſi iſta vel omnino nulla eſſent, vel informia remanerent: quæ non ex indigentia feciſti, ſed ex plenitudine bonitatis tuæ cohibens atque convertens ad formam, non ut tanquam tuum gaudium compleatur ex eis. Perfecto enim tibi diſplicet eorum imperfectio, ut ex te perficiantur, & tibi placeant: non autem imperfecto, tanquam & tu eorum perfectione perficiendus ſis. Spiritus enim tuus bonus ſuperferebatur ſuper aquas, non ferebatur ab eis, tanquam in eis requieſceret. In quibus enim requieſcere dicitur ſpiritus tuus bonus, hos in ſe requieſcere facit. Sed ſuperferebatur incorruptibilis & incommutabilis voluntas tua, ipſa in ſe ſibi ſuf-

ſufficiens ſuper eam, quam feceras, vitam: cui non hoc eſt vivere, quod beate vivere: quia vivit etiam fluitans in obſcuritate ſua: cui reſtat converti ad eum, a quo facta eſt, & magis magiſque vivere apud fontem vitæ, & in lumine ejus videre lumen, & perfici, & illuſtrari, & beari.

CAP. V.

Filius principium.

1. ECce apparet mihi in ænigmate Trinitatis, quod es Deus meus: quoniam tu pater in principio, quod eſt tua ſapientia de te nata, æqualis tibi & coæterna, id eſt, in filio tuo, feciſti cœlum & terram. Et multa diximus de cœlo cœli, & de terra inviſibili & incompoſita, & de abyſſo tenebroſa, ſecundum ſpiritualis informitatis vagabunda deliquia, niſi converteretur ad eum, a quo erat qualiſcunque vita, & illuminatione fieret ſpecioſa vita, & eſſet cœlum cœli ejus, quod inter aquam & aquam poſtea factum eſt. Et tenebam jam patrem in Dei nomine, qui fecit hæc: & filium in Principii nomine, in quo fecit hæc. Et Trinitatem credens Deum meum, ſicuti credebam, quærebam in eloquiis ſanctis ejus, & ecce ſpiritus ejus ſuperferebatur ſuper aquas. Ecce Trinitas Deus meus; Pater & Filius & Spiritus ſanctus, creator univerſæ creaturæ tuæ.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VI.

Spiritus ſuperfuſus aquis.

2. SEd quæ cauſa fuerat, o lumen veridicum? Tibi admoveo cor meum ne me vana doceat, diſcute tenebras ejus & dic mihi, obſecro te per matrem caritatem: obſecro te, dic mihi, quæ cauſa fuerat, ut poſt nominatum cœlum & terram, inviſibilem & incompoſitam, & tenebras ſuper abyſſum: tum demum ſcriptura tua nominaret ſpiritum tuum? An quia oportebat eum ſic inſinuari, ut diceretur ſuperferri: & non poſſet hoc dici, niſi prius illud commemoraretur, cui ſuperferri ſpiritus tuus poſſet intelligi? Nec patri enim nec filio ſuperferebatur: nec ſuperferri recte diceretur, ſi nulli rei ſuperferretur. Prius ergo dicendum erat, cui ſuperferretur, & deinde ille, quem non oportebat aliter commemorari, niſi ut ſuper ferri diceretur. Cur ergo aliter eum inſinuari non oportebat, niſi ut ſuperferri diceretur?

CAP. VII.

Effectus ſpiritus.

1. JAm hinc ſequatur, qui poteſt, intellectu, Apoſtolum tuum dicentem: quia caritas tua diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, & de ſpiritualibus docentem & demonſtrantem ſupereminentem viam

ca-

caritatis, & flectentem genua pro nobis ad te, ut cognoſcamus ſupereminentem ſcientiam caritatis Chriſti. Ideoque ab initio ſupereminens ſuperferebatur ſuper aquas. Cui dicam? Quomodo dicam de pondere cupiditatis in abruptam abyſſum, & de ſublevatione caritatis per ſpiritum tuum, qui ſuperferebatur ſuper aquas? Cui dicam? Quomodo dicam? Neque enim loca ſunt, quibus mergimur, & emergimus. Quid ſimilius & quid diſſimilius? Affectus ſunt, amores ſunt, immunditia ſpiritus noſtri defluens inferius amore curarum: & ſanctitas ſpiritus tui, attollens nos ſuperius amore ſecuritatis, ut ſurſum corda habeamus ad te, ubi ſpiritus tuus ſuperfertur ſuper aquas, & veniamus ad ſupereminentem requiem, cum pertranſierit anima noſtra aquas, quæ ſunt ſine ſubſtantia.

CAP. VIII.

Spiritus fovens animas infirmas.

1. DEfluxit Angelus, defluxit anima hominis, & indicaverunt abyſſum univerſæ ſpirituales creaturæ in profundo tenebroſo. Niſi dixiſſes ab initio: Fiat lux, & facta eſſet lux, & inhæreret tibi omnis obediens intelligentia cæleſtis civitatis tuæ: & requieſceret in ſpiritu tuo, qui ſuperfertur incommutabiliter ſuper omne mutabile. Alioquin & ipſum cęlum cęli tenebroſa abyſſus eſſet in ſe: nunc autem lux eſt in domino. Nam & in ipſa miſera

ſera inquietudine defluentium ſpirituum, & indicantium tenebras ſuas undatas veſte luminis tui, ſatis oſtendis, quam magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo ſufficit ad beatam requiem, quidquid te minus eſt, ac per hoc nec ipſa ſibi. Tu enim Deus noſter illuminabis tenebras noſtras. Ex te enim oriuntur veſtimenta noſtra, & tenebræ noſtræ ſicut meridies erunt.

2. Da mihi te Deus meus, redde te mihi. Te enim amo; & ſi parum eſt, amem validius. Non poſſum metiri, ut ſciam, quantum deſit mihi amoris, ad id quod ſatis eſt, ut currat vita mea in amplexus tuos: nec avertatur, donec abſcondar in abſcondito vultus tui. Hoc tantum ſcio, quia male mihi eſt præter te, non ſolum extra me, ſed & in meipſo: omnis mihi copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt.

CAP. IX.

Cur ſolus ſpiritus feratur ſuper aquas.

1. NUnquid aut pater aut filius non ſuperferebatur ſuper aquas? Si tanquam loco, ſicut corpus; nec Spiritus ſanctus. Si autem incommutabilis divinitatis eminentia ſuper omne mutabile: & Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſuperferebatur ſuper aquas. Cur ergo tantum de ſpiritu tuo dictum eſt hoc? Cur de illo tantum dictum eſt, quaſi locus ibi eſſet, qui non eſt locus: de quo ſolo dictum eſt, quod ſit donum tuum? In dono tuo requieſcemus: ibi te fruemur, requies noſtra, locus noſter.

2. Amor

2. Amor illuc attollit nos, & ſpiritus tuus bonus exaltat humilitatem noſtram de portis mortis. In bona voluntate, pax nobis eſt. Corpus pondere ſuo nititur ad locum ſuum. Pondus non ad ima tantum eſt, ſed ad locum ſuum. Ignis ſurſum tendit, deorſum lapis. Ponderibus ſuis aguntur, loca ſua petunt. Oleum infra aquam fuſum, ſupra aquam attollitur; aqua ſupra oleum fuſa, infra oleum demergitur. Ponderibus ſuis aguntur, loca ſua petunt. Minus ordinata, inquieta ſunt, ordinantur, & quieſcunt. Pondus meum, amor meus: eo feror, quocunque feror. Dono tuo accendimur; & ſurſum ferimur. Inardeſcimus, & imus. Aſcendimus aſcenſiones in corde, & cantamus canticum graduum, igne tuo, igne tuo bono; inardeſcimus, & imus: quoniam ſurſum imus, ad pacem Jeruſalem: quoniam jucundatus ſum in his, quæ dixerunt mihi; In domum Domini ibimus. Ibi nos collocavit voluntas bona, ut nihil velimus aliud, quam permanere illic in æternum.

CAP. X.

Ex dono Dei omnia.

1. BEata creatura, quæ non novit aliud, cum eſſet ipſa aliud, niſi dono tuo, quod ſuperferretur ſuper omne mutabile, mox ut facta eſt attolleretur nullo intervallo temporis, in ea vocatione, qua dixiſti: Fiat lux, & facta eſt lux. In nobis enim diſtinguitur tempore, quod tenebræ fuimus, & lux efficimur. In illa vero

vero dictum est, quid esset, nisi illuminaretur. Et ita dictum est, quasi prius fuerit fluxa, & tenebrosa, ut appareret causa, qua factum est ut aliter esset, id est, ut ad lumen indeficiens conversa lux esset. Qui potest, intelligat: qui non potest, a te petat. Ut quid mihi molestus est, quasi ego illuminem ullum hominem venientem in hunc mundum?

CAP. XI.

Symbola Trinitatis in homine.

1. TRinitatem omnipotentem quis intelligit? Et quis non loquitur eam: si tamen eam? Rara anima, quæ dum de illa loquitur sciat, quid loquatur. Et contendunt & dimicant, & nemo sine pace videt istam visionem. Vellem, ut hæc tria cogitarent homines in seipsis. Longe aliud sunt ista tria, quam illa trinitas. Sed dico, ubi se exerceant: & probent, & sentiant, quam longe sunt. Dico autem hæc tria, esse, nosse, velle. Sum enim, & novi, & volo. Sum sciens: & volens: & scio esse me, & velle: & volo esse & scire. In his igitur tribus quam sit inseparabilis vita, & una vita, & una mens, & una essentia, quam denique inseparabilis distinctio, & tamen distinctio, videat, qui potest. Certe coram se est: attendat in se, & videat, & dicat mihi.

2. Sed cum invenerit in his aliquid, & dixerit: non jam se putet invenisse illud, quod supra ista est incommutabile, quod

est

eſt incommutabiliter, & ſcit incommutabiliter; & vult incommutabiliter. Et utrum propter tria hæc, & ibi trinitas: an in ſingulis hæc tria, aut terna ſingulorum ſint; an utrumque mitis modis ſimpliciter & multipliciter infinito ſibi in ſe fine, quo eſt, & ſibi notum eſt, & ſibi ſufficit incommutabiliter idipſum copioſa unitatis magnitudine, quis facile cogitaverit? quis ullo modo dixerit? quis quolibet modo temere pronunciaverit?

CAP. XII.

Aqua baptiſmi, per ſpiritum efficax.

1. PRocede in confeſſione fides mea, die Domino Deo tuo. Sancte, ſancte, ſancte Domine Deus meus, in nomine tuo baptizati ſumus, Pater & Fili & Spiritus ſancte. In nomine tuo baptizamus, Pater & Fili & Spiritus ſancte: quia & apud nos in Chriſto filio ſuo fecit Deus cœlum & terram, ſpirituales & carnales eccleſiæ ſuæ. Et terra noſtra, antequam acciperet formam doctrinæ, inviſibilis erat & incompoſita, & ignorantiæ tenebris tegebamur, quoniam pro iniquitate erudiſti hominem, & judicia tua ſicut abyſſus multa.

2. Sed quia ſpiritus tuus ſuperferebatur ſuper aquam, non relinquit miſeriam noſtram miſericordia tua, & dixiſti: Fiat lux. Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Pœnitentiam agite, fiat lux. Et quoniam conturbata erat ad nos ipſos anima noſtra, commemorati

ſumus

ſumus tui Domine de terra Jordanis, & de monte æquali tibi, ſed parvo propter nos: & diſplicuerunt nobis tenebræ noſtræ, & converſi ſumus ad te, & facta eſt lux. Et ecce fuimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

CAP. XIII.

Ex ſpiritu, remiſſio peccatorum.

1. ET tamen adhuc per fidem, nondum per ſpem. Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes enim, quæ videtur, non eſt ſpes. Adhuc abyſſus abyſſum invocat, ſed jam in voce cataractarum tuarum. Adhuc & ille, qui dicit: Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: etiam ipſe nondum ſe arbitratur comprehendiſſe: & quæ tetro oblitus, in ea quæ ante ſunt, extenditur: & ingemiſcit gravatus, & ſitit anima ejus ad Deum vivum, quemadmodum cervus ad fontes aquarum, & dicit: Quando veniam? habitaculum ſuum, quod de cœlo eſt ſuperindui cupiens, & invocat inferiorem abyſſum, dicens: Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate mentis veſtræ. Et nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote, ut ſenſibus perfecti ſitis.

2. Et, o ſtulti Galatæ, quis vos faſcinavit? Sed jam non in voce ſua: in tua enim, qui miſiſti ſpiritum tuum de excelſis, per eum qui abſcondit in altum & aperit cataractas donorum ſuorum, ut flumi-

minis impetus lætificaret civitatem tuam. Illi enim ſuſpirat ſponſi amicus, habens jam ſpiritus primitias penes eum, ſed adhuc in ſemetipſo ingemiſcens, adoptionem expectans, redemptionem corporis ſui, illi ſuſpirat. Membrum eſt enim ſponſæ, & illi zelat: amicus eſt enim ſponſi, illi zelat, non ſibi; quia in voce cataractarum tuarum, non in voce ſua invocat alteram abyſſum: cui zelans timet, ne ſicut ſerpens Evam decepit aſtutia ſua, ſic & eorum ſenſus corrumpantur a caſtitate, quæ eſt in ſponſo noſtro unico tuo. Quæ eſt illa ſpeciei lux; cum videbimus eum, ſicuti eſt, & tranſierint lacrymæ, quæ mihi factæ ſunt panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt Deus tuus?

CAP. XIV.

Fide & ſpe corroboramur.

1. ET ego dico. Deus meus, ubi es? Ecce, ubi es? Reſpiro in te paululum, cum effundo ſuper me animam meam in voce exultationis & confeſſionis ſoni feſtivitatem celebrantis. Et adhuc triſtis eſt, quia relabitur, & fit abyſſus: vel potius, ſentit adhuc ſe eſſe abyſſum. Dicit ei fides mea, quam accendiſti in nocte, ante pedes meos. Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Domino: Lucerna pedibus tuis verbum ejus: Spera & perſervera, donec tranſeat nox mater iniquorum, donec tranſeat ira Domini: cujus filii & nos fuimus aliquando tenebræ: quarum reſidua trahimus

in

in corpore propter peccatum mortuo : donec aſpiret dies, & removeantur umbræ.

2. Spera in Domino. Mane aſtabo tibi : & contemplabor ; ſemper confitebor illi. Mane aſtabo, & videbo ſalutare vultus mei, Deum meum : qui vivificavit & mortalia corpora noſtra, propter ſpiritum, qui habitat in nobis, quia ſuper interius noſtrum tenebroſum & fluidum, miſericorditer ſuperferebatur. Unde in hac peregrinatione pignus accepimus, ut jam ſimus lux, dum adhuc ſpe ſalvi facti ſumus, & filii lucis, & filii diei, non filii noctis neque tenebrarum, quod tamen fuimus. Inter quos & nos, in iſto adhuc incerto humanæ notitiæ, tu ſolus, dividis, qui probas corda noſtra : & vocas lucem diem, & tenebras noctem. Quis enim nos diſcernit, niſi tu ? Quid autem habemus, quod non accepimus a te ? Ex eadem maſſa vaſa in honorem, ex qua ſunt & alia facta in contumeliam.

CAP. XV.

Voce firmamenti ſcriptura intelligitur.

1. AUt quis, niſi tu Deus noſter, feciſti nobis firmamentum auctoritatis ſuper nos de ſcriptura tua divina? Cælum enim plicabitur, ut liber : & nunc, ſicut pellis, extenditur ſuper nos. Sublimioris enim auctoritatis eſt tua divina ſcriptura, cum jam obierint iſtam mortem illi mortales, per quos eam diſpenſaſti nobis. Et tu ſcis Domine, tu ſcis, quem-

quemadmodum pellibus indueris homines, cum peccato mortales fierent. Unde ſicut pellem extendiſti firmamentum libri tui, concordes utique ſermones tuos, quos per mortalium miniſterium ſuper poſuiſti nobis. Namque ipſa eorum morte ſolidamentum auctoritatis in eloquiis tuis per eos editis, ſublimiter extenditur ſuper omnia, quæ ſubter ſunt. Quod cum hic viverent, non ita ſublimiter extentum erat. Nondum ſicut pellem cælum extenderas, nondum mortis eorum famam uſquequaque dilataveras.

2. Videamus Domine cælos, opera digitorum tuorum, differena oculis noſtris nubilum quo ſubtexiſti eos. Ibi eſt teſtimonium tuum, ſapientiam præſtans parvulis. Perfice Deus meus laudem tuam ex ore infantium & lactentium. Neque enim novimus alios libros, ita deſtruentes ſuperbiam, ita deſtruentes inimicum & defenſorem, reſiſtentem reconciliationi tuæ, defendendo peccata ſua. Non novi Domine, non novi alia tam caſta eloquia, quæ ſic mihi perſuaderent confeſſionem, & lenirent cervicem meam jugo tuo, & invitaren colere te gratis. Intelligam ea pater bone: da mihi hæc ſubterpoſito quia ſubterpoſitis ſolidaſti ea.

3. Sunt aliæ aquæ, ſuper hoc firmamentum, credo immortales, & a terrena corruptione ſecretæ. Laudent nomen tuum, laudent te ſuper cæleſtes populi angelorum tuorum: qui non opus habent ſuſcipere firmamentum hoc, & legendo cognoſcere verbum tuum, Vident enim faciem tuam

tuam ſemper, & ibi legunt ſine ſyllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua. Legunt, eligunt, & diligunt: ſemper legunt, & nunquam præterit, quod legunt. Eligendo enim & diligendo, legunt ipſam incommutabilitatem conſilii tui. Non clauditur codex eorum, nec plicabitur liber eorum; quia tu ipſe illis hoc es, & es in æternum. Quia ſuper hoc firmamentum ordinaſti eos, quod firmaſti ſuper infirmitatem inferiorum populorum: ubi ſuſciperent & cognoſcerent miſericordiam tuam, temporaliter enunciantem te, qui feciſti tempora. In cœlo enim Domine miſericordia tua, & veritas tua uſque ad nubes. Tranſeunt nubes: cœlum autem manet. Tranſeunt prædicatores verbi tui, ex hac vita in aliam vitam; ſcriptura vero tua uſque in finem ſeculi, ſuper populos extenditur.

4. Sed & cœlum & terra tranſibunt; ſermones autem tui non tranſibunt; Quoniam & pellis plicabitur: & fœnum, ſuper quod extendebatur, cum claritate ſua præteriet: Verbum autem tuum manet in æternum; Quod nunc in ænigmate nubium, & per ſpeculum cœli: non ſicuti eſt, apparet nobis: quia & nos quamvis filio tuo dilecti ſimus, nondum apparuit, quod erimus. Attendit per retia carnis, & blanditus eſt, & inflammavit, & currimus poſt odorem ejus. Sed cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. Sicuti eſt Domine, videre noſtrum, quod nondum eſt, da nobis.

CAP.

Digitized by Go

CAP. XVI.

Deus immutabilis.

1. NAm ſicut omnino tu es, tu ſcis ſolus qui es incommutabiliter, & ſcis incommutabiliter, & vis incommutabiliter. Et eſſentia tua ſcit & vult incommutabiliter. Et ſcientia tua eſt & vult incommutabiliter, & voluntas tua eſt & ſcit incommutabiliter. Nec videtur juſtum eſſe coram te, ut quemadmodum ſe ſcit lumen incommutabile, ita ſciatur ab illuminato commutabili. Ideoque anima mea, ſicut terra ſine aqua tibi; quia ſicut illuminare de ſe non poteſt, ita ſe ſatiare de ſe non poteſt. Sic enim apud te fons vitæ, quomodo in lumine tuo videbimus lumen.

CAP. XVII.

Quid arida, Quid mare.

1. QUis congregavit amaricantes in ſocietatem unam? Idem nanque illis finis eſt temporalis & terrenæ felicitatis, propter quam faciunt omnia, quamvis innumerabili varietate curarum fluctuent. Quis Domine, niſi tu, qui dixiſti, ut congregarentur aquæ in congregationem unam, & appareret arida ſitiens tibi? Quoniam tuum eſt mare, & tu feciſti illud, & aridam terram manus tuæ formaverunt. Neque enim amaritudo voluntatum, ſed congregatio aquarum vocatur mare. Tu enim coerces etiam malas cupiditates animarum; & fi-

gis limites quousque progredi sinantur aquæ, ut in se comminuantur fluctus earum: atque ita facis mare ordine imperii tui super omnia.

2. At animas sitientes tibi, & apparentes tibi, alio fine distinctas a societate maris, occulto & dulci fonte, irrigas: ut & terra det fructum suum, & te jubente Domino Deo suo germinet anima nostra opera misericordiæ secundum genus, diligens proximum in subsidiis necessitatum carnalium habens in se semen secundum similitudinem. Quoniam ex nostra infirmitate compatimur ad subveniendum indigentibus: similiter opitulantes, quemadmodum nobis vellemus opem ferri, si eodem modo indigeremus. Non tantum in facilibus, tanquam in herba seminali, sed etiam in protectione, adjutorii forti robore, sicut lignum fructiferum: id est, beneficium ad eripiendum eum, qui injuriam patitur, de manu potentis: & præbendo protectionis umbraculum, valido robore justi judicii.

CAP. XVIII.

Orat ut oriatur de terra veritas, & justitia de cœlo respiciat.

1. ITa Domine, ita oro te, oriatur sicuti facis, sicuti das hilaritatem & facultatem; oriatur de terra veritas, & justitia de cœlo respiciat, & fiant in firmamento luminaria. Frangamus esurienti panem nostrum: & egenum sine tecto, inducamus in domum nostram. Nudum vestiamus, & domesticos seminis nostri non despiciamus. Quibus in terra natis fructibus, vide,

de, quia bonum eſt: & erumpat temporanea lux noſtra: & de iſta inferiori fruge actionis, in delicias contemplationis verbum vitæ ſuperius obtinentes, appareamus ſicut luminaria in mundo, cohærentes firmamento ſcripturæ tuæ. Ibi enim nobiſcum diſputas, ut dividamus inter intelligibilia & ſenſibilia, tanquam inter diem & noctem, vel inter animas, alias intelligibilibus, alias ſenſibilibus deditas: ut jam non tu ſolus in abdito dijudicationis tuæ, ſicut antequam fieret firmamentum, dividas inter lucem & tenebras: ſed etiam ſpirituales tui, in eodem firmamento poſiti atque diſtincti, manifeſtata per orbem gratia tua, luceant ſuper terram, & dividant inter diem & noctem, & ſignificent tempora, quia vetera tranſierunt: & ecce facta ſunt nova.

2. Et quia propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus, & quia nox præceſſit, dies autem appropinquavit, & quia benedices coronam anni tui, mittens operarios in meſſem tuam, in qua ſeminanda alii laboraverunt, mittens etiam in aliam ſementem: cujus meſſis in fine eſt: Ita das vitam optanti, & benedicis annos juſti. Tu autem idem ipſe es: & in annis tuis, qui non deficiunt, ortum præparas annis tranſeuntibus.

3. Æterno quippe conſilio, propriis temporibus bona cęleſtia das ſuper terram. Quoniam quidem alii datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, tanquam luminare majus, propter eos, qui perſpicuæ veritatis luce delectantur, tanquam in principio diei. Alii autem ſermo ſcientiæ ſecun-

dum eundem ſpiritum, tanquam luminare minus: Alii fides: alii donatio curationum: alii operationes virtutum: alii prophetia: alii dijudicatio ſpirituum: alii genera linguarum: & hæc omnia tanquam ſtellæ. Omnia enim hæc operatur unus atque idem ſpiritus, dividens propria unicuique, prout vult, & faciens apparere ſidera in manifeſtatione: ad utilitatem.

4. Sermo autem ſcientiæ, qua continentur omnia ſacramenta, quæ variantur temporibus tanquam luna, & ceteræ notitiæ donorum, quæ deinceps tanquam ſtellæ commemoratæ ſunt; quantum differunt ab illo candore ſapientiæ, quo gaudet prædictus dies? tanquam in principio noctis ſunt. His enim ſunt neceſſaria, quibus ille prudentiſſimus ſervus tuus non potuit loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, ille, qui & ſapientiam loquitur inter perfectos. Animalis autem homo, tanquam parvulus in Chriſto, lacteiſque potator, donec roboretur ad ſolidum cibum, & aciem firmet ad ſolis aſpectum, non habeat deſertam noctem ſuam; ſed luce lunæ ſtellarumque contentus ſit. Hæc nobiſcum diſputas ſapientiſſime Deus noſter, in libro tuo firmamento tuo: ut diſcernamus omnia contemplatione mirabili, quamvis adhuc in ſignis, & in temporibus, & in diebus, & in annis.

CAP. XIX.

Pectus purgandum vitiis, quo capax ſit virtutum.

1. SEd prius lavamini, mundi eſtote, auferte nequitiam ab animis veſtris, at-

atque a conſpectu oculorum meorum, ut appareat arida. Diſcite bonum facere, judicate pupillos, & juſtificate viduam: ut germinet terra herbam pabuli, & lignum fructiferum: & venite: diſputemus, dicit dominus, ut fiant luminaria in firmamento cœli, & luceant ſuper terram. Quærebat dives ille a magiſtro bono, quid faceret, ut vitam æternam conſequeretur? Dicat ei magiſter bonus, quem putabat hominem, & nihil amplius. Bonus eſt autem, quia Deus eſt. Dicat ei, ut ſi vult venire ad vitam, ſervet mandata. Separet a ſe amaritudinem malitiæ, atque nequitiæ; non occidat, non mœchetur, non furetur, non falſum teſtimonium dicat: ut appareat arida: & germinet honorem patris & matris, & dilectionem proximi. Feci inquit, hæc omnia.

2. Unde ergo tantæ ſpinæ, ſi terra fructifera eſt? Vade, extirpa ſylvoſa dumeta avaritiæ: Vende, quæ poſſides, & implere frugibus dando pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis: & ſequere dominum, ſi vis eſſe perfectus, eis ſociatus, inter quos loquitur ſapientiam ille, qui novit, quid diſtribuat diei & nocti, ut noris & tu, ut fiant & tibi luminaria in firmamento cœli. Quod non fiet, niſi fuerit illic cor tuum. Quod item non fiet, niſi fuerit illic theſaurus tuus, ſicut audiſti a magiſtro bono. Sed contriſtata eſt terra ſterilis, & ſpinæ ſuffocaverunt verbum.

3. Vos autem genus electum, infirma mundi; qui dimiſiſtis omnia, ut ſequeremini dominum, ite poſt eum, & confundite fortia. Ite poſt eum ſpecioſi pe-

des, & lucete in firmamento : ut cœli enarrent gloriam ejus, dividentes inter lucem perfectorum, ſed nondum ſicut angelorum, & tenebras parvulorum, ſed non deſpectorum. Lucete ſuper omnem terram : & dies ſole candens, eructet diei verbum ſapientiæ : & nox luna lucens, annunciet nocti verbum ſcientiæ. Luna & ſtellæ nocte lucent, ſed nox non obſcurat eas, quoniam illæ illuminant eam pro modulo ejus. Ecce enim, tanquam Deo dicente: Fiant luminaria in firmamento cœli : factus eſt ſubito de cœlo ſonus, quaſi ferretur flatus vehemens, & viſæ ſunt linguæ diviſæ quaſi ignis: qui & inſedit ſuper unumquemque illorum : & facta ſunt luminaria in firmamento cœli, verbum vitæ habentia; Ubique diſcurrite, ignes ſancti, ignes decori. Vos enim eſtis lumen mundi, nec eſtis ſub modio. Exaltatus eſt, cui adhæſiſtis, & exaltavit vos. Diſcurrite, & innoteſcite omnibus gentibus.

CAP. XX.

Creatio ſpiritualis virtutum.

1. COncipiat & mare, & pariat opera veſtra : & producant aquæ reptilia animarum vivarum. Separantes enim pretioſum a vili, facti eſtis os Dei, per quos diceret; Producant aquæ non animam vivam, quam terra producit : ſed reptilia animarum vivarum, & volatilia volantia ſuper terram. Repſerunt enim ſacramenta tua Deus, per opera ſanctorum tuo-

tuorum, inter medios fluctus tentationum ſæculi, ad imbuendas gentes nomini tuo, in baptiſmo tuo. Et inter hæc, facta ſunt magnalia mirabilia, tanquam cete grandia, & voces nunciorum tuorum volitantes ſuper terram, juxta firmamentum libri tui, propoſito illo ſibi ad auctoritatem, ſub qua volitarent, quocunque irent. Neque enim ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. Quando in omnem terram exiit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, quoniam tu Domine benedicendo multiplicaſti hæc.

2. Nunquid mentior, aut mixtione miſceo, neque diſtinguo lucidas cognitiones harum rerum in firmamento cœli, & opera corporalia in undoſo mari, & ſub firmamento cęli? Quarum enim rerum notitiæ ſunt ſolidæ & terminatæ ſine incrementis generationum, tanquam lumina ſapientiæ & ſcientiæ, earundem rerum ſunt operationes corporales multæ ac variæ; & aliud ex alio creſcendo, multiplicatur in benedictione tua Deus, qui conſolatus es faſtidia ſenſuum mortalium; ut in cognitione animi, res una multis modis per corporis motiones figuretur, atque dicatur, Aquæ produxerunt hæc: ſed in verbo tuo neceſſitates alienatorum ab æternitate veritatis tuæ populorum produxerunt hæc, ſed in evangelio tuo. Quoniam ipſæ aquæ iſta ejecerunt, quarum amarus languor fuit cauſa, in tuo verbo iſta procederent.

3. Et pulcra ſunt omnia, faciente te, & ecce tu inenarrabiliter pulcrior, qui

feciſti omnia. A quo ſi non eſſet lapſus Adam, non diffunderetur ex utero ejus ſalſugo maris, genus humanum profunde curioſum, & procelloſe tumidum, & inſtabiliter fluidum. Atque ita non opus eſſet, ut in aquis multis corporaliter & ſenſibiliter operarentur diſpenſatores tui myſtica facta & dicta. Sic enim nunc mihi occurrerunt reptilia & volatilia, quibus imbuti & initiati homines, corporalibus ſacramentis ſubditi, non ultra proficerent, niſi ſpiritualiter reviviſceret anima gradu alio, & poſt initii verbum in conſummationem reſpiceret.

CAP. XXI.

Allegorica interpretatio avium, & piſcium, & ceterorum animantium.

1. AC per hoc in verbo tuo non maris profunditas, ſed ab aquarum amaritudine terra diſcreta, ejicit, non reptilia animarum vivarum & volatilia, ſed aoimam vivam. Neque enim jam opus habet baptiſmo, quo gentibus opus eſt; ſicut opus habebat, cum aquis tegeretur. Non enim intratur aliter in regnum cœlorum ex illo, quo inſtituiſti, ut ſic intretur: nec magnalia quærit mirabilium, quibus fiat fides. Neque enim, niſi ſigna & prodigia viderit, non credit: cum jam diſtincta ſit terra fidelis, ab aquis maris infidelitate amaris, & linguæ in ſignum ſunt, non fidelibus ſed infidelibus. Nec iſto igitur genere volatili, quod verbo tuo produxerunt aquæ, opus habet terra, quam fundaſti ſupra aquas. *Immitte* in ea verbum tuum, per nuncios tuos.

Ope-

Opera enim eorum narramus: ſed tu es, qui operaris in eis, ut operentur animam vivam.

2. Terra producit eam, quia terra cauſa eſt, ut hæc agant in ea: ſicut mare fuit cauſa, ut agerent reptilia animarum vivarum: & volatilia ſub firmamento cœli, quibus jam terra non indiget: quamvis piſcem manducet, levatum de profundo, in ea menſa, quam paraſti in conſpectu credentium. Ideo enim de profundo levatus eſt, ut alat aridam: & avis marina progenies, ſed tamen ſuper terram multiplicatur. Primarum enim vocum evangelizantium infidelitas hominum cauſa extitit; ſed & fideles exhortantur, & benedicunt eis multipliciter de die in diem. At vero anima viva, de terra ſumpſit exordium: quia non prodeſt jam niſi fidelibus, continere ſe ab amore hujus ſeculi, ut anima eorum tibi vivat, quæ mortua erat, in deliciis vivens, deliciis Domine mortiferis: nam tu puri cordis vitales deliciæ.

3. Operentur ergo jam in terra miniſtri tui, non ſicut in aquis infidelitatis, annunciando & loquendo per miracula & ſacramenta & voces myſticas; ubi intenta ſit ignorantia mater admirationis, in timore occultorum ſignorum. Talis enim eſt introitus ad fidem filiis Adam oblitis tui, dum abſcondunt ſe a facie tua; & fiunt abyſſus. Sed operentur etiam ſicut in arida: diſcreta a gurgitibus abyſſi: & ſint forma fidelibus, vivendo coram eis, & excitando ad imitationem. Sic enim non tantum ad audiendum, ſed etiam ad

faciendum audiunt. Quærite dominum, & vivet anima veſtra, ut producat terra animam viventem. Nolite conformari huic ſæculo; continete vos ab eo, & vitando vivet anima quę appetendo moritur.

4. Continete vos ab immani feritate ſuperbiæ, ab inerti voluptate luxuriæ, & a fallaci nomine ſcientiæ: ut ſint beſtiæ manſuetæ, & pecora edomita, & innoxii ſerpentes. Motus enim animæ ſunt iſti in allegoria. Scilicet faſtus elationis, & delectatio libidinis, & venenum curioſitatis, motus ſunt animæ mortuæ: Quia non ita moritur, ut omni motu careat; quoniam diſcedendo a fonte vitæ, moritur: atque ita ſuſcipitur a prætereunte ſeculo, & conformatur ei. Verbum autem tuum Deus, fons vitæ æternæ eſt, & non præterit: ideoque in verbo tuo cohibetur ille diſceſſus dum dicitur nobis: Nolite conformari huic ſeculo: ut producat terra in fonte vitæ animam viventem, in verbo tuo per Evangeliſtas tuos animam continentem, imitando imitatores Chriſti tui. Hoc eſt enim, ſecundum genus, quoniam æmulatio viri ab amico eſt. Eſtote, inquit, ſicut ego: quia & ego, ſicut vos. Ita erunt in anima viva beſtiæ bonæ in manſuetudine actionis. Mandaſti enim, dicens; In manſuetudine opera tua perfice; & ab omni homine diligeris.

5. Et pecora bona, neque ſi manducaverint, abundantia; neque, ſi non manducaverint, egentia, & ſerpentes boni, non pernicioſi ad nocendum, ſed aſtuti ad cavendum; & tantum explorantes tempo-

po-

poralem naturam, quantum ſufficit, ut per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciatur æternitas. Serviunt enim rationi hæc animalia, cum a progreſſu mortifero cohibita vivunt, & bona ſunt.

CAP. XXII.

Renaſcentia ſpiritus.

1. ECce enim Domine Deus noſter, creator noſter: cum cohibitæ fuerint affectiones ab amore ſeculi, quibus moriebamur male vivendo: & coeperit eſſe anima vivens bene vivendo; completumque fuerit verbum tuum, quod per Apoſtolum tuum dixiſti; Nolite conformari huic ſeculo; non ſequitur & illud, quod adjunxiſti ſtatim & dixiſti: Sed reformamini, in novitate mentis veſtræ non jam ſecundum genus, tanquam imitantes præcedentem proximum, nec ex hominis melioris auctoritate viventes. Neque enim dixiſti: Fiat homo ſecundum genus: ſed, Faciamus hominem, ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; ut nos probemus, quæ ſit voluntas tua.

2. Ad hoc enim ille diſpenſator tuus generans per evangelium filios, ne ſemper parvulos haberet, quos lacte nutriret, & tanquam nutrix foveret; Reformamini, inquit, in novitate mentis veſtræ, ad probandum quæ ſit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum & perfectum. Ideoque non dicis: Fiat homo; ſed, Faciamus hominem. Nec dicis, Secundum

genus ſed, ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Mente quippe renovatus, & conſpiciens intellectam veritatem tuam, homine demonſtratore non indiget, ut ſuum genus imitetur: ſed demonſtrante te probat ipſe, quæ ſit voluntas tua, quod bonum & beneplacitum & perfectum; & doces eum jam capacem videre trinitatem unitatis, & unitatem trinitatis. Ideoque pluraliter dicto, Faciamus hominem: ſingulariter tamen infertur: Et fecit Deus hominem; & pluraliter dicto, Ad imaginem noſtram: ſingulariter tamen infertur, Ad imaginem Dei [1]. Ita homo renovatur in agnitionem Dei ſecundum imaginem ejus, qui creavit eum. Et ſpiritualis effectus judicat omnia, quæ utique judicanda ſunt, ipſe autem a nemine judicatur.

CAP. XXIII.

Chriſtianus de quibus judicet.

1. QUod autem judicat omnia, hoc eſt; quod habet poteſtatem piſcium maris, & volatilium cœli, & omnium pecorum & ferarum, & omnis terræ, & omnium repentium, quæ repunt ſuper terram. Hoc enim agit per mentis intellectum, per quem percipit, quæ ſunt ſpiritus Dei. Alioqui, homo in honore poſitus, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſenſatis: & ſimilis factus eſt illis. Ergo in eccleſia tua Deus noſter ſecundum gratiam tuam, quam dediſti ei, quoniam tuum ſumus figmentum, creati in operibus bonis, non ſolum qui ſpiritualiter præſunt, ſed etiam hi,

hi, qui ſpiritualiter ſubduntur eis qui præſunt. Maſculum enim & fœminam feciſti hominem, hoc modo; in gratia tua ſpirituali: ubi ſecundum ſexum corporis, non eſt maſculus & fœmina: quia neque Judæus, neque Græcus; neque ſervus, neque liber.

2. Spirituales ergo, ſive qui præſunt, ſive qui obtemperant, ſpiritualiter judicant: Non de cogitationibus ſpiritualibus, quæ lucent in firmamento. Non enim oportet de tam ſublimi autoritate judicare. Neque etiam de ipſo libro tuo etiam ſi quid ibi non lucet: quoniam ſubmittimus ei noſtrum intellectum; certumque habemus etiam, quod clauſum eſt aſpectibus noſtris recte veraciterque dictum eſſe. Sic enim homo, licet jam ſpiritualis & renovatus in agnitionem Dei, ſecundum imaginem ejus, qui creavit eum: factor tamen legis debet eſſe: non judex. Neque de illa diſtinctione judicat, ſpiritualium videlicet atque carnalium hominum, qui tuis Deus noſter oculis noti ſunt, & nullis adhuc nobis apparuerunt operibus, ut ex fructibus eorum cognoſcamus eos; ſed tu Domine jam ſcis eos, & diviſiſti, & vocaſti in occulto, antequam fieret firmamentum: Neque de turbidis hujus ſeculi populis, tanquam ſpiritualis homo judicat.

3. Quid enim de his, quæ foris ſunt, judicari ignoranti, quis inde venturus ſit in dulcedinem gratiæ tuæ, & quis in perpetua impietatis amaritudine remanſurus? Ideoque homo, quem feciſti ad imaginem tuam, non accepit poteſtatem luminarium cœli; neque ipſius occulti cœli: neque

diei

diei & noctis, quæ ante cœli constitutionem vocasti; neque congregationis aquarum, quod est mare: sed accepit potestatem piscium maris, & volatilium cœli, & omnium pecorum, & omnis terræ, & omnium repentium, quæ repunt super terram. Judicat enim & approbat, quod recte: improbat autem, quod perperam invenerit: Sive in ea solemnitate sacramentorum, quibus initiantur, quos pervestigat in aquis multis misericordia tua; sive in ea, qua ille piscis exhibetur, quem levatum de profundo terra pia comedit: Sive in verborum signis vocibusque subjectis auctoritati libri tui, quam sub firmamento volitantibus, interpretando, exponendo, differendo, disputando, benedicendo, atque invocando te ore, erumpentibus atque sonantibus signis, ut respondeat populus, Amen.

4. Quibus omnibus vocibus corporaliter enunciandis, causa est abyssus seculi, & cæcitas carnis, quæ cogitata non possunt videri: ut opus sit instrepere in auribus. Ita quamvis multiplicentur volatilia super terram, ex aquis tamen originem ducunt. Judicat etiam spiritualis, approbando quod rectum: improbando autem, quod perperam invenerit in operibus moribusque fidelium & eleemosynis, tanquam terra fructifera, & de anima viva mansuefactis affectionibus, in castitate, in jejuniis, in cogitationibus piis de his quæ per sensus corporis percipiuntur. De his enim judicare nunc dicitur, in quibus & potestatem corrigendi habet.

CAP.

CAP. XXIV.

Quare Deus benedixerit homini, & piſcibus, & volatilibus, & non aliis creaturis.

SEd quid eſt hoc, & quale myſterium eſt? Ecce benedicis homines, o Domine, ut creſcant & multiplicentur: & impleant terram. Nihilne nobis ex hoc innuis, ut intelligamus aliquid? cur non ita benedixeris lucem, quam vocaſti diem: nec firmamentum cœli: nec luminaria: nec ſidera: nec terram: nec mare? Dicerem, te Deus noſter, qui nos ad imaginem tuam creaſti, dicerem, te hoc donum benedictionis, homini proprie voluiſſe largiri: niſi hoc modo benedixiſſes piſces, & cetos, ut creſcerent & multiplicarentur, & implerent aquas maris, & volatilia multiplicarentur ſuper terram. Item, dicerem, ad ea rerum genera pertinere benedictionem hanc, quæ gignendo ex ſemetipſis propagantur, ſi eam non reperirem in arbuſtis, & frutetis, & in pecoribus terræ. Nunc autem nec herbis & lignis dictum eſt, nec beſtiis & ſerpentibus: Creſcite & multiplicamini: cum hæc quoque omnia, ſicut piſces, & aves, & homines, gignendo augeantur, genuſque cuſtodiant.

2. Quid igitur dicam, lumen meum veritas? quia vacat hoc? quia inaniter ita dictum eſt? Nequaquam, pater pietatis: abſit ut hoc dicat ſervus verbi tui. Et ſi ego non intelligo, quid hoc eloquium ſignificet, utantur eo melius meliores, id eſt, intelligentiores, quam eo ſum, unicuique quantum ſapere dediſti, Deus meus pla-

placeat autem & confeſſio mea coram oculis tuis: quia tibi confiteor, credere me Domine, non in caſſum te ita locutum: neque ſilebo, quod mihi lectionis hujus occaſio ſuggerit.

3. Verum eſt enim, nec video, quid impediat ita me ſentire dicta figurata librorum tuorum. Novi enim multipliciter ſignificari per corpus, quod uno modo mente intelligitur, & multipliciter mente intelligi, quod uno modo per corpus ſignificatur. Ecce ſimplex dilectio Dei & proximi, quam multiplicibus ſacramentis, & innumerabilibus linguis & in unaquaque lingua innumerabilibus locutionum modis, corporaliter enunciatur! ita creſcunt & multiplicantur fætus aquarum. Attende iterum, quiſquis hæc legis. Ecce, quod uno modo ſcriptura effert, & vox perſonat: In principio fecit Deus cœlum & terram: nonne multipliciter intelligitur, non errorum fallacia, ſed verarum intelligentiarum generibus? Ita creſcunt & multiplicantur fætus hominum.

4. Itaque, ſi naturas ipſas rerum non allegorice, ſed proprie cogitemus, ad omnia, quæ de ſeminibus gignuntur, convenit verbum: Creſcite & multiplicamini: Si autem figurate poſita iſta tractemus, quod potius arbitror intendiſſe ſcripturam, quæ utique non ſupervacue ſolis aquatilium & hominum fœtibus iſtam benedictionem attribuit: invenimus quidem multitudines & in creaturis ſpiritualibus atque corporalibus tanquam in cœlo & in terra: & in animis juſtis & iniquis, tanquam in luce & in tenebris: & in ſanctis

auto-

Digitized by Google

autoribus, per quos lux miniſtrata eſt, tanquam in firmamento, quod ſolidatum eſt inter aquam & aquam,& in ſocietate amaricantium populorum,tanquam in mari:& in ſtudio animarum piarum, tanquam in arida, & in operibus miſericordiæ ſecundum præſentem vitam, tanquam in herbis ſeminalibus & lignis fructiferis: & in ſpiritualibus donis manifeſtatis ad utilitatem,ſicut in luminaribus cęli: & in affectibus formatis ad temperantiam tanquam in anima viva. In his omnibus manciſcimur multitudines,& ubertates,& incrementa.

5. Sed quod ita creſcat & multiplicatur, ut una res multis modis intelligatur & enuncietur, & una enunciatio multis modis intelligatur: non invenimus, niſi in ſignis corporaliter editis, & rebus intelligibiliter excogitatis. Signa corporaliter edita, generationes aquarum propter neceſſarias cauſas carnalis profunditatis; res autem intelligibiliter excogitatas, generationes humanas, propter rationis fæcunditatem, intelligimus. Et ideo credimus utrique horum generi, dictum eſſe abs te Domine: Creſcite & multiplicamini. In hac enim benedictione, conceſſam nobis a te poteſtatem & facultatem accipio: & multis modis enunciare, quod uno modo intellectum tenuerimus: & multis modis intelligere, quod obſcure uno modo enunciatum legerimus. Sic implentur aquæ maris, quæ non moventur, niſi a variis ſignificationibus; ſic & fætibus humanis impletur & terra, cujus ariditas apparet in ſtudio, & dominatur ei ratio.

CAP.

CAP. XXV.

Fructus terræ, allegorice sunt officia pietatis.

1. VOlo etiam dicere, Domine Deus meus, quod me consequens tua scriptura commonet; & dicam, nec verebor. Verum enim dicant, te mihi inspirante, quod ex eis voluisti ut dicerem. Neque enim alio, præter te, inspirante, credo me verum dicere, cum tu sis veritas, omnis autem homo mendax. Et ideo, qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Ergo, ut verum loquar, de tuo loquar. Ecce dedisti nobis in escam omne fœnum sativum: seminant semen, quod est super omnem terram: & omne lignum, quod habet in se fructum seminis sativi. Nec nobis solis, sed & omnibus avibus cœli, & bestiis terræ, atque repentibus: piscibus autem & cetis magnis non dedisti hæc.

2. Dicebamus enim, eis fructibus terræ significari & in allegoria figurari opera misericordiæ, quæ hujus vitæ necessitatibus exhibentur ex terra fructifera. Talis terra erat pius Onesiphorus, cujus domui dedisti misericordiam: qui frequenter Paulum tuum refrigeravit, & catenam ejus non erubuit: Hoc fecerunt & fratres, & tali fruge fructificaverunt; qui quod ei deerat suppleverunt ex Macedonia. Quomodo etiam dolet quædam ligna, quæ fructum ei debitum non dederunt: ubi ait: In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur. Ista enim debentur eis, qui

mini-

miniſtrant doctrinam rationalem, per intelligentias divinorum myſteriorum; & ita eis debentur, tanquam hominibus. Debentur autem eis, ſicut animæ vivæ, præbentibus ſe ad imitandum in omni continentia. Item debentur eis tanquam volatilibus, propter benedictiones eorum, quæ multiplicantur ſuper terram: quoniam in omnem terram exivit ſonus eorum.

CAP. XXVI.

Voluptas & utilitas, ex beneficio in proximum collato.

1. PAſcuntur autem his eſcis, qui lætantur eis; nec illi lætantur eis, quorum Deus venter eſt. Neque enim & in illis, qui præbent iſta, ea quæ dant, fructus eſt, ſed quo animo dant. Itaque ille, qui Deo ſerviebat, non ſuo ventri, video plane unde gaudeat: video, & congratulor ei valde. Acceperat enim a Philippenſibus, qui per Epaphroditum miſerant: ſed tamen, unde gaudeat, video. Unde autem gaudet, inde paſcitur; quia in veritate loquens: Gaviſus ſum, inquit, magnifice in Domino, quia tandem aliquando repullulaſtis ſapere pro me, in quo & ſapiebatis, tædium autem habuiſtis. Iſti ergo, diuturno tædio marcuerant, & quaſi exaruerant ab iſto fructu boni operis; & gaudet eis, quia repullularunt; non ſibi, quia ejus indigentiæ ſubvenerunt. Ideo ſecutus ait; Non! quod deſit aliquid, dico. Ego enim didici, in quibus ſum: ſufficiens eſſe; Scio & minus habere, ſcio & abundare; in omnibus &

in

in omnia imbutus ſum; & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati; omnia poſſum in eo, qui me confortat. Unde ergo gaudes, o Paule magne?

2. Unde gaudes? Unde paſceris, homo renovate in agnitione Dei, ſecundum imaginem ejus, qui creavit te, & anima viva tanta continentia, & lingua volatilis loquens myſteria? Talibus quippe animantibus, eſca iſta debetur. Quid eſt, quod te paſcit? Lætitia. Quod ſequitur, audimus. Veruntamen, inquit, bene feciſtis, communicantes tribulationi meæ. Hinc gaudet, & hinc paſcitur, quia illi bene fecerunt: non quia ejus anguſtia relaxata eſt, qui dicit tibi: In tribulatione dilataſti mihi, quia & abundare & penuriam pati novit in te, qui confortas eum. Scitis enim, inquit, etiam vos Philippenſes, quoniam in principio evangelii, cum ex Macedonia ſum profectus, nulla mihi eccleſia communicavit in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli: quia & Theſſalonicam, & ſemel & iterum uſibus meis miſiſtis.

3. Ad hæc bona opera, eos rediiſſe nunc gaudet; & repullulaſſe lætatur, tanquam revireſcente fertilitate agri. Nunquid propter uſus ſuos, quia dixit, uſibus meis miſiſtis? Nunquid propterea gaudet? Non propterea. Et hoc unde ſcimus? Quoniam ipſe ſequitur, dicens; Non quia quæro datum, ſed requiro fructum. Didici a te, Deus meus, inter datum & fructum diſcernere. Datum eſt res ipſa, quam dat, qui impartitur hæc neceſſaria; veluti eſt nummus, cibus, potus, veſti-

veſtimentum, tectum, ad utorium: fructus autem, bona & recta voluntas datoris eſt. Non enim ait magiſter bonus; Qui ſuſceperit prophetam, tantum; ſed addidit, in nomine propheræ. Neque ait, tantum; Qui ſuſceperit juſtum; ſed addidit, in nomine juſti. Ita quippe ille mercedem propheræ, iſte mercedem juſti accipiet. Nec ſolum ait; Qui calicem aquæ frigidæ, potum dederit uni ex minimis meis, ſed addidit, tantum, in nomine diſcipuli. Et ſic adjunxit: Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. Datum, eſt ſuſcipere prophetam; ſuſcipere juſtum, porrigere calicem aquæ frigidæ diſcipulo: fructus autem, in nomine prophetæ, in nomine juſti, in nomine diſcipuli hoc facere. Fructu paſcitur Elias a vidua, ſciente quod hominem Dei paſceret, & propter hoc paſceret, per corvum autem dato paſcebatur. Nec interior Elias, ſed exterior paſcebatur, qui poſſet etiam talis cibi egeſtate corrumpi.

CAP. XXVII.

Quid per piſces & cetos ſignificetur.

1. JDeoque dicam, quod verum eſt coram te Domine. Cum homines idiotæ atque infideles, quibus initiandis atque lucrandis neceſſaria ſunt ſacramenta initiorum, & magnalia miraculorum, quæ nomine piſcium & cetorum ſignificari credidimus: ſuſcipiunt corporaliter reficiendos, aut in aliquo præſentis vitæ uſu adjuvandos pueros tuos: cum, id quare faciendum ſit, & quo pertineat, ignorent.

Nec

Nec illi iſtos paſcunt: nec iſti ab illis paſcuntur. Quia nec illi hæc ſancta & recta voluntate operantur: nec iſti eorum datis, ubi fructum nondum vident, lætantur. Inde quippe animus paſcitur; unde lætatur. Et ideo piſces & ceti non veſcuntur eſcis, quas non germinat, niſi jam terra ab amaritudine marinorum fluctuum diſtincta atque diſcreta.

CAP. XXVIII.

Valde bona quare poſtremo additum.

1. ET vidiſti Deus omnia, quæ feciſti, & ecce bona ſunt valde, quia & nos vidimus ea; & ecce omnia bona valde. In ſingulis generibus operum tuorum, cum dixiſſes, ut fierent, & facta eſſent: illud atque illud vidiſti: quia bonum eſt. Septies numeravi ſcriptum eſſe, te vidiſſe quia bonum eſt quod feciſti: & hoc octavum eſt, quia vidiſti omnia quæ feciſti: & ecce non ſolum bona, ſed etiam valde bona, tanquam ſimul omnia. Nam ſingula tantum bona erant, ſimul autem omnia & bona & valde. Hoc modo dicuntur etiam quæque pulcra corpora: quia longe multo pulcrius eſt corpus, quod ex membris omnibus conſtat, quam ipſa membra ſingula: quorum ordinatiſſimo conventu completur univerſum, quamvis & illa etiam ſingulatim pulcra ſint.

CAP. XXIX.

Dei opera bona perpetuo.

1. ET attendi, ut invenirem, utrum ſepties vel octies videri, quia bona

na

na ſunt opera tua, cum tibi placuerunt: & in tua viſione non inveni tempora, per quæ intelligerem, quod toties, videris, quæ feciſti: & dixi: O Domine, nonne iſta ſcriptura tua vera eſt, quoniam tu verax & veritas ediſti eam? Cur ergo tu mihi dicis, non eſſe in tua viſione tempora: & ecce ſcriptura tua mihi dicit, per ſingulos dies ea quæ feciſti te vidiſſe quia bona ſunt: Et cum ea numerarem, inveni quoties. Ad hæc tu dicis mihi, quoniam tu es Deus meus: & dicis voce forti in aure interiore ſervo tuo, perrumpens meam ſurditatem, & clamans. O homo, nempe, quod ſcriptura mea dicit, ego dico. Et tamen illa temporaliter dicit, verbo autem meo æterno tempus non accidit, quia æquali mecum æternitate conſiſtit: Sic ea, quæ vos per ſpiritum meum videtis, ego video, ſicut ea, quæ vos per ſpiritum meum dicitis, ego dico. Atque ita, cum vos temporaliter ea videtis: non ego temporaliter video, quemadmodum, cum vos temporaliter ea dicatis, non ego temporaliter dico.

CAP. XXX.

In eos, quibus opera Dei diſplicent.

1. ET audivi Domine Deus meus, & elinxi ſtillam dulcedinis ex tua veritate, & intellexi, quoniam ſunt quidam, quibus diſplicent opera tua bona: & multa eorum dicunt te feciſſe, neceſſitate compulſum; ſicut fabricas cœlorum, & compoſitiones ſiderum, & hoc non de tuo, ſed jam fuiſſe alibi creata, & aliunde, quæ tu con-

Nec illi iſtos paſcunt: nec iſti ab illis paſcuntur. Quia nec illi hæc ſancta & recta voluntate operantur: nec iſti eorum datis, ubi fructum nondum vident, lætantur. Inde quippe animus paſcitur; unde lætatur. Et ideo piſces & ceti non veſcuntur eſcis, quas non germinat, niſi jam terra ab amaritudine marinorum fluctuum diſtincta atque diſcreta.

CAP. XXVIII.

Valde bona quare poſtremo additum.

1. ET vidiſti Deus omnia, quæ feciſti, & ecce bona ſunt valde, quia & nos vidimus ea; & ecce omnia bona valde. In ſingulis generibus operum tuorum, cum dixiſſes, ut fierent, & facta eſſent: illud atque illud vidiſti: quia bonum eſt. Septies numeravi ſcriptum eſſe, te vidiſſe quia bonum eſt quod feciſti: & hoc octavum eſt, quia vidiſti omnia quæ feciſti: & ecce non ſolum bona, ſed etiam valde bona, tanquam ſimul omnia. Nam ſingula tantum bona erant, ſimul autem omnia & bona & valde. Hoc modo dicuntur etiam quæque pulcra corpora: quia longe multo pulcrius eſt corpus, quod ex membris omnibus conſtat, quam ipſa membra ſingula: quorum ordinatiſſimo conventu completur univerſum, quamvis & illa etiam ſingulatim pulcra ſint.

CAP. XXIX.

Dei opera bona perpetuo.

1. ET attendi, ut invenirem, utrum ſepties vel octies videri, quia bona

Digitized by Google

nn ſunt opera tua, cum tibi placuerunt: & in tua viſione non inveni tempora, per quæ intelligerem, quod toties, videris, quæ feciſti: & dixi: O Domine, nonne iſta ſcriptura tua vera eſt, quoniam tu verax & veritas ediſti eam? Cur ergo tu mihi dicis, non eſſe in tua viſione tempora: & ecce ſcriptura tua mihi dicit, per ſingulos dies ea quæ feciſti te vidiſſe quia bona ſunt: Et cum ea numerarem, inveni quoties. Ad hæc tu dicis mihi, quoniam tu es Deus meus: & dicis voce forti in aure interiore ſervo tuo, perrumpens meam ſurditatem, & clamans. O homo, nempe, quod ſcriptura mea dicit, ego dico. Et tamen illa temporaliter dicit, verbo autem meo æterno tempus non accidit, quia æquali mecum æternitate conſiſtit: Sic ea, quæ vos per ſpiritum meum videtis, ego video, ſicut ea, quæ vos per ſpiritum meum dicitis, ego dico. Atque ita, cum vos temporaliter ea videtis: non ego temporaliter video, quemadmodum, cum vos temporaliter ea dicatis, non ego temporaliter dico.

CAP. XXX.

In eos, quibus opera Dei diſplicent.

1. ET audivi Domine Deus meus, & elinxi ſtillam dulcedinis ex tua veritate, & intellexi, quoniam ſunt quidam, quibus diſplicent opera tua bona: & multa eorum dicunt te feciſſe, neceſſitate compulſum; ſicut fabricas cœlorum, & compoſitiones ſiderum, & hoc non de tuo, ſed jam fuiſſe alibi creata, & aliunde, quæ tu con-

contraheres, & compaginares, atque contexeres; cum de hoſtibus victis, mundana mænia molireris, ut ea conſtructione devicti, adverſus te iterum rebellare non poſſent. Alia vero nec feciſſe te, nec omnino compegiſſe; ſicut omnes carnes, & minutiſſima quæque animantia, & quicquid radicibus terram tenet: ſed hoſtilem mentem naturamque aliam, nec abs te conditam, tibique contrariam: in inferioribus mundi locis iſta gignere atque formare. Inſani dicunt hæc, quoniam non per ſpiritum tuum vident opera tua, nec te cognoſcunt in eis.

CAP. XXXI.

Piis idem probatur, quod Deo placuit.

1. QUi autem per ſpiritum tuum vident ea, tu vides in eis. Ergo cum vident, quia bona ſunt, tu vides, quia bona ſunt; & quæcunque propter te placent, tu in eis places, & quæ per ſpiritum tuum placent nobis, tibi placent in nobis. Quis enim ſcit hominum, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Sic & quæ Dei ſunt, nemo ſcit, niſi ſpiritus Dei. Nos autem, inquit, non ſpiritum hujus mundi accepimus: ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ a Deo donata ſunt nobis. Et admoneor, ut dicam. Certe nemo ſcit, quæ Dei ſunt niſi ſpiritus Dei.

2. Quomodo ergo ſcimus & nos, quæ a Deo donata ſunt nobis? Reſpondetur mihi, quoniam quæ per ejus ſpiritum ſcimus, etiam ſic nemo ſcit, niſi ſpiritus Dei. Sicut enim recte dictum eſt: Non enim vos eſtis,

eſtis, qui loquimini, eis qui in ſpiritu Dei loquerentur: ſic recte dicitur: Non vos eſtis, qui ſcitis, eis, qui in Dei ſpiritu ſciunt. Nihilominus igitur recte dicitur. Non vos eſtis, qui videtis; eis qui in ſpiritu Dei vident: Ita quicquid in ſpiritu Dei vident, quia bonum eſt, non ipſi, ſed Deus videt, quia bonum eſt.

3. Aliud ergo eſt, ut putet quiſque malum eſſe, quod bonum eſt; quales ſupra dicti ſunt. Aliud, ut quod bonum eſt, videat homo, quia bonum eſt. Sicut multis tua creatura placet, quia bona eſt: quibus tamen non tu places in ea: unde frui magis ipſa quam te volunt. Aliud autem, ut cum aliquid videt homo, quia bonum eſt, Deus in illo videat, quia bonum eſt, ut ſcilicet ille ametur in eo, quod fecit: quia non amaretur, niſi per ſpiritum ſanctum, quem dedit. Quoniam caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis; per quem videmus, quia bonum eſt, quidquid aliquo modo eſt. Ab illo enim eſt, qui non aliquo modo eſt, ſed quod eſt, eſt.

CAP. XXXII.

Compendio enarrat opera Dei.

1. GRatias tibi Domine. Videmus cœlum & terram, ſive corporalem partem ſuperiorem atque inferiorem, ſive ſpiritualem corporalemque creaturam: atque in ornatu harum partium, quibus conſtat vel univerſa mundi moles, vel univerſa omnino creatura. Videmus lucem ſa-

ctam diviſamque a tenebris. Videmus firmamentum cœli; ſive inter ſpirituales aquas ſuperiores & corporales inferiores primarium corpus mundi: ſive hoc ſpatium aeris, (quia & hoc vocatur cœlum) per quod vagantur volatilia cœli, inter aquas quæ vaporaliter eis ſuperferuntur, & ſerenis etiam noctibus rorant, & hos quæ in terris graves fluitant.

2. Videmus congregatarum aquarum ſpeciem per campos maris; & aridam terram vel nudatam vel formatam, ut eſſet viſibilis & compoſita; herbarum quoque atque arborum materiem. Videmus luminaria fulgere deſuper, ſolem ſufficere diei, lunam & ſtellas conſolari noctem, atque his omnibus notari & ſignificari tempora. Videmus humidam uſquequaque naturam, piſcibus & belluis & alitibus fœcundatam, quod aeris corpulentia, quæ volatus avium portat, aquarum exaltatione concreſcit.

3. Videmus terrenis animalibus faciem terræ decorari; hominemque ad imaginem & ſimilitudinem tuam factum cunctis irrationalibus animantibus, ipſa tua imagine ac ſimilitudine, hoc eſt, rationis & intelligentiæ virtute, præponi. Et quemadmodum in ejus anima; aliud eſt quod conſulendo dominatur: aliud quod ſubditur, ut obtemperet: ſic viro factam eſſe etiam corporaliter feminam, quæ haberet quidem in mente rationalis intelligentiæ parem naturam, ſexu tamen corporis ita maſculino ſexui ſubjiceretur, quemadmodum ſubjicitur appetitus actionis ad concipiendam de ratione mentis

tis rectè agendi ſolertiam. Videmus hæc, & ſingula bona, & omnia bona valde.

CAP. XXXIII.

Ut omnis creatura laudet creatorem.

1. LAudent te opera tua, ut amemus te, & amemus te, & laudent te opera tua; Quæ habent initium & finem ex tempore, ortum & occaſum, profectum & defectum, ſpeciem & privationem. Habent ergo conſequentia mane & veſperam, partim latenter, partim evidenter. De nihilo enim a te, non de te facta ſunt, non de aliqua non tua, vel quæ antea fuerit, ſed de concreta: id eſt, ſimul a te creata materia, quia ejus informitatem, ſine ulla temporis interpoſitione, formaſti. Nam cum ſit aliud cœli & terræ materies; aliud cœli & terræ ſpecies: materiem quidem de omnino nihilo; mundi autem ſpeciem de informi materia, ſimul tamen utrumque feciſti: ut materiem forma, nulla moræ intercapedine, ſequeretur.

CAP. XXXIV.

De ordine & vario fructu Chriſtianæ vitæ.

1. INſpeximus etiam, propter quorum figurationem, iſta vel tali ordine fieri, vel tali ordinatione ſcribi voluiſti; Et vidimus, quia bona ſunt ſingula, & omnia bona valde, in verbo tuo, in unico tuo; cœlum & terram, caput & corpus

Ecclesiæ, in prædestinatione ante omnia tempora, sine mane & vespera. Ubi autem cæpisti prædestinata temporaliter exequi, ut occulta manifestares: & incomposita nostra componeres: quoniam super nos erant peccata nostra: & in profundum tenebrosum abieramus abs te, & spiritus tuus bonus superferebatur, ad subveniendum nobis in tempore opportuno; justificasti impios: & distinxisti eos ab iniquis; & solidasti auctoritatem libri tui inter superiores qui tibi dociles essent, & inferiores qui eis subderentur; & congregasti societatem infidelium in unam conspirationem, ut apparerent studia fidelium, & tibi opera misericordiæ paterent, distribuentes etiam pauperibus terrenas facultates ad acquirenda cœlestia.

2. Et inde accendisti quædam luminaria in firmamento, verbum vitæ habentes sanctos tuos, & spiritualibus donis prælata sublimi auctotitate fulgentes: & inde ad imbuendas infideles gentes, sacramenta & miracula visibilia, vocesque verborum secundum firmamentum libri tui, quibus etiam fideles benedicerentur, ex materia corporali produxisti: & deinde fidelium animam vivam per affectus ordinatos, continentiæ vigore formasti, atque inde tibi soli mentem subditam & nullius auctoritatis humanæ ad imitandum indigentem renovasti ad imaginem & similitudinem tuam, præstantique intellectui rationabilem actionem tanquam viro fæminam subdidisti; omnibusque tuis ministeriis ad per-

perficiendos fideles in hac vita neceſſariis, ab eiſdem fidelibus ad uſus temporales, fructuoſa in futurum opera præberi voluiſti. Hæc omnia videmus, & bona ſunt valde, quoniam tu ea vides in nobis, qui ſpiritum, quo ea videremus, & in eis te amaremus, dediſti nobis.

CAP. XXXV.

Optat pacem.

1. DOmine Deus, pacem da nobis: omnia enim præſtitiſti nobis, pacem quietis, pacem ſabbati, pacem ſine veſpera. Omnis quippe iſte ordo pulcherrimus rerum valde bonarum, modis ſuis peractis tranſiturus eſt: & mane quippe in eis factum eſt, & veſpera.

CAP. XXXVI.

Diem ſeptimum veſpera quare non ſequatur.

1. DIes autem ſeptimus, ſine veſpera eſt, nec habet occaſum; quia ſanctificaſti eum, ad permanſionem ſempiternam: ut id, quod tu poſt opera tua bona valde, quamvis ea quietus feceris, requieviſti ſeptimo die. Hoc præloquatur nobis vox libri tui, quod & nos poſt opera noſtra: ideo bona valde, quia tu nobis ea donaſti, ſabbaro vitæ æternæ requieſcamus in te etiam.

CAP. XXXVII.

Deus in nobis quomodo quieſcit.

1. TUnc enim ſic requieſces in nobis, quemadmodum nunc operaris in nobis; & ita erit iila requies tua per nos,

quemadmodum ſunt iſta opera tua per nos. Tu autem Domine, ſemper operaris, & ſemper requieſcis. Nec vides ad tempus, nec inoveris ad tempus, nec requieſcis ad tempus: & tamen facis & viſiones temporales, & ipſa tempora, & quietem ex tempore.

CAP. XXXVIII.

Aliter Deus, aliter homo videt creata.

1. NOs itaque iſta, quæ feciſti, videmus, quia ſunt, tu autem quia vides ea, ſunt. Et nos foris videmus, quia ſunt: & intus, quia bona ſunt: tu autem ibi vidiſti facta, ubi vidiſti facienda. Et nos alio tempore moti ſumus ad benefaciendum, poſteaquam concedit de ſpiritu tuo cor noſtrum. Priore autem tempore ad malefaciendum movebamur, deſerentes te; tu vero Deus ſumme, une bone, nunquam ceſſaſti benefacere. Et ſunt quædam bona opera noſtra ex munere quidem tuo, ſed non ſempiterna. Poſt illa nos requieturos in tua grandi ſanctificatione ſperamus. Tu autem bonum nullo indigens bono, ſemper quietus es: quoniam tua quies, tu ipſe es. Et hoc intelligere, quis hominum dabit homini? quis angelus angelo? quis angelus homini? A te petatur, in te quæratur, apud te pulſetur: ſic, ſic accipietur, ſic invenietur, ſic aperietur. Amen.

IN

INDEX RERUM

copioſus & utilis.

Librum deſignat l. *cum ſuo* numero, *Caput* c. *cum ſuo item* numero. *Si quis alius* numerus *proxime ſequitur*, §. *capitis indicat*. *Literæ* a. b. c. &c. *notas*, V. *uſum*, numeri *additi*, *ejus* numerum *ſignificant*.

A

ABrahæ Sacrificium, *l.* 3. *c.* 9. *b.*
Academiæ ſine diſciplina, flagitioſorum ſeminaria, *l.* 5. *c.* 12. v. 1.
Academici quales Philoſophi, *l.* 5. *c.* 1. 1. *b.*
Adeodatus filius naturalis Auguſtini, *l.* 6. *c.* 15. 1. ejus Baptiſmus, ingenium, mors, *l.* 9. *c.* 6. planctus in morte matris, *ib. c.* 12.
Adoleſcens ſine timore Dei qualis, *l.* 3. *c.* 3. v. perit ſtudio ſpectaculorum, *l.* 6. *c.* 7. v. 1. ne ſibi fidat, *ib. c.* 8. Vide Juventus, Socii.
Ægyptiorum ſpoliatio juſta, *l.* 3. *c.* 9. *b.*
Agapes ſublata, *l.* 6. *c.* 2. *a.* v. 2. triplici ex cauſſa celebratæ, *ib.* mutatæ in ſportulas, *ib. c.* 2. v.
Æditui fori qui, *l.* 6. *c.* 9. *a.*
Ænigmatis ſolutionem petit Auguſtinus a Deo, *l.* 11. *c.* 22. 11.
Ætatis humanæ gradus Sex, *l.* 1. *c.* 8. *a.*
Æternitas Dei, tempora non novit. *l.* 11. *c.* 11. 1.
Alimenta ſumenda ut medicamenta, *l.* 10. *c.* 31.
Alipii patria, genus, indoles, amor Circenſium, quo liberavit illum Auguſtinus, *l.* 6. *c.* 7. ab eodem Manichæus efficitur. *ib.* 3. poſtea Epiſcopus Tagaſtenſis, *ib. b.* Romæ jus diſcit, amore ſpectaculi gladiatorii corripitur, *ib. c.* 8. Carthagine pro furе comprehenditur, *ib. c.* 9. liberatur, *ib.* ejus juſtitia & integritas, *ib. c.* 10. tentatur, *ib.* 2. Aſſeſſorem agit, *ib. b* ejus caſtitas, *ib. c.* 1.

prope perſuaſus uxorem ducere, *ib.*2. Apollinariſtas ſequitur, *l.*7.*c.*19.2. *b* cum Auguſtino convertitur, *l.*8.*c.*12. 3. Chriſti nomen initio improbat, *l.*9.*c.*4.
Allegorica explicatio avium, piſcium, & ceterorum animalium. *l.*13.*c.*21.1.
Amantium votum, *l.*4.*c.*8. *b* ex amante alio quomodo accendatur alius, *ib. c.*14.1. *a*
Ambroſii laus, *l.*5.*c.*13. humanitas, facundia, *ib.* Agapen Mediolani ſuſtulit, *l.*6. *c.*2.*a* ejus autoritas, negotia, lectio, *ib.c.*3. occulta virtus & lucta, *ib.c.*6.1. Baptizat Auguſt. *l.*9.*c.*6. *a* inſtituit Sacram Pſalmodiam, *ib.c.*7. vexatur a Juſtina, *ib* 1. corpora SS. Gervaſii & Protaſii divinitus cognoſcit & transfert, *ib.*
Ambitionis ætumnæ, *l.*6.*c.*6.
Amicitiæ limes, *l.*2.*c.*2.*a* Sex cautelæ, ne fiat inhoneſta, *ib.*v.1. ordinatæ, & inordinatæ diſcrimen, *l.*4.*c.*6.v.1. juvenum & voluptuoſorum qualis, *ib* ejus illecebræ, *ib.c.*8.2. leve & infidum commercium, *ib.* v.2.
Amici uſque ad aram, *l.*4.*c.*4.v.2. Amicus in Deo diligendus, *ib.c.*8.v.2. Amicus improbus tanto periculoſior, quanto major, *l.*6.*c.*12.v.
Amor Dei excitandus ex attributis ejus, *l.*1.*c.*4.v. ex bonis, quæ in ipſo ſunt meliora, quam in creaturis, *l.*2. *c.*6. 2. 3. v.1. item conſideratione creaturarum, *l.*10.*c.*6.
Amor Dei confert ad illius notitiam, *l.*7.*c.*10.*a*
Amor inordinatus, l 4.*c.*4.*a* ejus miſeria, l.4. *c.*6. ſignum, *ib.*v.2. cruciatus, *ib.c.*7. v.1.
Amor mundi, cur tam potens, *l.*8.*c.*10.v.
Anax imeni aer Deus, *l.*10.*c.*6.2.
Animæ domus miſera, l.1.*c.*5.1. Animæ in Deo amandæ, *l.*4.*c.*12.1. *a* anima una in duobus corporibus, *ib.c.*6.*b* non eſt pars Dei, *ib. c.*15. 3.*d. e* ejus immortalitatem oſtendit fides Catholica, *l.*6.*c.*11.2. ejus media regio quæ, *l.*7.*c.*7.v. 2.
Animus quo extendendus, *l.*11.*c.*30.1.
S. Antonii vita, *l.*8.*c.*6.3. *c* ea lecta duo converſi, *ib.* 4. 5. 6.
Anubis quis, *l.*8.*c.*2.2.

Apol-

Apollinariſtarum error de Chriſto, *l.7.c.19.2.b*
Apoſtoli nubes ſunt, *l.2.c.2.d*
Aptum quid, *l.4.c.13.b*
Aquæ nominantur nomine cœli, & terræ, *l.12.c.22.1.*
Arida quid ſit, *l.13.c.19.1.*
Aquilo quid ſignificet, *l.10.c.36.2.b*
Aſſeſſor quis, *l.6.c.10.b*
Artifices diſcant arte recte uti *l.10 c.34.4.v.31*
Aſtrologia & Mathematica occaſio converſionis Auguſtini, *l.5.c.3.v.2.*
Aſtrologi judiciarii damnati, *l.4.c.3.a* ſorte ſubinde vera dicunt, *ib.3.d* libertatem tollunt, peccata Deo adſcribunt, *ib.1.v.1.*
Athei fundamentum pietatis evertunt, *l.6.c.1.v*
Avaritiæ fœditas, *l.5.c.12.v.2.*
Aulicorum ſpes & periculum, *l.8.c.6 5. v. 3.* ſalutaria pro illis monita, *ib.*
S. AURELIUS AUGUSTINUS, Academicus nunquam fuit, *l.6.c.3.a* Divinitate n & providentiam ſemper credidit, *ib.c.5.2. & l.7.c.7.1.* Annus converſionis ejus, *l.8.c.1.a* Fit Catechumenus Competens, *ib.* quos libros ſcripſerit Caſſiciaci, *l.9 c.4.b* quos Mediolani ante baptiſmum, *ib.c.6.a* quando baptizatus, *ib.* Orat Deum, *l.1.c 5. & l.1.c. 15. & l.11.c. 25. & l.13.c.1.* Septem gradibus ad veram fidem pervenit.
I. Agnovit dogmata Manichæorum non poſſe defendi, *l.5.6. 7.v.2.*
II. Fidem Catholicam & Scripturas veteres adverſus illorum argumenta poſſe defendi, *ib.c.14.v.1.*
III. Dei ſubſtantiam eſſe immutabilem, *l.7.c.1.v.*
IV. Liberum arbitrium eſſe cauſſam peccati, *ib.c.3.a*
V. Chriſtum viam ad ſalutem, eumque veram carnem aſſumpſiſſe, *ib.c.7.a. & c. 21.*
VI. Deum eſſe incorporeum, quod divinitus cognovit, *ib.c.10. 2.d*
VII. Nullam creaturam aut ſubſtantiam eſſe malam, *ib.a.c.12.* uſque ad *c.16.* ubi concludit,

iniquitatem esse voluntatis perversitatem, c.
Ad contemptum vero seculi tria maxime illum perduxerunt, *I.* agnovit melius esse Deo servire, quam cupiditati, *l.*8.*c.*5.v.5. *II.* audivit & admiratus est exempla Sanctorum, *ib. c.*6. v.1. III. credidit illos potuisse ista non in se, sed in Deo, in quem se & ipse projecit, *ib.c.*11.v. Summa deliberationis & luctæ ejus postremæ, *ib.*
S. Aur. Augustinus amplexus est fidem Catholicam, quam semper tenuit & tenet Ecclesia Romana; convincunt id ritus & articuli, quos in Confessionibus & Notis sequitur, & agnoscit.
I. Signum crucis.
II. Salem benedictum.) *l.*1.*c.*11.1.v.1.
III. Templa dicata Sanctis, *l.*5.*c.*8.3. *b.* v.2.
IV. Eorum cultum, *l.*6. *c.*2. v.2.
V. Oblationes panis & vini &c. in Ecclesia, *ib.*
VI. Scripturæ obscuritatem, *ib. c.*4.2. v.1. & *c.* 5. 3. *b.*
VII. Ejus interpretationem ab Ecclesia petendam, *ib. c.* 5. v.2.
VIII. Vota { Castitatis, Virginitatis. Hospitalitatis, Paupertatis, Religionis, } *ib.c.*15.1.v.1.
IX. Liberum arbitrium, *l.*7.*c* 3.2. *a.*v.
X. Illud esse causam peccati, *ib.*
XI. Quod inviti facimus, non esse culpam, adeoque peccatum debere esse voluntarium, *ib.*2.*b* v.
XII. Conjugium esse liberum, adeoque non præceptum, *l.*8.*c.*12.
XIII. Castitatem cælibem, esse conjugio meliorem, *ib.* v.3. & consilium Christi, *l.* 10. *c.*30.1. *a.*
XIV. Inter mirabilia rectæ fidei, esse vitam Anachoreticam, monasticam, abdicationem rerum temporalium, non solo affectu, sed re ipsa, *l.* 8.*c.*6. 4. 6. v. 5.

XV.

XV. Beatos esse nostri memores, *l.9.c.3.3.v.2*
XVI. Reliquiarum venerationem & translationem, *ib.c.b v.2.*
XVII. Miracula in eorum cultu patrata, *ib.*
XVIII. Sacrificium & orationem pro defunctis, *ib.c.11.1. & c.12.v.2.& c.13.*

Unde colliges Amice Lector. *I.* fidem Ecclesię Romanæ, esse fidem veteris Ecclesię quę floruit ante annos 1245. cujus filius, & historicus est S. Augustinus. *II.* Vel hanc fidem esse veram & Apostolicam, vel S. Augustinum, amplexum esse fidem Evangelio repugnantem, cultu idololatrico, & superstitionibus plenam.

Cetera, quæ de S. D. sunt memorabilia, summariis capitum & librorum accurate comprehensa reperies.

B

BAbylon quid, *l.2.c.3.b.*
Balneum unde dictum, *l.9.c.12.4.*
Baptismus quam voluntatem requirat, *l.4 c.12.b.* ejus efficacia, *ib.* v.1.
Baptismi efficacia ex spiritu, *l.13.c.12.* aqua Baptismi fit efficax per spiritum, *l 13.c.12.1.*
Boni caussa sunt omnia, *l.2.c.4.a.*
Bona sunt, quæ putamus mala, ob tres caussas, *l.7.c.13. c.*
Bona res non prodest utenti male, *l.4.c.16.3.v.1*
Bonum universale quid, *l.10.c.21.b.*
Beata vita suo loco quærenda, *l.4. c.12. 2.* est gaudium de Deo, *l.10.c.22.* de veritate, *c.23.* non est in creaturis, *ib.v.1.*
Beatitudo duplex, res, & ejus possessio, *l.10.c.22 a.* non est in voluptate carnis, *l.6.c.16.2.v.2.*
Beati esse omnes volunt, *l.10.c.20.b.& c.21.3.*
Beatus qui diligit Deum, & amicum in Deo, *l.4.c.9. v.2.* nemo in hac vita perfecte beatus, *l.10.c.23.v.2.*
Benedicere. Cur benedixerit Deus homini, piscibus, volatilibus, non autem ceteris creaturis, *l.13.c.24.* Ex beneficio collato in proximum, utilitas, & voluptas quæ, *l.13 c.16.*
Beneficium grande non mori in peccatis. *l.5.c.9.v.1.*

Brentius Confessionem male impugnat, l. 10. c. 3. a.

C

CAnticum graduum quid, l. 9. c. 2. d.
Cantus in Ecclesia approbandus, l. 10. c. 33
Caritas facile credit, l. 10. c. 33. v. quomodo approbet, vel improbet alios, ib. c. 4. 1.
Carnis amor præcipitat in hæresin, l. 3. c. 6. v. 2
Caro non sentit nisi partem creaturarum, l. 4. c. 11. c
Cassiciacum Villa Verecundi, l. 9. c. 3. & 4.
Catechumeni & Neophyti leniter tractandi, l. 5. c. 5. v. 3. eorum aliqui errores dissimulandi, ib. duo Catechumenorum genera, l. 8. c. 1. a Catechumenus ante baptismum salutis incertus, l. 9. c. 4 8. 1.
Catholica quæ, l. 6. c. 3. e
Certitudo moralis de gratia haberi potest, l. 10. c. 6. a
Chanaan terræ occupatio justa, l. 3. c. 9. b
Christiano non obest nescire naturalia, l. 5. c. 5. 2. sed affirmare ignota, quasi de fide, ib.
Christus humilitatem docet, l. 7. c. 18. & contemptum mundi, l. 4 c. 12. v. 1 est mediator verus, l. 10. c. 43. victor & victima, Sacerdos & Sacrificium, ib. 2. sine Christi nomine libri non placebant Augustino, l. 3. c. 4. 3. v. 4. ejus carnem veram esse negabant Manichæi, l. 7. c. 7 a
Cibus grandium quis, l. 7. c 10. 2. b
Circenses ludi qui, l. 6. c. 7. a
Cæco visus restituitur apud reliquias SS. Getvasii & Protasii, l. 9. c. 7. 2.
Cœlum majus est terra, l. 12. c. 7. 1. Cœli, & terræ nominibus quid intelligi debeat, l. 12. c. 17. 1. Cœlum cœli quid sit, l. 12. c. 9. 1.
Cogitare, quid, & unde dictum, l 10. c. 11. 2. Petit Augustinus cognitionem Dei, l. 11. c. 2. 3. 4. & l. 11. c. 22. 1. & l. 11. c. 25. 1.
Cognitionis suis & Dei adjumentum, l. 1. c. 6. v. 1
Collyrium quid, l. 7. c. 8. a.
Concordiæ servandæ media, l 9 c. 9. v. 2.
Concubinæ August. duæ, l. 6. c. 15. prior continentiam vovit, ib.

Co-

Digitized by Google

Comes largitionum Italicarum, quis, *l.6.c.10.c.*
Concupiſcentia teſtimonium peccati originalis, *l.1.c.1 a* non eſt ſubſtantia mala, ſed pœna, *l.8.c.10.a. b* illius motus involuntarii non ſunt peccata, *l.8.c.3. b*
Concupiſcentia oculorum quæ, *l.10.c. 35. a*
Confeſſionum S. Auguſtini utilitas præfat. & *l.10.c.3. & 4.*
Confeſſioni Sacramentali apta meditatio, *l.5.c.1.v.*
Confiteri Deo quid, *l.10.c.2.2.*
Conjugalis concordiæ exempla & media, *l.9.c.9.v.1.*
Conſcientia bona verum gaudium parit, *l.10.c.1.v.* ejus ſtimuli ſignum bonum, *l.6.c.6.v.1.*
Conſiliariis principum exemplum, *l.6.c.10.v 1*
Conſuetudinis excuſatio ſuſpecta, *l.1.c.16.v.1.*
Conſuetudo carnalis impedit contemplationem, *l.7. c.17. v.* quomodo ferenda, *ib.* ejus violentia non excuſat a peccato, *l.8.c.5.v.2.* reddit incorrigibiles, *ib.v.3.* eſt lex pecca- *ib.* v.4. vincit rationem, *l.9.c.12. v.2.*
Contemptus mundi incitamenta, *l.4.c.10.& 11. & 12.*
Continentia non eſt propriarum virium, *l.6. c. 11.4.v-2.* ejus conſilia & argumenta, *l.8.c.11* quid ſit, *l.10.c.29.a* redigit nos in unum. *ib.b*
Corona agnoniſtica, quæ, *l.4.c.4. b*
Corporum cognitio quam certa, *l.3.c. 6. d*
Corruptio & corruptibilitas prima radix culpæ & pœnæ, *l.7.c 4.b.* privat bono, *ib.c.12.1.*
Corruptibilia omnia bona ſunt, *ib.c. 12.*
Converſio magnorum, cur plus gaudii afferat, *l.8. c.4.* Converſionis punctum difficile, *ib. c. 11. v.* Converſio S. Auguſtini a Deo, *ib. c. 12. v.2.*
Converſionis & pœnitentiæ ſuavitas, *l.9. c. 1. v. 2.*
Converſio mirabilis S. Antonii, *l.8.c.6.c.* duorum magnatum, *ib.*
Converſionis & profectus impedimenrum quod, *l. 10. c. 41. v. 1.*
Creatio. De creatione mundi cuperet a Moyſe doce-

doceri Auguſt. *l.* 11. *c.* 3. 1. Virtutum creatio ſpiritualis, *l.* 13. *c.* 20. 1.
Creare. In principio creavit, &c. *l.* 12. *c.* 20.
Creator. Inter creatorem, & conditæ quantum interſit, *l.* 12. *c.* 15.
Creaturæ animum diſpergunt, *l.* 2. *c.* 1. *a.* inebriant, *ib. c.* 3. *a.* non ſunt pulcræ, ſicut Deus, *ib. c.* 5. v. per eſſe tendunt ad non eſſe, *l.* 4. *c.* 10. non ſtant *ib.* 6. agunt univerſum, ut magnam comœdiam, *ib. a.* contemnendæ, *ib.* v. 1. cruciant, *ib.* v. 2. Laudant Deum, *l.* 5. *c.* 1. *c.* Ut ſpongia in mari, ſic illæ in Deo, *l.* 7. *c.* 5. 1. nec omnino ſunt, nec omnino non ſunt, *ib. c.* 11. earum veritas & bonitas a Deo, *ib. c.* 15. *b. c.* Triplex habitudo ad Deum, unde triplex debitum, *ib.* v. non omnes omnibus conveniunt, *ib c.* 16. *b.* quæ malæ videntur, tripliciter bonæ ſunt, *ib. c.* 13. *c.* evaneſcit, qui in iis gaudet, *l.* 9. *c.* 4. v. 2. cum veritate conferendæ, *l.* 10. *c.* 6. 4. 1. iis ſubdiri non poſſunt de illis judicare, *ib. c.* 6. *b.* omnes clamant, ut Deum amemus, *c.* 6. 1. quæ illarum interrogatio, quomodo & quibus reſpondeant, *ib. c. e. f.* clamant, Deum eſſe creatorem, *l.* 11. *c.* 4. Cur Moyſes in poſtremo addidit: Et erant valde bona, *l.* 13. *c.* 28. Spirituales creaturæ quales ſint, *l.* 12. *c.* 13. Creata aliter videt Deus, aliter homo, *l.* 13. *c.* 38. Quomodo omnis creatura laudet ſuum creatorem, *l.* 13. *c.* 33.
Creatura duplex, *l.* 12. *c.* 12. Clamant creaturæ, quod factæ ſunt, *l.* 11 *c.* 4.
Credendum eſt ſcripturis, *l.* 12. *c.* 10.
Cultus agri, item & numinis, *l.* 13. *c.* 2. 1.
Cupiditas inordinata triplex triplicis boni, *l.* 10. *c.* 41. *a.*
Curioſitas turpia quoque & terribilia noſſe appetit, *l.* 10. *c.* 35. 2. ducit ad magiam, *ib. d.* eſt cauſſa diſtractionum in oratione, *ib.* 5. v. 2.

D

DEfrutum quid, *l.* 10. *c.* 8. *c.*
Delectationes mentis meliores quam carnis, *l.* 4. *c.* 11. 2.

Digitized by Google

Deliberationis de contemptu mundi forma, *l.* 8. *c.* 11. v.
Deus immenſus, *l.*1.*c.*2.*b.* omnia implet, *ib.c.* 3.*a.b.* ejus præſentiæ memoria, *ib.*v. ejus attributa plurima, *ib.c.*4 immutabilitas & æternitas, *ib.c.*6. *g.* Irriſio Dei quid, *ib.a.* in illo omnia vivunt, *ib. e* Deus cor univerſi, *ib f* ejus notitia mature inſtillanda, *ib.c.*9.v.1. peccata non ordinat, *ib. c.*10. errore hominum bene utitur, *ib.c.*12.2. punit cæcitate mentis, *ib.c.*18.v.3. excæcat negative, *ib.* Bonum omne in illo melius, *l.* 2.*c.* 6. *v.*1. quædam non poteſt, quia omnipotens, *ib. d.* quies in illo ſolo, *l.*1.*c.*1.1- & *l.*6.*c.*16. 3. v. 2. Finis noſter ultimus, *l.*1.*c.*1.v. 1. ei obediendum in omnibus, *l.*3.*c.*8.1 & *c.*9. curat omnes, *ib.c.*11. v. ſolus ſtabilis, *l.*4. *c.*11.1. ſolus perfecte pulcher, *ib.c.*13.v.1. qui Deum ſcit, hoc ſolo beatus eſt, *ib.c.*4. neceſſario incorruptibilis, *l.*7.*c.* 4. non poteſt cogi, *ib.* v. ſummum bonum ex omnium ſententia, *ib.*1.*a.* eſt veritas, *ib.c.* 10. noſtri non eget, *c.*10.v. nihil illi malum, *ib.c.* 13.1 *a.* ejus manus veritas, *ib.c.*15. *a* non eſt autor mali culpæ, *ib.c.*16. *c* ſolus doctor veri, *l.*5.*c.*6.*a* & *l.*7.*c.*17.*b.* cognoſcitur in ictu trepidantis aſpectus, *ib.d* ejus bonitas & dulcedo, *l.*9.*c.*1. *a* nihil illi occultum, *l.*10.*c.*2.v. eſt nihil & omnia, *ib.c.*6. *l.*2. duplex modus illum cognoſcendi, *ib.*v.1. non invenitur ſenſu, *ib.c.*7. eſt vita animæ, *ib.c.*20.*a* Invenitur in memoria, quia ibi veritas, *ib.c.*24.*a* quomodo ſit veritas, *ib. b* invenitur in ſe ſupra nos, *ib.c.*26.*b* dat electis beatitudinis promulſidem, *c.*46. v.2. non dignatur cum mendacio poſſideri, *l.*10.*c.*41.v.2. nemo illum vult amittere, *ib. b* quando in nobis quieſcit, *l.*13.*c.*37. non eget rebus creatis, *l.*13.*c.*4.1. Quomodo cognoſcitur Deus, & quomodo creatura, *l.* 11.*c.*31. Opera Dei compendio narrantur, *l.* 13 *c.*32. 1. Dei voluntas principium neſcit, *l.*11. c.10.1.
Diabolus quomodo excæcet, *l.*1.*c.*18.v.3.
Diem ſeptimum quare non ſequatur veſpera, *l.*13.*c.*16.

Docti

Docti non ideo meliores, quia plura sciunt, *l.* 5. *c.* 4. V. possunt fieri serio hæretici, *l.* 3. *c.* 10. V.
Dolor quomodo ametur, *l.* 3. *c.* 2. *b.* dolor falsus in spectaculis, *ib. c.*
Dona Dei sunt omnia, *l.* 13. *c.* 1. 1.
Dormire nemo semper vult, *l.* 8. *c.* 4. 2.
Dorsum animæ oblivio, *l.* 4. *c.* 16. *c.*
Dubitantibus de religione triplex monitum, *l.* 5. *c.* 14. V. 2.

E

Ecclesiæ & preces frequentandæ a pœnitentibus, *l.* 8. *c.* 6. V. 2.
Educationis bonæ utilitas, *l.* 9. *c.* 8. *V.* 1. quibus debeatur, *ib.*
Epicurus Philosophus infamis, *l.* 6. *c.* 16. *a*
Episcopi serviant, non dominentur, *l.* 10. *c.* 9. 3. *c.* V. 2.
Errores. Quis error innoxius in scripturis, *l.* 12. *c.* 18. Petit liberari ab erroribus August. & ad veram duci cognitionem, *l.* 11. *c.* 2.
Ethnicorum libri humilitatem non docent, *l.* 7. *c.* 20. V. ideo triplex periculum ex illis, *ib.* viam salutis non ostendunt, *ib. c.* 21. V. ad quid prosint, *ib.*
Eversores qui, *l.* 3. *c.* 3. *c.*
Evodius Augustini socius, *l.* 9. *c.* 8. 1.
Exempla Sanctorum quantum prosint, *l.* 8 *c.* 6. & 7. V. 1. 2. quid de iis cogitandum, *ib.* V. 2. tu non poteris, quod isti & istæ? *ib. c.* 11. 3.
Experientiæ labor & error, *l.* 4. *c.* 5. *a.* experientia aperit, quid in nobis lateat, *l.* 10. *c.* 32. V.

F

Fabulis non multum incumbendum, *l.* 1. *c.* 13. V. 2.
Facies animi memoria, *l.* 4. *c.* 16. *c*
Fallere multi volunt, falli nemo, *l.* 10. *c.* 23. 1.
Familiaritas magnatum inquieta, *l.* 8. *c.* 6. 2. V. 1.
Faustus Manichæus magnus laqueus Diaboli, *l.* 5. *c.* 3. 1. natura & exercitatione facundus, *ib. c.* 6. non imperitus suæ imperitiæ, *ib. c.* 7. 1. laqueum Augustini relaxat, *ib.* 3.
Fide & spe roboramur, *l.* 13. *c.* 14. 1.

Fi-

Fides invocat & impetrat, *l.* 1. *c.* 1. *d.* demonſtrationem non quærit, *l.* 6. *c.* 5. V. 1. ejus credulitas defenditur exemplis, omnipotentia Dei, ſignis, *ib.* ejus profeſſio olim facta publice, *l.* 8. *c.* 2. 5.
Fiducia in Deum, ſignum veræ vocationis, *l.* 8. *c.* 11. V.
Filius Dei principium eſt omnium, *l.* 13. *c.* 5.
Finis ultimus hominis, *l.* 1. *c.* 11. 1. V. 1.
Firmamentum. Per firmamentum ſcriptura intelligitur, *l.* 13. *c.* 18. 1.
Firminus Auguſtino fidem conſtellationum neſciens adimit, *l.* 7. *c.* 6. 4. ejus nativitatis ſtulta obſervatio, *ib.* 3.
Flagitia & facinora quomodo differant, *l.* 3. *c.* 8. *d.*
Fletus cur dulcis miſeris? *l.* 4. *c.* 5. *b.*
Fons. Ex fonte copioſius haurimus, *l.* 12. *c.* 17. 1.
Foras ſe projicere quid, *l.* 3. *c.* 1. *b.*
Fornicari a Deo quid, *l.* 1. *c.* 13. 2. *d.*
Fructus ex literis profanis, *l.* 1. *c.* 13. 1. V. 3. terræ allegorice ſunt opera pietatis, *l.* 13. *c.* 25. 1.
Fundus rerum quid, *l.* 1. *c.* 6. *b.*
Futura quomodo præſciantur, *l.* 11. *c.* 19. 1.

G

GAudium omne de creaturis vanum, *l.* 6. *c.* 6. V. 2.
Gaudium Domini ſupra omnes creaturas eſt, *l.* 9. *c.* 10. 1. 2. V. 1.
Genethliacorum divinationes, vanæ ex duplici argumento, *l.* 7. *c.* 6. V.
SS. Gervaſii & Protaſii corpora S. Ambroſio revelantur, *l.* 9. *c.* 7. 2. transferuntur cum miraculis, *ib.* quamdiu incorrupta, *ib. b.*
Gladiatoria ſpectacula immania, *l.* 6. *c.* 8. a quo ſublata, *ib. b.*
Grammaticorum præcepta ſervantur, Dei violantur, *l.* 1. *c* 18. 2.
Grammatica poeſi utilior, *l* 1. *c.* 13. 2. 3.
Gratiæ divinæ efficacia, *l.* 8. *c.* 6. V. 4.
Gratiæ Deo agendæ pro peccatis non commiſſis,

sis, *l.*2.*c.*7.V.1.pro beneficio conversionis & vocationis, *l.*8.*c.*1.V.2.*l.*9.*c.*1.V.1.omnia, *l.*13. *c.*3. 1.
Gratitudo erga Deum commendatur pro variis beneficiis, *l.*4.*c.*6. V.2. *&* *c.*7.V.1. *&* *c.*12. V.1. *ib.c.*20. *l.*2.*c.*3. V.4. *ib.* *c.*7.
Gula in vilioribus quoque frænanda, *l.* 10. *c.* 31. V.3.

H

HÆresum utiliras triplex, *l.*7. *c.* 19. V. 1. Hæreticorum indoles & verba, *l.*3.*c.*19. V. 1. argumenta frivola, *ib.c.*7. V.In luctu carent solatio, *l.*4. *c.*4. V. 4. Cur plus verbis studeant? *l.* 5.*c.*6. V. 2. Multi errores suorum agnoscunt, *ib.* *c.*7. V. 3. irrident credulitatem Catholicorum, & volunt sibi credi absurda, *l.*6.*c.*5. quæruntin fide demonstrationes, *ib.* V. Editionem vulgatam inique rejiciunt, *l.*5.*c.*11. V.
Hierius orator, *l.*4.*c.*14. 2.
Histriones apud Romanos infames, non apud Græcos, *l.*4.*c.*14.*c.*
Homo pronus in malum, *l.*1.*c.*9.V.2.*&* *c.*13. V.1. Spiritus ambulans & non revertens, *ib.* *c.*13. *a.* nullus perfecte pulcher, *l.*4.*c.* 13. V.2. nescit odio an amore dignus sit, *l.*10. *c.*5.*a.* V. in hac vita est sibi præsentior, quam Deo, *ib.* 1. *a.*
Hominum judicia & opprobria spernenda, *l.*2.*c.*2.2. V.1. offensiones vitandæ, *ib.*V.2.
Humanitas & benignitas commendantur, *l.*5.*c.*13. V.2.
Humilitatis incitamentum ex attributis Dei, *l.*1.*c.* 5. V.2. ex defectibus, *l.* 9. *c.* 8. V. 4. aliud, *ib* *c.*13. V.2. aliud, *l.*10. *c.* 2. V. Necessaria ad intellectum Scripturæ, *l.*3.*c.*4.V. non reperitur in libris gentilium, *l.*7.*c.*20. 2. *&* 21. 2. 3.

Illu-

I

Illusiones nocturnæ, si accidant, triplex documentum, *l.*10.*c.*30. V.3.
Immolare facta, *l.*3.*c.*3.*a.*
Impii sunt umbræ universi, *l.*5.*c.*2. *a.* apti inferioribus partibus, *l.*7.*c.*16 *b.* pœna sua ornant universum, *ib.b.*
Incorruptibile corruptibili melius, *l.*7.*c.*1. 2.
Indocti non contemnendi, *l.*4 *c.*16.4.V 2.meliores doctis sui negligentibus, *ib.c.*5.2.cœlum rapiunt, *l.*8.*c.*8.1.
Infantiæ motus, *l.*1.*c.*5.de ea aliis credimus, *ib. & c.* 7. 2. ejus peccata qualia, *ib. c.* 7. *a*, vix vitæ annumeranda, *ib.*2.
Infans dormit, priusquam vigilet, *ib.d.* motu membrorum loquitur, *ib. c.* 8. ex observatione loquentium discit loqui, *ib.b.*
In idipsum quid, *l* 9.*c.*4. *f.*
Iniquitas ex adipe quid, *l.*2.*c.*3.*b.*
Innocentia servatur gratiarum actione & oratione, *l.*2.*c.*7. V. 2. est majus donum, quam pœnitentia, *l.*8.*c.* 3.*a.*
Innocentes non minus debent Deo, quam peccatores, *l.*2.*c.*7 V. 2.
Inordinatus animus sibi pœna, *l.*1. *c.* 12. V.2.
Invitus nemo bene facit, *l.*1. *c.*12. *a.*
Invocare quid, *l.* 1. *c.*1. *a.*
Intelligentia quid, *l.*7. *c.* 17. *c.*
Jovinianus in monasterio S. Ambrosii, *l.* 8. *c.*6.*d.*
Isaias propheta difficilis, *l.*9. *c.* 6.
Judicari ex humano die quid, *l.*3. *c.*7. *b.*
Judicia temeraria cavenda, *l.*3.*c.*9. V.1.de quibus judicare debet Christianus, *l.*13.*c.*23.
Julianus vetuit Christianos Humaniores literas docere & discere, *l.*8.*c.*6.*a.*
Justina persequitur Ambrosium, *l.*9.*c.*7.1. *a.*
Juventus coercenda, *l.*1.*c.*11. V.4. traducenda ad studium laudis divinæ, *ib. c.*17. V. 1. eius vitia transeunt ad alias ætates, *ib. c.*19.3. V.
Decem gradus ad impietatem, *l.*2.*c.*3. V. 3.
Ubique in vitia effunditur, *l.*5 *c.*12.V.1.adigenda ad temperantiam in potu, *l.*9.*c.*8.V.2.

La-

L

LActis materni generatio & beneficium, *l.*1. *c.*6. *c*
Latinitas quorundam profana in rebus ſacris, *l* 9. *c.*4. *c.*
Laudari nolumus quovis modo, *l.* 4. *c.* 14.
Laudes & vituperia ſpernenda, *l* 4. *c.* 14. V.
Laus humana nihil proderit *in* judicio, *l.*10. *c.* 36. 53. V. 2. non fugienda faciendo digna vituperio, *ib.* V. 2. etiam in illius contemptu periculum, *ib. c.* 40.
Legum neceſſitas, *l* 1. *c.*14. V.
Liber Geneſeos eſt obſcurus, *l.*12. *c.*25.
Libertatis illicitæ uſus, eſt peccatum ex malitia, *l.*2. *c.*4. *b.* non eſt potentiæ, ſed infirmitatis, *ib. d.*
Liberum arbitrium cauſſa peccati, *l.*7. *c.* 5. quomodo id deprehenderit Auguſtinus, *ib. & c.* 16. *c.*
Libri gentilium de virtute & ſapientia utiles, *l.*3. *c.*4. V. 1.
Lignum pro navi, *l.* 1. *c.* 16. *a.*
Linguæ uſus rectus, *l.*1 *c.*8. V. 1.
Linguæ peregrinæ difficultas, *l.* 1. *c.* 15.
Litera occidit, Spiritus vivificat, *l.*3. *c.*14. 1. *& l.*6. *c.*4. 2 V. 1.
Lux divina quæ, *l.*10. *c.*34. 1.
Lucis corporeæ illecebræ, *l.*10. *c.* 34. ejus abſentia contriſtat, *ib.*1. *a.*

M

MAgiſtri ſtudium honoris divini diſcipulis inſtillent, *l.*1. *c.* 17. V. 1. eos exerceant argumentis Chriſtianis, *ib.* V. 2.
Malum qua tale non amatur, *l.* 2. *c.* 9. *a.* eſt corruptio, *l.*7. *c.*12. *a.* non eſt niſi privatio boni, *c.*13. *c.* Malum naturæ & pœnæ eſt a Deo, non culpæ, *ib. c.*16. *c.*
Manes, ſive Urbicus Perſa, Manichæorum autor, *l.*3. *c.*6. *a.*
Manichæi ſuperbi, loquaces, fallaces, *l.*3. *c.*6. Eorum fabulæ de duobus principiis, *ib. b. & l.* 7. *c.*14. *a.* de Elementis, *ib. c.* de ficu plorante, *ib. c.* 10. *a.* de commixtione boni & ma-

& mali, utriuſque pugna, & boni purgatione, *ib. c.*10. *&* *l.* 4. *c.*1. *b.* de ſuppliciis inferorum poſt mortem, *l.* 6. *c.* 16. V. 1. Eorum duo genera, electi & auditores, *l.* 10. *c.* 3. *b.* Catholicis abſurda dogmata imponebant, *l.*5. *c.*10. 4. *c.*V.2. eorum reſponſiones imbecillæ; *ib. c.* 11. probitas ſimulata, *l.*6. *c.*7. *c.* docebant Chriſtum eſſe phantaſma, *l.*7. *c.*7. *a* figmentum de duabus naturis in homine refellitur, *l.* 8. *c.* 10.

Materia non eſt cauſſa mali, *l.*7. *c.* 5. 2. 3.

Mediator verus qualis, *l.*10. *c.*42. 2. ſolus Chriſtus talis, *c.* 43. Mediator allax dæmon, *ib. c.*42.

Memoria S. Cypriani, *l.*5. *c.*8. *b.* templa Martyrum dictæ memoriæ, *ib.*

Memoriæ miracula. *l.* Continere omnium ſenſibilium imagines, *l.*10. *c.*8. II. Scientias, & artes ſine imagine per ſeipſas, *ib. c.* 9. quæ eruuntur altero admonente, *ib. c.*10. numeri etiam, & dimenſiones ibi ſunt, *ib. c.*12. III. Actuum & affectuum meminiſſe, *ib. c.* 13. nec perturbationem ſentire, *ib. c.* 14. memoria enim eſt quaſi venter animi, *ib. b.* relinquunt autem paſſiones imaginem ſui, *ib. c.* 15. IV. Oblivionis meminiſſe, *c.* 16. quod explicatur, *ib. n.* Non reperitur Deus in memoria, ut cum brutis nobis communis eſt, *ib c.* 17. nec extra illam, ubi recognoſcimus, quidquid invenimus, *ib. c.* 18. Quomodo recordemur oblitorum, *c.*19. Beata vita aliquo modo eſt in memoria, *ib. c.*20. quia habemus experientiam gaudii alicujus particularis, unde venimus in notitiam boni univerſalis, *ib. c.*21. *b.*

Mendici ſaturi hilaritas, *l.*6. *c.* 6.

Menſura neceſſitatis in cibo & potu difficilis, *l.*10. *c.* 31. V. 2. quomodo reperienda, *ib.*

Merita noſtra munera Dei, *l.*9. *c.*13. 1. V. 2.

Miniſter Dei optimus quis, *l.*10. *c.*26. V.

Miraculum petere, an peccatum, *lib* 10. *cap.* 35. *f.*

Miſeriæ quomodo amandæ, *l.*3. *c.*2. *b.* *&* *l.*10. *c.*28. *c.*

Mi-

Miſericordia falſa in ſpectaculis, *l.* 3. *c.* 2. vera quæ, *ib. a.*
Miſericordia remota, væ etiam juſtis, *l.* 9. *c.* 13. 1.
Moles in parte minor, quam in toto, *l.* 3. *c.* 6. 1.
S. Monica docet filios inſtituere, *l.* 1. *c.* 11. V. 2. ſuperioribus ſervire, *ib.* V. 3. ejus ſomnium de filii converſione, *l.* 3. *c.* 11. de eadem reſponſum Epiſcopi, *ib. c.* 12. *a.* Iter Filii Romam fruſtra impedire laborat, *l.* 5. *c.* 8. 3. Deus deſiderii ejus cardinem exaudivit, *ib.* 4. preces auditæ, *ib. c.* 9. Filium Mediolanum ſequitur, *l.* 6. *c.* 1. S. Ambroſio obedit, *ib. c.* 2. ejus ſobrietas, *ib.* V. 1. in matrimonio filii fallitur, *ib. c.* 13. Revelationes diſcernit, *ib.* V. 2. Moritur, *l.* 9. *c.* 8. 1. ejus educatio, *ib.* Convitio ancillæ emendatur, *ib.* eius manſuetudo ac patientia, *ib. c.* 9. ſtudium & gratia conciliandi diſſidentes, *ib.* maritum convertit, *ib.* 4. Colloquium cum filio de vita æterna, *ib. c.* 10. ejus deſiderium, *ib.* febre corripitur, *ib. c.* 11. 1. de ſepulcro non eſt ſolicita, *ib.* 1. 3. preces pro ſe petit, *ib.* quo anno mortua, *ib.* 3. *a.*
Monita ſalutaria, ſæpe diu poſt movent, *l.* 4. *c.* 3. V. 2.
Mons incaſeatus Chriſtus, vel Eccleſia, *l.* 9. *c.* 3. *c.*
Morituri cura quæ eſſe debeat, *l.* 9. *c.* 11. V. 1.
Mors juſtorum non deflenda, *ib. c.* 12. 1. 2.
Mundus ex nihilo factus, *l.* 11. *c.* 5. Verbum æternum eum condidit, *l.* 11. *c.* 6. Ante mundi creationem quid fecerit Deus, 11. 12.

N

NAtura refugit non eſſe, *l.* 4. *c.* 6. *a.* aliquid illi indulgendum in gravi luctu, *l.* 9. *c.* 12. V. 4. Quæ ſunt contra naturam, ſemper ſunt illicita, *l.* 2. *c.* 8. 1.
Nebridii argumentum adverſus Manichæos, *l.* 7. *c.* 3. quantus Sapientiæ indagator, *l.* 8. *c.* 6. *b.* odit de quæſtione magna reſponſionem brevem, *ib.* Verecundo ſubdocet, *ib.* 2. moritur Catholicus, *l* 9. *c.* 3. 2.
Neophyti, V. Catechumeni.
Nobiles & clari, quomodo præponendi aliis

allis, *l.* 8. c. 4. V.
Noviſſimorum memoria utilis, *l.*6. *c.*16. V.1.
Notio quid, *l.*10. *c.*18. *b.*
Nundinæ loquacitatis quæ, *l.*9. *c.*4. *a.*
Nugæ majorum vocantur negotia, *l.*1. *c.* 9. 3.
Nugæ nugarum quid ſuadeant, *l.*8. *c.* 11. 2. 3. V. refelluntur a continentia, *ib.*

O

OBlationes fidelium ad altare, *l.*5. *c.* 9. *d.* Oculorum cauſſa innumera excogitavit curioſitas, *l.* 10. *c.* 4. 3.
Opera Dei ſemper bona ſunt, *l.*13 *c.*29. 1. in eos quibus Dei opera diſplicent, *l.*13. *c.*30. Omnes pii probant ſemper opera Dei, *l.*13. *c.*31.
Oratio commendatur, *l.*1. *c.*1. V.2. contra teporem, *ib.c.*5. V.3. pro perſeverantia, *ib. c.* 15. *&* *l.*2. *c.*7. V.2. Orationis cardo quis, *l.*5. *c.*8. V.3. continetur oratione Dominica, *ib.* ſolus ab orante intendendus, *ib.* temporalia quomodo petenda, *ib.* Oratio crebra & fervens ſignum bonum, *l.*7. *c.*7. V.1.
Oratio S. Auguſtini, Da quod jubes, & jube quod vis, *l.*10. *c.*29. V. Oratio pro defunctis. V. Auguſt. & Monicæ.
Oſeas adulterium non commiſit, *l.*3. *c.* 9. *b.*
Ordo univerſi requirit, ut quædam poſſint deficere, *l.*7. *c.* 16. *c.* 2.

P

PAcem optat Auguſtinus, *l.*13. *c.*35.
Parentes doceant liberos Deum noſſe, *l.*1. *c.*4. V.1. eorum vocationem Deo permittant, *lb.* 10. V.1. non ament majores nugas, quam ipſi, *ib.* V.2. ſæpe corrumpi illos ſinunt, & malunt mundo ſervire, quam Chriſto, *l.*2 *c.* 3. V.2. Parentum monita bona, Dei ſunt, *ib.* V.2. eorum probitas magnum Dei beneficium, *l.*6. *c.*2. V.3. eorum conſilia vana Deus diſſipat, *ib. c.*12. V.1. tales liberis præficiant, qui

qui bonos esse cogant, *l.*9. *c.*8. V. 1. Parens Augustini moritur, judicio Dei, vanis parentibus metuendo, *l.*3. *c.*4. 1. V. 3.
Pars toti non congruens, turpis est, *l.*3. *c.*8. 1. V. 1.
Patientia necessaria, *l.*10. *c.* 28. V. 1.
Paulus Apostolus, cur hoc nomen assumpserit, *l.*8. *c.* 4. *a.*
Peccata animam dispergunt, *l.*2. *c.* 1. *a.* inebriant, *ib.c.*3. *a.* committuntur desiderio vel metu, *l.*2. *c.*5. fallunt boni specie, & Deum perverse imitantur, *ib.c.*6. 2. *b.* eorum entitas physica mirabilis, *ib.c.* quot modis committantur, *l.*3. *c.*8. 4. *c.* quædam peccatis similia, peccata non sunt, *ib.c.*9. *b.* peccata proficientium, *ib. a.* Peccatorum remissio fit per spiritum, *l.*13. *c.*13. 1.
Peccatum ex malitia quod, *l.*2. *c.*4 *a. b.* æmulatur Dei omnipotentiam, *ib.c.*6. 3. *d.* est aliis gravius, reddit incorrigibiles, *ib.* V. 2.
Peccatum summum malum, *l.*4. *c.*15. V. non est substantia, *l.*7. *c.*16. *a.* habet causam deficientem, *ib.* Peccata fugienda, *ib.* V. 1. impediunt conversionem, *l.*8. *c.* 11. V. 1.
Peccator quantum amittat, *l.*3. *c.*8. 4. V. 4. Deo non nocet, *l.*5. *c.*2. *b.* illius asperitatem præfert lenitati, *ib.* V. quomodo odio habendus, *l.*5. *c.*12. V. 3.
Philosophi multa vera docuerunt, *l.*5. *c.*3. evanuerunt ob quinque causas, *ib.* V. 2.
Photini error de Christo, *l.* 7. *c.*19. 1. *a.*
Pietatis officia sunt fructus terræ, *l.*13. *c.* 25.
Pisces & Cete quid sint, *l.*12. *c.*27.
Platonicorum libri divinitatem docent, non humilitatem, *l.*7. *c.*19. & 21. periculum ex illis, *ib.* V. olim aliis philosophis prælati, *l.* 7. *c.* 9. *a.* Initium Evangelii S. Joannis venerantur, *ib.* Superbia excæcati, *ib.* V. 1.
Poetæ lascivi detestandi, *l.*1. *c.*16. V. 1. docent scelera, *ib.* vetandi ob tres causas, *ib.*2. prius legendi Scriptores puri, *ib.*
Politici omnes errores approbant, *l.*6. *c.* 1. V. eorum vafrities, *ib. c.*10. V. 2.

Poti-

Digitized by Google

Potitianus recenſet vitam S. Antonii, &c. *l.* 8. *c.* 6.
Prædeſtinationis ſignum habere, qui pro ſe orent ferventer, *l.* 3. *c.* 12. V.
Prædicamenta recenſentur, *l.* 4. *c.* 16. 1. Deus, illis non continetur, *ib.* 2. *a.*
Prius, quot modis dicitur, *l.* 12. *c.* 29.
Proſperitas adverſitate periculoſior, *l.* 10. *c.* 28. *a. d.*
Providentiæ divinæ mira conſilia, in Fauſti congreſſu cum Auguſtino, *l.* 5. *c.* 7. v. in itinere ejus Romam, *ib. c.* 8. 3. v. 1. in Rhetorica Mediolanenſi per Manichæos eidem procurata, *ib. c.* 13. In Alipio ab amore Circenſium revocato, per Auguſtini neſcientis irriſionem, *l.* 6. *c.* 7. v. 2. in ejuſdem Alipii innocentis, tanquam furis comprehenſione, *ib. c.* 9. v. 1. in Auguſtino a Genethliacis abducto, per Firmini non opinantis narrationem, *l.* 7. *c.* 6. in libris Platonicorum ab eo ante Scripturam lectis, *ib. c.* 20. 2. V. in Monicæ merobibulæ emendatione, per ancillæ convitium, *l.* 9. *c.* 8. 5. v. 4. Similia in te expende, & agnoſce.
Pſalmorum laus & utilitas, *l.* 9. *c.* 4. v. 1. & *c.* 7. v. 1.
Pſalmus quartus explicatur contra Manichæos, *l.* 9. *c.* 14.
Pſalterium decachordum quid, *l.* 3. *c.* 8. 2. *c.*
Pubertatis pericula, quouſque, *l.* 2. *c.* 2. v. 2.
Pueritiæ dona ac beneficia, *l.* 1. *c.* 20.
Pugna gaudii & mœroris in hac vita abſque ullo interſtitio, *l.* 10. *c.* 28. *a. b*
Pulcrum quid, *l.* 4. *c.* 13. *a* Pulcritudo tribus conſtat, *ib.* differt a bono, *ib.*

Q

QUies in ſolo Deo, *l.* 6. *c.* 16. v. 3. Quomodo Deus quieſcit in nobis, *l.* 13. *c.* 37. vide Deus.

R

RAtio melior ſenſibus, *l.*10.*c.*6.5.
Regibus obediendum, *l.*3.*c.*8.1.
Regula quid, *l.*3.*c.*11.4
Remiſſio peccatorum ex ſpiritu, *l.*13.*c.*13.
Renaſcentia ſpiritus, *l.*13.*c.*22.
Revelationes veræ, quomodo diſcernantur a falſis, *l.*6.*c.*12.v.2.
Rhetoricam vendere quid, *l.*4.*c.*2.*a.* eſt victoriosa loquacitas, *ib.* Nundinæ loquacitatis, ſupra.
Ridet nemo facile ſolus, *l.*2.*c.*9,1.*a.* Cur? *ib.*
Ridere in malis, *l.*1.*c.*9.*b.*
Romanianus Auguſt. Communiceps, & Mecænas, *l.*6.*c.*14.4
Romæ diſcipuli quales, *l.*5.*c.*15.
Romani omnium Deorum cultores, *l.*8.*c.*2.*b.*
Romanæ Eccleſiæ fidem tenuit Auguſtinus, vide ſupra, Aurelius Auguſtinus.

S

SApientiæ humanæ contemptus attollit ad divinam, *l.*7.*c.*10.v.
Sapientiæ & veritatis deſiderium reſpicit Deus, *l.*6.*c.*10.v.4.
Scientiæ faſtu quærentes Deum, illuſi ſunt a Dæmone, *l.*10.*c.*42.1.
Scire Deum plus, quam invocare, *l.*4.*c.*1.*c.*v.1.
Scholaſticorum Carthagine licentia, *l.*5.*c.*8.2
Scriptura ſuperbo Auguſtino diſplicet, *l.*3.*c.*4. eandem humilis laudat, *ib.* v. ejus præſtantia, *ib.* obſcuritas, *l.*6.*c.*4.2.v.1.*ib.c* 5.3. auctoritas argumentum Spiritus S. *ib.*2.3. Nihil in ea falſum eſſe poteſt, *l.*7.*c.*19.1.v.1. totæ humilitatem docet, *c.*21.1.*a* Profunditas ejus, *l.*12.*c.*14. Grave crimen eſt, dicere, falſum in ea contineri, *l.*12.*c.*13. Levius paullum eſt, aberrare a ſenſu ejus, *ib.* Semper verax eſt, etiamſi non intelligatur, *l.*12.*c.*

24. Quis ſermo eam deceat, *l.*12. *c.*26. A quibuſdam perperam intellecta, *l.*11.*c.*28. Scriptura ſcrutanda eſt cum honore ſcriptoris, *l.*12. *c.*30. *v.* Credere.
Scrupuli & perplexitas unde, *l.*10 *c.*5. *a.*
Securitas poſt converſionem, *l.*9. *c.* 6. *v.*
Senſus recipiunt imagines ſine rebus, *l.*10. *c.*8. *b*
Sepulcri cura vana, *l.*9 *c.*11. *v.* 3.
Similes Deo apti ſuperioribus partibus, *l.*7. *c.* 16. *v.* 1.
Simplicianus presbyter, poſtea Epiſcopus, ejus laus, *l.* 8. *c.* 1. *b.* Pater Ambroſii in gratia Chriſti, *ib.c.*2.
Simplicibus ſolatium, *l.*5.*c.*5.*v.*1.
Sinus Abrahæ, quid, *l.*9.*c.*3. *e.*
Species intelligibiles ſcientiarum & artium, item numerorum &c. non agnovit S. Auguſtinus, *l.*10.*c.*10. *&* 11. *&* 12.
Spectacula turpia deteſtanda, *l.*3. *c.*2. *v.*
Sobrietatis & temperantiæ triplex ſtimulus, *l.*10. *c.*31. *v.*1.
Societatis pravæ damna, *l.* 2. *c.* 3. 4. *&* *c.* 8. *&* *c.* 9. *v.*
Sociis malis reſiſtendum, *l.*6.*c.*8. *v.*1.
Solatium ſolidum in morte carorum, *l.* 4. *c.*4. *v.*3. *&* *c.*7. *v.* 3. *&* *c.*8. *v.*1. & jactura quavis, *ibid.*
Spiritus affectus, *l.*13.*c.*7 Spiritus fovens animas infirmas, *l.*13.*c.*8. Cur ſpiritus ſolus ſuper aquas ferri dicatur, *l.*13. *c.*9.
Spolia Ægypti ex Philoſophis gentilibus, *l.* 7. *c.* 9. *v.*2.
Status vitæ qua deliberatione, & quorum conſilio ſuſcipiendus, *l.* 8. *c.*1. *v.* 2. *&* *c.* 11. 2. 3. *v.*
Subſtantia nulla mala eſt, *l.*1° *c.*12. *a.*
Superbia Adæ & Evæ, *l.*1.*c.*1.*b.*Superbiæ hoſtis Deus, *ib.v.*2. obex ſalutis, *l* 5. *c.*10.*v.*1. Superbia ingenioſorum & doctorum retunditur, *l.*4.*c.*16.*v.*1.animum opprimit, *l.*7.*c.*7 *c.* 2.cupit amari & laudari pro Deo, *l.* 10.*c.*36. dona Dei vertit in damnum, *ib'v.*3. ejus perpetua infeſtatio, & ſubtilitas, *ib. c.* 37. Tri-

plex antidotum, *ib.* V. 2. Superbis Deus resistit, *l.* 1. *c.* 1. *b.* & *c.* 4. 1. *c.* & *l.* 7. *c.* 9. 1.
Supererogare quid, *l.* 1. *c.* 4. *f.*
Surgere cito aliud est, quam non cadere, *l.* 10. *c.* 35. *f.*

T

TEmpora non fuerunt ante res creatas, *l.* 11. *c.* 13. Ties differentiæ temporis, *l.* 11. *c.* 14. Nescit Aug. quid sit tempus, *l.* 11. *c.* 14. 2. & *l.* 11. *c.* 25. Mensura temporis quæ sit, *l.* 11. *c.* 15. Quale tempus potest metiri, & quale non *l.* 11. *c.* 16. Ubi sit tempus præteritum, & futurum, *l.* 11 *c* 17. Tempora præterita, & futura quomodo sint in præsenti, *l.* 11. *c.* 18. Quomodo temporis differentiæ nominandæ sint, *l.* 11. *c.* 20. Quomodo liceat metiri tempus, *l.* 11. *c.* 21. Tempus quid sit, *l.* 11. *c.* 23. Tempus est, quo motum corporis metimur, *l.* 11. *c.* 24. Animo metimur tempora, *l.* 11. *c.* 28.
Tempus dolori medetur, *l.* 4. *c.* 8. 1. *a.*
Tenebræ super faciem abyssi, *l.* 11. *c.* 3.
Tentationibus omnibus remedium ex bonitate Dei, *l.* 2. *c.* 6. V. 1. superantur spe & oratione, *l.* 10. *c.* 29. V.
Tentari & affligi prodest, *l.* 6. *c.* 9. V. 2.
Tentare Deum quid, *l.* 10. *c.* 35. *e.*
Terentius lascivus, *L.* 1. *c.* 16.
S. Teresiæ in transitu ad religionem, ingens horror & dolor, *l.* 8. *c.* 11. V.
Terra, & cœlum duplicia, *l.* 11. *c.* 2. Terra erat inanis, & vacua exponitur, *l.* 12. *c.* 21.
Trinitatis symbolum in homine, *l.* 13. *c.* 11.
Typhus pro superbia, *l.* 3. *c.* 3. 2. *b.*

V

VAcationes adolescentibus periculosæ, *l.* 2. *c.* 3. V. 3.
Vanitatis argumentum non est splendor & honor, *l.* 6. *c.* 6. V. 1.
Velle bonum fortiter & integre, est ad Deum con-

converti, *l.8. c.8. V. 3.*
Venena quomodo bona, *l.7. c.13. e.*
Verecundus rus ſuum concedit Auguſtino, *l.9.c.3. 1.* moritur Chriſtianus, *ib.*
Verbi divini efficacia, *l.5.c.13.v.3.* ejus prædicatores quales, *ib.* Verba ſunt quaſi vaſa rerum, & ſapientiæ ac ſtultitiæ, *l.1.c.16.& l.4.c.6.2.*
Verbum patris, filius Dei, eſt patri coæternum, *l.11.c.7.* Dei verbum quomodo in corde nobis loquatur, *l.11. c. 9.* docemur in omnibus per Dei verbum, *l. 11.c.8.*
Veri Doctor Deus ſolus, *l.5 c.6. a.*
Veri inquiſitio eſt difficilis, *l 12.c.1.* Adverſus eos, qui contradicunt veritati, *l. 12. c.16.* Quæ liquido ſunt vera, *l.12. c. 19.* Veritas a quocunque dicatur, recipi debet, *l.12.c.31.* veritas revelata, *l.12. c.32.*
Veritas Dei quid, *l.7. c.15.a.* Cur Dei manus? *ib.a.* quid in communi, *ib. b.* ſecundum veritatem primam quomodo judicet anima, *c.17.2.b.* Omnes, quod amant, volunt eſſe veritatem, *l.10.c.23. 2. d.*
Veritas ubique præſidet & omnibus reſpondet, *ib. c.26. d.e. f.* Lucens amatur, redarguens odium parit, *ib.c.23. 2. d.* eſt lux incorporea, *l.7. c. 10. c.*
Veteris Teſtamenti Patribus quædam fuerunt licita, quæ nunc ſunt illicita, *l.3.c.7* ſalvati ſunt per fidem futuræ paſſionis Chriſti, ſicut nos per fidem præteritæ, *l.10. c. 4. 3. 2.*
Victorinus Rhetor celebris, librorum Platonicorum interpres, *l.8. c.2.1. a* Lectione Scripturæ convertitur, *ib.2.* fidem publice profiteri non erubeſcit, *ib.4.5.6. V.* ſub Juliano profeſſionem Rhetoricæ deſerit, *ib. c. 5. a.*
Videre generatim idem eſt, quod cognoſcere, *l.10. c.15. 1. b.*
Virtus unit, ideoque Monas, *l. 4. c. 5.1. c.*
Virtutes morales ſine fide nihil proſunt, *l.5.c. 7. V. 1.*
Virtutum creatio, *l.13. c. 20. 1.* Cor non fiet virtutum capax niſi pulſis vitiis, *l.13, c. 19.*
Vitæ æternæ gaudium quale, *l.9. c. 10. V. 1.*

Vita humana tentatio est, *l.*10. *c.* 28.
Vitæ Christianæ ordo, & fructus, *l.*13.*c.*34.
Beatitudo.
Vitia electorum ante mortem emendantur, *l* 9. *c.* 11. V. 4.
Vitia minima ad magna ducunt, *l.*9.*c.*8. V.3.
Vitium dividit, ideoque Dyas, *l.*4.*c.*15. 1. *c.*
Vivere male adversus tria & septem, quid, *l.*3. *c.*8. *c.*
Universitati rerum nihil malum est, *l.*7.*c.*13.*b.* in partibus ejus quædam quibusdam mala sunt, *ib.*1.*b.* ejus ordo requirit, ut quædam possint deficere, *ib.c.*16.*c.*2. quomodo impii cum sua pœna illud ornent, *ib. b.*
Voluntas ideo sibi frustra imperat, quia non tota vult, *l.*8. *c.*9. V.
Voluntates contrariæ non arguunt duas naturas in homine, sed diversus affectus, *l.*3.*c.*10.
Urbanitas noxia quæ *l.*3.*c.*1.2. V.2.
Utendum creaturis, ut ducunt ad Deum finem nostrum, *l.*7. *c.*16. V.2.
Uxor impedimentum vitæ communis & quietis, *l.*6. *c.* 14. 2. V.

Omnia ad majorem Dei Gloriam.

Libri

Digitized by Goo

Libri qui præter alios proſtant venales apud Jo: Baptiſtam Recurti Bibliopolam Venetum ſub ſigno Religionis.

A *Mort* (*Euſebii Can. Reg. Later.*) Philoſophia Pollingana ad normam Burgundicæ inſtaurata, cum additione Matheſis Pollinganæ, ſeu Arithmeticæ, Geometriæ, Trigonometriæ, & Aſtronomiæ, cum tabulis æneis accuratiſſimis. in 12. tom. 6.

. . . Ejuſdem de Origine, progreſſu, valore, ac fructu Indulgentiarum Hiſtoria Polemica, Dogmatica, & Critica. fol.

. . . Ejuſdem Diſquiſitiones Dogmaticæ de Controverſiis in Theologia Morali inſignibus. 4.

. . . Ejuſdem Demonſtratio Critica, ubi demonſtratur Religionem Catholicam cæteris Proteſtantium Religionibus evidenter probabiliorem, ac eoipſo certiſſime veram eſſe. fol.

. . . Ejuſdem de Revelationibus, Viſionibus, ac Apparitionibus 4. tom. 2.

Alloquia Amatoria ad Virginem Deiparam SS. Patrum, aliorumque Scriptorum illuſtrium verbis concinnata. 8.

Anno de' Santi, cioè nuovo Leggendario de' Santi a modo di meditazioni per ciaſcun giorno dell'anno. vol. 6. in 12.

Bonæ (*Card. Joannis*) De Sacrificio Miſſæ tractatus Aſceticus 12.

. . . Ejuſdem Manuductio ad Cœlum, ac principia, & documenta vitæ Chriſtianæ 12.

Boi-

Boileau (*Monſ. Abate Predic. di Luigi XIV.*) Panegirici Sacri 8.

Bona (*P. Niccolò Maria Cher. Reg.*) Orazione panegirica delle lodi di S. Luigi Gonzaga 12.

Bovio (*Giambattiſta*) Teatro Morale, Dogmatico, Dottrinale, Iſtorico, Scritturale, e Predicabile. vol. 2. 4.

Botti (*D. Paolo*) L'Ore della Monaca ben ſpeſe 12.

Biron (*D. Gio: Franceſco*) Diſcorſi, e Panegirici Sacri 8.

del Detto Panegirico in onore di S. Giovanni Nepomuceno 8.

Bonfrizieri (*P. Placido*) Pratica del Criſtiano ſecolare 12.

Baleſtrieri [*P. Ortenſio della Comp. di Gesù*) Eſercizj ſpirituali di S. Ignazio pel ritiro di dieci giorni. 12.

del Detto Pratica per ajutare a ben morire 12.

Baſſanin (*D. Franceſco*) La Religioſa in tre Stati, di Novizia, di Profeſſa, e di Converſa 8.

Boſſaet (*Monſ. Jacopo Benigno*) Avvertimenti a' Proteſtanti intorno alle lettere del miniſtro *Jurieù* contro la Storia delle variazioni delle Chieſe Proteſtanti 12. vol. 2.

del Detto Meditazioni ſopra il Vangelo 12. vol. 4.

Berruyer (*P. Iſacco Gioſeffo della Comp. di Gesù*) Storia del Popolo di Dio 4. vol. 7.

Baronii (*Card. Cæſaris*) Annales Eccleſiaſtici: in quibus additæ ſunt *Stephani Baluzii* Notæ, & ad calcem uniuſcu-

Digitized by Google

uniuſcujuſque tomi Critica-Hiſtorico-Chronologica *Franciſci Pagi*. fol. vol. 13.

Campelli (*Joannis*) Elegi Mariales 8.

Carli (*Co. Gianrinaldo*) Spedizione degli Argonauti in Colco, ove ſi dilucidano varj punti intorno alla Navigazione, all' Aſtronomia, alla Cronologia, e alla Geografia degli Antichi 4.

del Detto la Teogonia, ovvero la Generazione degli Dei d' Eſiodo Aſcreo tradotta per la prima volta in verſo Italiano col Teſto Greco accanto 8.

del Detto la Ifigenia in Tauri, Tragedia 12.

Ciceronis (*M. Tullii*) Epiſtolæ familiares cum notis *Joannis Minellii*. 8.

Campioni (*Franciſci Mariæ*) Inſtructio pro ſe præparantibus ad audiendas Confeſſiones 4.

Canali (*P. Angeli Mariæ*) Doctrina Catholica de Septem Eccleſiæ Sacramentis. fol.

Cornelius Nepos de excellentibus viris, notis perpetuis ad modum *Joannis Minellii* illuſtratus. 12.

la Chieſa di Gesù Criſto vendicata contro le impugnazioni di *Giacomo Picenino* Proteſtante di Coira dal P. *Antonio da Venezia* Minor Oſſerv. 4. vol. 2.

de Caſtro P. (*Franceſco della Comp. di Gesù*) Panegirici Sacri. 4.

Cerimonie funebri di tutte le Nazioni del mondo. 12.

la Civiltà praticata in Francia tra le Perſone ben nate. 12.

Catulli, Tibulli, & Propertii casta carmina. 12.

Elbel (*P. Beniamin*) Theologia Sacramentalis. 4.

... Ejusdem Theologia Moralis per modum conferentiarum practicis casibus applicata. 4.

Francolini (*Baltbassaris S. J.*) Tirocinium Theologicum. 12.

Graveson (*Fr. Ignatii Hiacynthi*) Opera omnia in unum Corpus redacta, & in septem tomos tributa. 4. tom. 7.

... Ejusdem Historia Ecclesiastica variis colloquiis digesta. 4. vol. 3.

... Ejusdem Historia Ecclesiastica Veteris Testamenti. 4.

... Ejusdem Tractatus de Vita, Mysteriis, & Annis Christi. 4.

... Ejusdem Epistolæ Theologico-Historico Polemicæ. 4. vol. 3.

... Ejusdem Tractatus de Scriptura Sacra. 4.

... Ejusdem Trias Dissertationum, in quibus agitur de recta addiscendi, ac docendi Theologiam methodo. 4.

du-Jardin (*Fr. Thomæ Ord. Predic.*) Brevis instructio de officio Sacerdotis, in Sacramento Pœnitentiæ. 12.

Lamii (*Joannis*) De recta Patrum Nicœnorum Fide. 4.

Laurenii (*P. Petri Soc. Jesu*) Forum Ecclesiasticum, in quo Jus Canonicum universum, clara facilique methodo juxta quinque Decretalium Libros explanatur. fol. vol. 5.

... Ejusdem Forum Beneficiale. fol. vol. 2.

Digitized by

Lacermi (*Accadem. Patavini*) *In Militem glorioſum Plauti* commentarius. Accedunt in fine ejuſdem auctoris Rithmæ italico ſermone conſcriptæ, quarum titulus il *Filolipo*. 4.

Menochii (*P. Stephani*) e Soc. Jeſu Commentaria totius Sacræ Scripturæ. fol. vol. 2.

Muſſchembrock (*Petri Van*) Elementa Phyſicæ conſcripta in uſus Academicos. 8. figurato.

Noltenii (*Joannis Friderici*) Lexicon Latinæ Linguæ Antibarbarum. 8.

Palbunciti (*Andreæ Theol. Profeſ.*) Elementa Moralia. 4.

Petavii (*P. Dionyſii*) Soc. Jeſu Doctrina Temporum. fol. vol. 3.

Pagi (*Franciſci*) Breviarium Hiſtorico-Chronologico-Criticum illuſtriora Pontificum Romanorum Geſta, Conciliorumque Generalium Acta complectens. 4. vol. 5.

Pittoni (*Jo: Baptiſtæ*) Conſtitutiones Pontificiæ, ad Parochos utriuſque Cleri pertinentes. 8.

... Ejuſdem Conſtitutiones, ac decreta ad hanc uſque diem emanata ad Sacros Ritus pertinentia. 8. vol. 2.

... Ejuſdem Conſtitutiones ad Epiſcopos ſpectantes. 8. tom. 2.

Pataroli (*Laurentii*) Series Auguſtorum, Auguſtarum, Cæſarum, ac Tyrannorum omnium. 8. fig.

Someting (*Ern. Friderici*) Introductio in univerſum Jus. 4.

Sannig (*P. Bernardi*) Collectio Benedictionum 12.

Chin-

Chiusole (*Antonio*) Il mondo antico , moderno , e novissimo , ovvero Trattato dell'antica , e moderna Geografia . 8. tom. 3.

del Detto la Geometria Comune , Legale , ed Aritmetica esposta in pratica con le sue dimostrazioni . 4. con 43. tavole in rame .

del Detto La Genealogia delle Case più illustri di tutto il Mondo , esposta sopra 325. tavole . in foglio .

del Detto La Genealogia Moderna distesa fino all'anno 1746. inclusive. 8.

Crasset (*P Giovanni della Comp. di Gesù*) Meditazioni applicate a ciascun giorno del mese . 12.

Calino (*P. Cesare della Comp. di Gesù*) Quaresimale . 4.

del Detto Panegirico in onore di S. Luigi Gonzaga , e di S. Stanislao Kostka . 12.

del Detto Lezioni Sacre , e Morali sopra il primo libro de' Re . 12. vol. 10.

del Detto Riflessi Istorici , e Morali sopra alcuni Santi dell' Ordine di S. Benedetto . 12.

del Detto Discorsi Scritturali , e Morali ad utile trattenimento delle Monache . 12. vol. 5.

del Detto Considerazioni , e Discorsi familiari , e morali distribuiti per ogni giorno del mese . 12. vol. 12.

del Detto il Giovanetto Giuseppe proposto ai giovanetti studiosi per loro direzione . 12.

del Detto Compendio della Vita di S. Giovanni Nepomuceno . 12.

MAG20_10325

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google